UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

urn:nbn:de:hbz:466:1-60727

Visual Library

Th. 4526.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

L III, 33.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ARBOR VITÆ
SIVE
VITA ET DOCTRINA
CHRISTI
EX QUATUOR EVANGELIIS
IN
MEDITATIONES QUOTIDIANAS
VELUTI TOTIDEM RAMOS
DISTRIBUTA
Collegii Societ. A Jesu Paderborn.
R. P. JACOBO ILLSUNG,
SOC. JESU THEOLOGO.

Cum Gratia & Privilegio Sac. Caſ. Majeſtatis,
Et facultate Superiorum.

PARS SECUNDA.



DILINGÆ,
Apud JOANNEM CASPARUM BENCARD,
Bibliopolam Academicum.

ANNO M. DC. XCIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MEDITATIONES

De Vita & Gestis Christi

Primo Anno Prædicationis.

MEDITATIO CCXVII.

De Nuptijs in Cana Galilææ.

Joan. 2.

PUNCTUM I. *Et die tertia* (ab adventu Andreæ & Petri ad Christum) *Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat Mater JESV ibi. Vocatus est autem & JESVS, & Discipuli ejus* (saltem aliqui ex quinque prædictis cap. præcedenti) *ad Nuptias.* Sponsus enim secundùm probabiliorem opinionem non fuit S. Joannes Evangelista (ut aliqui sumpsant cum S. Thoma 2. 2. q. 186. a. 4.) sed S. Simon Apostolus, ex Cana oriundus, Filius Cleophæ, Fratris S. Josephi; unde in reverentiam sui Mariti, tunc quidem jam mortui, B. Virgo, imò & ipse Christus Dominus suâ Præsentiâ Sponsos pauperes, nec habentes sumptus, pro vino emendo sufficientes, honorare voluerunt. Inde colligitur, Sanctitatem B. Virginis, ac Christi non fuisse inurbanam, aut Charitatis

propinquis debitæ minùs studiosam, cujus intentione actus de se indifferens, elevatus fuit ad gradum Ordinatæ Charitatis, & Pietatis. Hinc disce discretam Charitatem, & actiones indifferentes intentionis puritate ac sublimitate ad gradum sublimium Virtutum evehere. Nec dubium est, quin de istis Nuptijs dici potuerit illud Tobiæ 9. v. 12. *Accesserunt ad convivium: sed & cum Timore Domini Nuptiarum convivium exercebant.* Sic, cùm corporali refectioni ampliùs aliquid indulgendum est, cum Timore Domini, & ea Moderatione, ac Modestia interiori & exteriori id facito, sicut faceres, si Christum, ac B. Virginem præsentes cerneres; & sicut ipsos feciſſe cognosces.

Punct. I. *Et deficiente Vino dicit Mater JESV ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei JESVS: Quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite.* Observa, quòd, ut ad finem hujus Miraculi v. 11. Evangelista dixit: *Hoc fecit initium Signorum JESVS in Cana Galilææ; & manifestavit Gloriam suam*: ita etiam hoc fecerit initium Signorum Maria, & manifestârit Gloriam suæ Potentiæ apud Filium, ac Misericordiæ erga Genus humanum. Unde quasi pari passu ambulant Potentia Filij in operando ac benefaciendo, & Misericordia Matris in intercedendo; cùm Devs omnia velit nobis dare per Mariam. Et quamvis Potentiæ Patrocinij videantur derogare illa verba Filij: *Quid mihi & tibi est Mulier? Nondum venit hora mea*: Si ea tamen rectè intelligantur, prout B. Virgo ea intellexit, quando ijsdem non tantùm non absterrita, sed animata est, ut certa se exaudiendam, diceret ministris:

ministris: *Quodcunque dixerit vobis, facite*: patet, ijs potiùs declarari Potentiam Patrocinij; quia ijs solummodo indicare voluit Christus, se quoad Miracula patranda non subesse Matris imperio, ut propterea præveniat horam; sed se respicere ultra naturalem affectum Filij erga Matrem, longè aliam sui erga illam Amoris causam, ob quam etiam paratus sit prævenire horam; eò quòd nempe respiceret maximam Sanctitatem Matris, diceretque: Non quia Mater es, sed quia Mater Sanctissima es, nolo negare, quod petis; & quidem quod cum tanta Fiducia, ac indifferentia petis. Hinc ergo summam erga B. Virginem concipias Confidentiam: nam quia etiam non rogata, visâ solâ indigentiâ vini, mox intercessit, manifestavit ingentem suam Misericordiam. Et quia statim impetravit Vini optimi abundantiam, quamvis nondum venisset hora patrandi Miracula, manifestavit pariter efficacem Patrocinij sui Potentiam.

Punct. III. *Dicit eis JESVS: Implete hydrias aquâ. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis JESVS: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Ut autem gustavit Architriclinus aquam Vinum factam &c; vocat Sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum Vinum ponit; & cùm inebriati fuerint, tunc id, quod deterius est: Tu autem servâsti bonum Vinum usque adhuc.* Hinc disce 1. Patrocinium B. Virginis, & Beneficentiam Filij prodesse tunc, quando fecerimus, quæcunque dixerit nobis. 2. Deum exigere nostram cooperationem; atque ejus mensuræ, vasisque capacitati commensurare suam liberalitatem. 3. Christum Ecclesiæ & Animæ nostræ Sponsum, priùs apponere *Vinum*, quod videtur *deterius*, nempe compunctionis,

ac tribulationis &c. *Bonum* autem *Vinum* consolationis ac gaudij servare usque adhuc, nempe in Æternitatem, quod est perpetuum *adhuc*, nunquam desinens. Non ita facit Mundus; ubi Momentaneum est, quod delectat; Æternum, quod cruciat.

MEDITATIO CCXVIII.

Christus eijcit negotiatores è Templo.

Joan. 2.

PUNCTUM I. Considera, Christi primas & ultimas curas fuisse, ut Domus DEI quàm Sanctissimè haberetur, & nihil in ea indecens contingeret: hinc initio Prædicationis suæ, ut refert Joan. c. 2. v. 14. & sub finem ejusdem, quatuor scilicet diebus ante suam Mortem, ut recenset Marcus c. 11. à. v. 11. Negotiatores, Divina planè Potestate, cui nemo audebat se opponere, è Templo ejecit, Vultu & Voce ad iram non puri hominis, sed plusquàm hominis, severè compositis. *Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes ejecit de Templo, oves quoque, & boves, & numulariorum effudit æs, & mensas subvertit. Et his, qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere Domum Patris mei domum negotiationis.* Joan. 2. v. 15. & 16. Quibus postremis verbis Auctoritatem Filij DEI interposuit: cujus Auctoritatis ac Potestatis signum petentibus, dixit: *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* v. 19. quasi diceret, cùm solveritis Templum Corporis mei per Mortem, Egóque tertio die illud resuscitavero ad vitam; tunc videbitis, quam habeam potestatem ad exigendam Reverentiam

verentiam hujus Templi manufacti, & ad ejus profanatores nunc *quasi* flagello castigandos, id est, pœnis temporalibus hujus vitæ, quæ designantur per *quasi flagellum*; quæ si non sufficiant, paulò pòst sequetur verum flagellum, nempe pœnæ æternæ. Hinc æstima, si Christus tantâ irâ exarsit contra tractantes temporalia negotia, non in Sancto Sanctorum, neq; in atrio Sacerdotũ ante Sanctũ Sanctorum, sed solùm in tertio atrio, quod erat Laicis sive populo pro Oratione, & Sacrificijs spectandis destinatum; quomodo exardescet contra irreverentes erga Templum, quod Missæ Sacrificio est consecratum? Et multò magìs contra irreverentes erga Dominum Templi, qui ibi in Sacramento Eucharistiæ, velut in Throno residet? Et vel maximè contra eos, qui tempore Orationis in corde suo, ubi Oratio funditur, sæcularia, nugatoria, & vana tractant, ipsámque Orationem profanant? an non flagellabit? an non mensas numulariorum, & omnes curas, ac consilia, quæ sub Oratione in corde volvuntur, evertet?

Punct. II. Considera, Templo Jerosolymitano (à quo Christus ipse ad Templum Corporis sui sermonem vertit) longè Sanctius Templum esse hominem, per Gratiam Spiritûs Sancti Deo consecratum; de quo S. Paulus inquit 1. Corinth. 6. v. 19. *An nescitis, quoniam membra vestra Templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est?* Et in quo Pater Cælestis, ac Christus dignantur mansionem facere, ut ipse Christus apud Joan. c. 14. v. 23. testatur: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Idcirco nulla actio indecens sive Spiritualium, sive sensitivarum Potentiarum in hoc Templo debet perpetrari; ideo rursum S.

Paulus ait: 1. Cor. 3. v. 16. *Nescitis, quia Templum DEI estis, & Spiritus DEI habitat in vobis? si quis autem Templum DEI violaverit, disperdet illum DEVS. Templum enim DEI Sanctum est, quod estis vos.*

PUNCT. III. Viso Christi adversus Templi profanatores Zelo, subjungit S. Joannes. v. 17. *Recordati sunt verò Discipuli ejus, quia scriptum est* (Ps. 68. v. 10.) *Zelus Domûs tuæ comedit me.* Nempe sicut ignis videtur comedisse ferrum candens, quod replevit; ita Zelus Domûs DEI comedit, & replevit animum Christi Domini. Cùm itaque & nos ipsi, & Proximi nostri sint Templum, ac Domus DEI; simili Zelo exardescamus, ad impediendam in nobis, & in Proximis nostris omnem actionem, dedecentem Templum DEI, & contrariam Honori Divino. Rogemus etiam Christum Dominum, ut pro suo Zelo erga homines, ejiciat è nobis, quidquid ipsi in nobis displicet; ut adeò intret Templum nostrum, ibique habitet, doceat, omnésque actiones nostras dirigat.

MEDITATIO CCXIX.

De Conversione, & Instructione Nicodemi. Ioan. 3.

PUNCTUM I. Cùm Christus initio Prædicationis suæ Jerosolymam ad Festum Paschale ibi celebrandum ascendisset, ac negotiatores è Templo ejecisset, omnibus prodigioso terrore injecto, ut, quantumvis nondum Miraculis se Filium DEI probâsset, nemo tamen auderet se illi opponere; mox cæpit Miracula edere, &, ut inquit S. Joannes. cap. 2. v. 23. *Cùm esset*

esset Jerosolymis in Pascha, in die Festo, multi crediderunt in Nomine ejus, videntes Signa ejus, quæ faciebat. Ipse autem JESUS non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nôsset omnes, & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine. Ex hoc itaque colligitur, omnes esse amandos, omnibus esse benefaciendum, prout Christus Doctrinam & Miracula sua publicè in omnium auribus & oculis edidit; cum nemine tamen esse privatam amicitiam, & familiaritatem facilè contrahendam; nemini, quæ occulta esse oportet, esse prodenda; in nullo homine ita fiduciam collocandam, ut *Quis ponat carnem brachium suum.* Jerem. 17. v. 5.

Punct. II. Inter credentes in Nomine Christi ob visa Signa, quæ faciebat, erat etiam Nicodemus, Princeps Judæorum, & Legis Doctor. *Nic venit ad JESUM nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus, quia à DEO veniști Magister. Nemo enim potest hæc Signa facere, quæ tu facis.* Joan. 3. v. 2. Causa hujus nocturni adventûs potuit esse, vel quòd Legis Doctorem puderet, alijs videntibus & scientibus, ad Christum de die venire; vel quòd timeret alios Christo infensos; vel quòd Christus toto die alijs docendis in Templo occupatus, privatim non nisi nocte conveniri posset. Quæcunque ex his causa fuerit, te non pudeat ab alio instrui, & multarum rerum ignorantem videri: nec moveant humani respectus. Quòd si quacunque ex causa de die impeditus fueris cum Deo de rebus Animæ tuæ agere, ex gr. coactus Meditationem differre; venias saltem ad Deum nocte. Et quemadmodum Christus, quantumvis diurnis laboribus fessus, importuno tempore venientem benevolè

susceperit, & longa oratione instruxit: sic Proximo etiam importuno, ac incommodo tempore te libenter impertias.

PUNCT. III. Considera, quòd sicut Nicodemo nox profuit, ut ad Christum veniret, ac Salutem ab ipso consequeretur; sic adversa, & tribulationes, quæ in sensu Morali & Metaphorico noctis vocabulo designantur, plurimùm nobis prosint, ut ad DEVM accedamus, & Salutem consequamur. Hinc Psalmista DEVM alloquens inquit Ps. 82. v. 17. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine.* Et propriam experientiam allegans Ps. 16. v. 3. ait: *Probâsti cor meum, & visitâsti nocte: igne me examinâsti, & non est inventa in me iniquitas.* Sic & tu invigila, ut nocte venias ad DEVM, & per adversa sapientior ac melior reddaris, ne inveniatur in te iniquitas.

MEDITATIO CCXX.

Continuatio Sermonis Christi cum Nicodemo. Ioan. 3. v. 3.

PUNCTUM. I. Quia Nicodemus agnovit Christum, Magistrum à DEO missum; ideo, ut ex responsione Christi patet, interrogavit eum, quid faciendo Vitam æternam, & Cæleste Regnum possideret. Respondit JESVS, & dixit ei: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre Regnum DEI.* Joan. 3. v. 3. quod magis declarans, dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum DEI. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex Spiritu, spiritus est.* Joan. 3. v. 5. Itaque gra-

gratus agnoſce hoc Beneficium, quòd præ innumeris hominibus eo deſtitutis, renatus ſis ex Aqua & Spiritu Sancto; ac poſtquam Chriſtus ex puriſſimo Sanguine MARIÆ, obumbrante Spiritu Sancto, conceptus eſt Filius Hominis, tu ex aqua, obumbrante & cooperante Spiritu Sancto, ſis ſpeciali modo natus Filius adoptivus ipſius DEI, & Spiritus, id eſt, Filius Spiritûs, ſive ſecundùm Spiritum vivens effectus. Tunc ergo cenſeberis ſatìs agnoſcere ac æſtimare hoc Beneficium, & Dignitatem Filij DEI, & ſatisfacere illis verbis: *Quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt*, ſi Spiritu facta carnis mortificaveris. Audi S. Paulum Rom. 8. v. 12. *Ergo fratres debitores ſumus non carni, ut ſecundùm carnem vivamus; ſi enim ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicunque enim Spiritu DEI aguntur, ii ſunt Filij DEI.*

PUNCT. II. Alterum documentum, quod Cæleſtis Magiſter Nicodemo dedit, eſt, viva Fide agnoſcere infinitam illam Charitatem DEI erga homines, quòd Filium ſuum Unigenitum dederit hominibus, non ut judicaret illos, ſed ut ſalvaret, & ut crucifigoretur pro ipſis. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto; ita exaltari oportet Filium Hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat Vitam æternam. Sic enim DEVS dilexit mundum, ut Filium ſuum Vnigenitum daret &c. Non enim miſit DEVS Filium ſuum, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Quid retribues tantæ Charitati Patris, & Filij? Nempe te totum reddes, nihil tibi reſervans, & non tantùm abnegans temetipſum; tolles Crucem tuam, & bajulabis eam quotidie; & mundo moriens, illud S. Pauli

dictum

dictum implebis, Gal. 2. v. 19. *Christo confixus sum Cruci.*

Punct. III. Tertium documentum Nicodemo à Divino Magistro traditum refertur à Joanne. c. 3. v. 19. *Hoc est autem judicium*: id est, causa judicij & condemnationis; *Quia Lux venit in Mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm Lucem &c.* Nempe Christus, qui est Lux mundi, venit, ut suâ Doctrinâ & Exemplis dissiparet tenebras ignorantiæ, falsorum dictaminum, errorum practicorum circa mores, & ipsorum peccatorum, quæ passim in Scriptura tenebræ appellantur: sed *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm Lucem.* Hoc proinde documentum Nicodemo, & tibi Cælestis Magister indicavit, ut omni mundi Sapientiæ, quæ aliud nihil est, quàm tenebræ, præferas Doctrinam Christi: & ab ejus Exemplo nullis hominum factis, aut dictis te dimoveri permittas.

MEDITATIO CCXXI.

S. Joan. Bapt. suorum Discipulorum cum Christo æmulationem reprimit.

Joan. 3.

Punctum I. Cùm Christus ex Metropoli Judææ nempe Jerosolymis, ubi Nicodemum & multos alios ad credendum in se converterat, cum Discipulis suis in reliquam Judææ regionem venisset, & per Discipulos suos in eodem flumine Jordane, in quo Joannes, multos ad se accurrentes baptizasset; *Facta est quæstio ex Discipulis Joannis cum Judæis de Purificatione.*

Joan.

Joan. 3. v. 25. id est, Discipuli Joannis cum Judæis Christum sequentibus contendebant de Baptismate Christi; illi enim Joannis Baptisma, utpote antiquius, & à Christo humiliter receptum, æmulatione quadam præferentes *Venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, & cui testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* v. 26. Unde considera, quomodo etiâ ob sanctas functiones, pro DEI Honore, & Proximi Salute susceptas (quando hic finis non unicè spectatur, sed insuper propria gloria, vel quodcunque aliud emolumentum quæritur) inter viros Virtuti deditos æmulatio subrepat, & unus alterum impedire conetur, suum temporale commodum præferens multarum Saluti Animarum. Magnopere ergo cavendum est à tam communi, periculoso & noxio æmulationis vitio, & solius DEI Gloriæ, ac Animarum Salutis intentione, radicitus evellendum. Econtrariò etiam non curandæ sunt imprudentum, ac parùm mortificatorum hominum oblocutiones, & murmurationes; ob quas Christus, & Discipuli ejus non permiserunt se impediri à Sanctis suis functionibus.

PUNCT. II. S. Joannes Bapt. susurratione suorum Discipulorum, & prætextu ingratitudinis contra Christum allegato, non tantùm se non permisit commoveri, sed potiùs gavisus est, Christum sibi præferri, dicens: *Gaudium meum impletum est. Illum oportet crescere, me autem minui.* v. 29. Sic nullis, quantumvis speciosis rationibus, te sines contra alium concitari; quia vel falsæ communiter sunt, vel insufficientes ad dissolvendam Charitatem, ac Pacem animi. Si etiam serio te omnibus postponas, & ab

alijs

alijs postponi cupias, facilè de quovis, qui tibi præponitur, dices: *Illum oportet crescere, me autem minui.* Hîc ergo in mundo recumbe in novissimo loco, ut in Cælo tibi dicatur: *Amice, ascende superiùs.* Luc. 14. v. 10. Sequere illam Christi admonitionem, Marci. 10. v. 43. *Quicunque voluerit in vobis primus esse, sit omnium servus.*

Punct. III. Considera, quanti æstimaverit S. Joannes Baptista Doctrinam Christi tam ratione objecti, quàm ratione certitudinis, utpote continentem veritates planè Cælestes, & certas: *Qui de Cælo venit, super omnes est; & quod vidit, & audivit, hoc testatur.* Joan. 3. v. 31. *Quem enim misit DEVS, verba DEI loquitur; non enim ad mensuram dat DEVS Spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* v. 34. Quæcunque ergo adversantur Doctrinæ Christi, falsa reputa, inania, & noxia.

MEDITATIO CCXXII.

De Conversione Mulieris Samaritanæ

Joan. 4.

Punctum I. Cùm Christus Jerosolymis annolætatis trigesimo primo à Paschate cæpisset prædicare, ac deinde à principio Aprilis per suos Discipulos etiam baptizare, reliquam Judæam pertransiens (ut dicitur Joan. 3. v. 22.) ad declinandam Pharisæorum invidiam, & odium ob multitudinem accurrentium ad suum Baptisma, rursum ex Judæa secessit in Galilæam, ut refert S. Joan. c. 4. v. 1. *Oportebat eum transire per Samariam. Venit ergo in civitatem Samariæ,* non intrans urbem,

urbem, in quam Discipulos pro cibis emendis dimiserat, sed foris *Fatigatus ex itinere sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei JESVS: da mihi bibere.* v. 7. Considera 1. Christum pro unius infidelis, ac impudicæ, pauperculæ, ignobilis mulierculæ Salute defatigatum fuisse, iter pedestre faciendo ea celeritate, ut venientem ad hauriendam aquam, eodem tempore alloqui, ac convertere posset. Quàm ergo pro nostra & aliena Salute, etiam unius tantùm plebeij hominis fatigari, nobis grave esse non debet; præsertim si consideremus, Christum non ista duntaxat vice fatigatum esse, sed Judæam, & Galilæam absque curru vel equo, constanter pedibus peragrâsse; integros dies, ut vix cibo sumendo aliquid temporis reliquum esset, prædicando, & hominibus inserviendo, noctem orando transegisse: tandem per diversorum Judicum tribunalia raptatum, exivisse ad Calvariæ locum, gravi Cruce onustum, & viribus fractum. Pudeat ergo te tuis commodis adeò addictum esse, vel corporis, aut animi incommoda tam citò fugere in procuranda tum tua, tum aliorum Salute.

Punct. II. Considera 2. Christum prævenisse, & exspectâsse venientem mulierem, & unicum aquæ haustum petivisse, ut pro ea ipsi offerret *Aquam vivam*, id est, Gratiam *Salientem in Vitam Æternam*: Mulierem autem non dedisse aquam, sed dixisse: *Quomodo tu Judæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* O quoties Deus Gratiâ suâ nos prævenit! Quanto tempore conversionem, & emendationem nostram exspectat! quàm modica, & exigua sunt, quæ à nobis petit! quàm magna, quæ promittit!

tit! Quàm tardi sumus ad danda illa modica, & ad petenda, ac procuranda illa magna! Imitare tamen mulierem Samaritanam in hoc, ut consideres, quis sit ille, qui petit; & quis tu, à quo petit DEVS; & quàm exigua, levia, ac facilia sint ea, quæ petit. Si memor eris illorum verborum: *Si scires donum DEI, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere*: non tantùm nihil negabis DEO, sed quidquid dederis, parùm judicabis, & indignum te censebis, quod DEVS dignetur à te aliquid petere, & accipere. Quemadmodum David, quando cum populo suo universo maximam vim auri, argenti, & aliorum necessariorum ad ædificium magnificentissimum Templi struendi DEO obtulerat, liberalitate hac summè lætatus dixit. 1. Paral. c. 29. v. 14. *Quis ego, & quis Populus meus, ut possimus hæc tibi Universa promittere? Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*

PUNCT. III. Disce, quomodo sermonem de aqua naturali hîc apud Joan. 4. v. 10. & postea v. 32. sermonem de cibo corporali, Christus verterit ad sermonem de Aqua & Cibo Spirituali. Unde patet, quomodo, & quanto fructu colloquia Spiritualia miscere debeamus sive inter nos, sive cum Sæcularibus; ut nunquam sine fructu, & sine Spirituali documento finiantur colloquia ab argumento profano cæpta. Docemur etiam, per terrena & sensibilia mente ad Cælestia & Spiritualia ascendere: & curam reficiendi Corporis ad Animæ refectionem potiùs transferre.

MEDI-

MEDITATIO CCXXIII.

Continuatio eiusdem Historiæ.

Joan. 4.

PUNCTUM I. Translato sermone de aqua materiali ad Aquam Spiritualem, dixit Christus mulieri: *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex Aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed Aqua, quam Ego dabo ei, fiet in eo Fons Aquæ salientis in Vitam æternam.* Joan. 4. à v. 13. Sic nulla bona temporalia possunt explere sitim, & appetitum nostrum, quia omnis illorum delectatio vana, & fluxa est, & plerumque in remorsum Conscientiæ, tristitiam, ac pœnitudinem desinit. At bona Gratiæ in hac vita quietem, gaudium, & spem æternorum pariunt; in altera autem vita perfectam satietatem tribuunt. *Secura mens quasi juge convivium.* Proverb. 15. v. 15. *Satiabor, cùm apparuerit Gloria tua.* Ps. 16. v. 15.

PUNCT. II. Cùm mulier Samaritana agnovisset, Christum esse Prophetam, mox proposuit illi quæstionem inter Judæos, & Samaritanos valde controversam: *Patres nostri in monte hoc* (Garizim dicto, urbi imminente) *adoraverunt; & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei JESUS: Mulier crede mihi, quia veniet hora, quando neque in Ierosolymis adorabitis Patrem.* v. 21. (carnalibus animarum Sacrificijs, uti faciunt Judæi, & Samaritæ) *sed venit hora & nunc est, quando veri Adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & Veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est DEUS, & eos, qui ado-*

rant eum, in Spiritu & Veritate oportet adorare. v. 24. Vide, qualis debeat esse nostra Oratio; & quantopere Deus illam desideret, ita ut quærat veros Adoratores, qui nempe non solùm externo ritu, vel externo cultu corporis, vel linguæ sono, vel uno tantùm in loco, vel more Pharisaico adorent Devm: sed quia Deus æternus & Immensus est, semper oportet orare, & nunquam deficere: ubique Templa ipsi sunt extruenda; imò extra illa ubique adorandus est. Quia etiam Spiritus est, debet adorari in Spiritu per Intellectum, & Voluntatem, scil. attentè, ac devotè. Et quia Verax est in promissis, debet adorari in Veritate, ut Cor consentiat Linguæ, & Vita Orationi, cessetque illa Christi querela Marci. 7. v. 6. *Populus hic labijs me honorat; Cor autem eorum longè est à me: in vanum autem me colunt.*

Punct. III. Audito responso Christi mulier vel majorem claritatem, vel majorem certitudinem desiderans, dixit: *Scio, quia Messias venit.* (Passim enim increbuerat Messiæ propinquus adventus ex Vaticinio Jacobi. Gen. 44. quod translatione Sceptri de Tribu Juda jam erat impletum; & ex Vaticinio Danielis. c. 9. v. 24. Unde Judæi putabant, Joannem Bapt. esse Messiam.) *Cùm ergo venerit ille, nobis annunciabit omnia.* Joan. 4. v. 25. *Dicit ei IESVS: Ego sum, qui lòquor tecum,* v. 26. Considera, verissimum esse, quod dixit mulier; Christus enim omnia nobis annunciavit tum per se, tum per Ecclesiam, quæ credenda, & quæ agenda sunt. Væ ergo hæc scienti, & non facienti! Ex eo etiam, quòd Christus tam clarè, & asseveranter mulieri Samaritanæ manifestârit, se esse Messiam, patet, Deum sæpe revelare sua Mysteria

& dare claras rerum Divinarum cognitiones hominibus rudibus, & indignis; unde si eas in te experiaris, noli extolli; sed crede, tibi tanquam uni ex illis datas esse.

MEDITATIO CCXXIV.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Joan. 4.

PUNCTUM I. Dicit ei JESUS: *Vade, voca Virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo Virum. Dicit ei JESUS: Bene dixisti, quia non habeo Virum: quinque enim Viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus Vir: hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine video, quia Propheta es Tu.* Joan. 4. v. 16. Audiverat Samaritana præteritorum suorum actuum manifestationem miraculosam, audiverat etiam eodem Miraculo confirmatam claram Christi confessionem, qua se esse Messiam confessus est. Reliquit ergo hydriam suam, & abiit in civitatem, & dixit illis hominibus: *Venite, & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci. Nunquid ipse est Christus? exierunt ergo de civitate, & veniebant ad eum.* à v. 28. Hoc Mysterio, quòd mulier Christum annuntiatura, hydriam suam reliquerit, significatur nobis, quòd nos Christum annuntiaturi, omnia terrena relinquere debeamus, quorum, utpote rerum fluxarum, ac vilissimarum possessio, ac capacitas, pluris non est æstimanda, quàm hydria aquæ, quæ etiam facilè frangitur, & potum vilissimum continet. Neque hoc alios ad Christum adducendi munere, atque

etiam copioso quandoque fructu extolli debemus; videntes per Divinam Dispositionem, & Gratiam id etiam à rudi muliercula strenuè, & cum fructu fuisse præstitum, ut patet etiam ex v. 39.

Punct. II. *Cùm venissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt eum, ut ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum, propter* Sermonem *ejus.* à v. 40. Ecce! Samaritani, qui comparatione Populi Israëlitici erant veluti Schismatici, & Hæretici, avidissimè audiverunt Christum, & intra duos dies plus profecerunt, quàm Pharisæi, Scribæ, & Sacerdotes ex Populo Israëlitico tribus annis. Non sinamus Religiosi simili modo nos superari, ac confundi à Sæcularibus, ut ipsi Doctrinas Cælestes libentiùs audiant, & plùs ex ipsis proficiant, quàm nos ex multiplici Auditione, Lectione, Meditatione earundem. Sic etiam contingit, ut incipientes, & tirones in Virtutis palæstra, in profectu & Perfectione brevi vincant milites Veteranos, quia apud ipsos principia fervent, apud hos Virtutum, ac rerum Spiritualium studia languent. Idem sibi ne contingat, quivis tepidus Christi cultor caveat, ne scilicet à recenter conversis ad Fidem vel ad meliorem Vitam, Virtutis amore, ac studio Cælestis Sapientiæ superetur.

Punct. III. *Et mulieri dixerunt: quia jam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, & scimus: quia hic est verè Salvator Mundi.* Ecce nullum memoratur Miraculum, hoc triduo apud Samaritanos à Christo patratum: imò protestantur, se non credere propter loquelam mulieris testantis de Miraculosa revelatione vitæ suæ præteritæ. Sancta enim Christi per biduum cum ipsis Conversatio,

satio, & sermonis fervor, ac efficacia valebat ad multorum Conversionem. Sic si verbo & exemplo Proximis nostris prodesse studemus, nullo alio opus est Miraculo, ad magnos progressus faciendos.

MEDITATIO CCXXV.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Joan. 4.

PUNCTUM I. *Et continuò venerunt Discipuli ejus, & mirabantur, quia cum muliere loquebatur; nemo autem dixit: quid quæris, aut quid loqueris?* v. 27. Insolitum quippe erat Christo, seorsim loqui cum muliere, idque hoc fine, teste S. Cyrillo, & alijs communiter, ut Castitatis & Honestatis omnibus Fidelibus, sed maximè Clericis & Religiosis Exemplum daret: quia, ut dicitur Eccli. 42. v. 13. *De vestimento procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Non ergo nisi rarò, cautè, publicè, breviter, & ex necessitate cum mulieribus loquendum. Imitandi etiam sunt Discipuli, qui in Christi Sermonem non ausi sunt curiosè inquirere. Sic ne in morum civilitatem, & animi tui quietem offendas, noli aliorum sermones, & actiones scrutari.

PUNCT. II. *Interea rogabant eum Discipuli dicentes: Rabbi, manduca.* v. 13. Ecce, rogandus fuit Christus, ut manducaret: inviti enim quodammodo, & non nisi consueta necessitate coacti, ad reficiendum corpus induci debemus, nec voluptati, sed meræ necessitati servire: & dum corpus edendo reficitur, sua etiam refectio Animæ præbeatur. Unde sequitur

PUNCT. III. *Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis.* v. 32. *Meus cibus est, ut faciam Voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus ejus.* v. 34. Quibus verbis Christus animum à cibis corporalibus abstraxit, ac divertit ad cibum Spiritualem, Salutem scilicet Animarum, quam famelico desiderio propter Voluntatem Patris sui magìs quàm cibum corporalem appetebat: unde hujus famem in animis suorum Discipulorum excitare studuit: 1. Propriæ famis Exemplo. 2. Multitudine, capacitate, & indigentiâ hominum, sub metaphora copiosæ & maturæ messis, requirentis messores: *Levate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt jam ad messem.* v. 35. 3. Pollicitatione præmij. *Qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in Vitam Æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit.* v. 36. 4. Facilitate, & jucunditate laboris: eò quòd Prophetæ Veteris Testamenti comparatione Discipulorum, uti & Præcessores respectu nostrî duros seminandi labores jam confecerint, & solùm superfit jucundus labor metendi, juxta vetus & verum proverbiũ: *In hoc enim est verbum verum: quia alius est, qui seminat, & alius qui metit. Ego misi vos* (nempe cæpi mittere, & constitui Apostolos, id est, Missos) *metere, quod vos non laborâstis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introîstis,* v. 37. & 38. Excita itaque & tu famem in te tam præstantis cibi, & dic: *Meus cibus est, ut faciam Voluntatem ejus, qui misit me, ut perficiam opus eius*: Damna verò & repelle alios cibos, si hactenus cibus tuus fuit voluptas corporalis cibi & potûs, honor, laus, vana gloria, commoditas corporis, otium, inutilis conversatio, ac confabulatio cum hominibus &c.

MEDI-

MEDITATIO CCXXVI.

De Filio Reguli ſanato.

Joan. 4.

PUNCTUM I. *Poſt duos autem dies exiit inde* (de Sichar civitate Samariæ) *& abiit in Galilæam. Ipſe enim JESUS teſtimonium perhibuit: quia Propheta in ſua patria honorem non habet* (ideo enim abiit in reliquam Galilæam, relicta urbe Nazareth, ubi fuerat educatus: ut dicitur Matth. 4. v. 13.) *Cùm ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi; cùm omnia vidiſſent, quæ fecerat Jeroſolymis die Feſto: & ipſi enim venerant die Feſto. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam Regulus* (id eſt, Præfectus, vel præcipuus quiſpiam miniſter Herodis Antipæ, in Galilæa Tetrarchæ, vulgò autem Regis appellati.) *cujus filius infirmabatur Capharnaum* (in urbe Capharnaum) *hic cùm audiſſet, quia JESUS adveniret à Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus: incipiebat enim mori. Dixit ergo JESUS ad eum: niſi Signa & Prodigia videritis, non creditis.* à v. 43. Ex his verbis pro ordine & ſerie hiſtoriæ Evangelicæ relatis, ultima maximè notanda ſunt, & ex ijs conſiderandum, quomodo Chriſtus Regulum propter Fidei imperfectionem (quia non credidit, etiam ab abſente filium ſanari poſſe) ſaluberrima reprehenſione exceperit; & quomodo Regulus non obſtante officij ſui Dignitate, humiliter ſine indignatione, ſine negatione vel excuſatione objectæ incredulitatis, ſine contradictione, vel oblocutione objurgatio-

gationem illam admiserit. Disce ergo ab ipso, quomodo ex ore Superiorum defectuum tuorum reprehensiones excipere, eásque pro summo beneficio habere, atque ex illis emendari debeas: sicut Regulus ille, ut patebit, beneficium expertus, & emendatus est. Hinc etiam colligendum est, quantum sit Beneficium DEI, si propter tuos defectus, & imperfectiones interiùs in animo tuo reprehendaris, & mox angaris. Hinc David ait Ps. 118. v. 71. *Bonum mihi, quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas.* Contrà quantum sit damnum, ac supplicium, si veluti ægrotus depositus, ac inobediens Medico, deseraris; sicut de Populo Israëlitico dicit DEVS Ps. 80. v. 13. *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorùm; ibunt in adinventionibus suis.* Rationem addidit v. 12. præcedenti. *Et non audivit Populus meus Vocem meam; & Israël non intendit mihi.*

PUNCT. II. Humiliter audita reprehensione Christi, dicit ad eum Regulus: *Domine, descende priùs, quàm moriatur filius meus. Dicit ei IESVS: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei IESVS, & ibat.* v. 49. & 50. Ecce præmium Constantiæ in Oratione, non mox exauditâ, sed cum specie repulsæ rejectâ! Ecce fructum patienter toleratæ reprehensionis! DEVS enim dedit, quod rogatus fuit: Regulus emendavit id, propter quod fuit reprehensus. Diligenter etiam notandum est, quòd, licèt Christus solùm dixerit: *Filius tuus vivit*; Regulus tamen rectè crediderit, illum non solùm vivere, sed sanum vivere: nam vivere, & non sanum vivere, etsi non sit idem ac mortuum esse, est tamen idem ac mori. Sic etiam vivere, & non sanctum vivere, est

idem

idem ac mori, sive, ac proximum esse peccato mortali: propter hujus proximum ac certum periculum homini tepido dici potest, quod S. Joan. Apoc. 3. v. 1. DEI nomine scribere jussus est Angelo, id est, Episcopo Ecclesiæ Sardis: *Scio opera tua, quia nomen habes, quòd vivas; & mortuus es. Esto vigilans, & confirma cætera, quæ moritura erant: non enim invenio opera tua plena coram DEO meo.*

PUNCT. III. *Iam autem eo descendente servi occurrerunt ei, & nunciaverunt, dicentes: quia filius ejus viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua meliùs habuerit. Et dixerunt ei: quia herì horâ septimâ* (apud nos est prima post meridiem) *reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei JESVS: filius tuus vivit. Et credidit ipse, & domus ejus tota.* à v. 51. Sicut Miraculum est motivum impellens ad credendum DEO, sic Beneficium est motivum ad amandum DEVM. Pudeat ergo te, quòd unicum Miraculum homini Regulo, & toti familiæ ejus sufficerit, ad fidem non tantùm inchoatam, qualem primò habuit, sed ad perfectam; & tamen tot Beneficia (quæ ad mentem breviter revocabis) tibi nondum sufficerint ad perfectam ac stabilem DEI Charitatem, à tota tua domo sive familia omnium potentiarum Animæ tuæ exhibendam: has enim potentias nomine totius domûs etiam intellexit Isaias. c. 38. v. 1. quando Ezechiæ dixit: *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.*

MEDITATIO CCXXVII.

De Vocatione Apostolorum.

Matth. 4. Marc. 1.

PUNCTUM I. Cùm Christus in Galilæam rediisset, ex Cana Galilææ, *Venit, & habitavit in Capharnaum maritimâ* .Matth. 4. v. 13. quæ quia adjacebat Jordani, ubi is in mare Tiberiadis influit, erat Emporium & Urbs celeberrima totius Galilææ, ac Gentilium etiam accursu populosissima, & frequentissima: ideóque Christus ibi Prædicationis in plures propagandæ aptissimam sedem fixit, ac plurima patravit Miracula: indéque frequenter ad alia loca per reliquam Galilææ regionem digressus est. *Ambulans autem IESVS juxta mare Galilææ vidit duos Fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream Fratrem ejus mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum. At illi continuò relictis retibus secuti sunt eum.* Matth. 4. à. v. 18. *Et procedens inde vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem Fratrem ejus in navi cum Zebedæo Patre eorum, reficientes retia sua, & vocavit eos: illi autem statim relictis retibus & Patre, secuti sunt eum.* Ibidem à v. 21. Considera itaque, quàm suaviter, quàm efficaciter, quàm liberaliter hos quatuor Discipulos Christus ad statum Perfectionis vocârit. Andreæ enim, & Petro jam ante octo menses sui desiderium iniecerat, quando priori habitationem suam ostendit, & illo die manentem Sanctissimo Colloquio inflammavit; posteriori verò, quem Andreas Frater ejus adduxit, non

non minùs familiarem se exhibuit: atque adeò illos jam Discipulos suos, & ut vero simile est, etiam primi Miraculi in Cana Galilææ spectatores (ut colligitur ex S. Joan. c. 2. v. 2.) sed nondum stabiles Sectatores effecit. Nunc autem piscatoriæ artis, cujus amore ac desiderio tenebantur, non omnino deserendæ, sed cum nobiliori piscatu commutandæ spem certam fecit, dicens: *Faciam vos fieri Piscatores hominum.* Posteriores duos Discipulos, partim famâ Miraculorum suorum allectos, partim præsenti Exemplo aliorum duorum Fratrum, Christum actu sequentium attractos, similibus quoque verbis ad suî sequelam invitavit. Perpende, an non simili suavitate te quoque ad Vitam Religiosam invitaverit, ac vocaverit, priùs tibi communicans ejus notitiam, æstimationem ac desiderium per longum tempus; dans etiam voluptatem & gaudium circa illas actiones & functiones, quæ in Religiosa Familia sunt exercendæ: multa etiam proponens Exempla, amplissimas spes hujus mundi deserentium, & Sanctissimè ac constantissimè Deo in Religione servientium. Sic etiam alios, quos Christus non vocat ad Vitam Religiosam, vocat tamen ad suî sequelam & Imitationem, atque ad officia ipsis convenientia, quibus suam, vel aliorum etiam Salutem procurent.

Punct. II. Considera etiam, quàm efficaciter Christus quatuor illos Discipulos vocaverit, ut qui statim relictis omnibus secuti sunt eum. Interna enim Illustratione & impulsu movebat illis cor, ut reliqua omnia nihili facerent, & Christo adhærere beatum ac jucundum ducerent: quemadmodum Psalmista testatur, pro simili interna Illustratione & Vocatione

ne ad Vitam meliorem DEO gratias agens, Ps. 72. à v. 24. *Tenuisti manum dexteram meam, & in Voluntate tua deduxisti me. Quid enim mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum, DEVS cordis mei, & Pars mea DEVS in æternum. Quia ecce, qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere DEO bonum est; ponere in Domino DEO Spem meam: ut annunciem omnes Prædicationes tuas in portis Filiæ Sion.* Hæc certè potuissent dicere vocati à Christo Discipuli, & hæc tu ipse, ad Religionem vel ad Vitam meliorem vocatus. Præterea proposuit ipsis Christus duo efficacissima motiva, & finem, qui spectari debet per ingressum in Religionem; scil. Imitationem suî, propria vitæ Sanctitate: & procurationem Salutis Animarum, in procelloso mari periclitantium, ac indigentium liberatore. Uterque finis continebatur in dictis verbis: *Venite post me, & faciam vos fieri Piscatores hominum.*

PUNCT. III. Considera, quàm liberaliter Christus Discipulos suos vocârit: utpote nihil tale cogitantes, nihil petentes, nihil merentes, ex se prorsus inhabiles ac indignos. Beneficium autem, quod tali Vocatione contulit, fuit summum, ut patet ex testimonio Christi. Luc. 8. v. 10. *Vobis datum est nôsse Mysterium Regni DEI.* Sive, ut inquit Matth. 13. v. 11. *Mysteria Regni Cælorum. Cæteris autem* (mundanis hominibus) *in parabolis, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Et apud Matth. 13. v. 16. *Vestri autem beati oculi, quia vident; & aures vestræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis: quia multi Prophetæ & Iusti cupiêrunt videre, quæ videtis; & non viderunt: & audire, quæ auditis; & non audiêrunt.* Hæc omnia de Reli-

Religiosis jure dici possunt; sicut & illud, quo gratuitam, & ad summa bona obtinenda ordinatam Vocationem agnoscendam Christus proponit. Joan. 15. v. 16. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: ut quodcunque petieritis Patrem in Nomine meo, det vobis.*

MEDITATIO CCXXVIII.

De eodem Argumento.

PUNCTUM I. Considera circumstantias Personarum; fuerunt enim duo paria Fratrum, homines ignobiles, pauperes, piscationi, & retibus reficiendis intenti. Ex prima circumstantia discimus, eos, quos Christus ad sui Sequelam, & ad Vitam Perfectiorem, sive Religiosam vocat, debere se mutuò fraterno amore prosequi: hinc cùm apud Joan. c. 15. v. 16. dixisset: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos &c.* v. 17. statim subjungit: *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem.* Et suprà c. 13. v. 35. voluit hoc esse indicium suæ Vocationis ad Sanctioris vitæ Disciplinam: *In hoc cognoscent omnes; quia Discipuli mei estis, si Dilectionem habueritis ad invicem.* Ex reliquis circumstantijs confirmatur id, quod à potiori in Vocatione ad Religiosam vel Clericalem vitam de facto fieri videmus, & quod S. Paulus 1. Cor. 1. v. 26. admonet: *Videte enim Vocationem vestram, fratres: quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEVS, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit DEVS, ut confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEVS, & ea, quæ non sunt;*

ut

ut ea, quæ sunt, destrueret. (id est, quæ pro nihilo habentur, & quæ non sunt in æstimatione coram mundo, elegit; ut, quæ sunt in æstimatione, quoad eandem æstimationem destrueret, ne deinceps æstimarentur, scil. Sapientia mundi, Potentia, Nobilitas &c.) *ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* Unde gratias age DEO, si ea, quæ impedimento solent esse, quò minùs DEVS vocet, vel quò minùs vocanti pareatur, etiam non habuisti, vel si ea contempsisti: & cogita, quàm non alta sapientes, pauperes & humiles in Religione debeant esse, & quàm ij DEO placeant, qui Virtutis studio tales sunt; si etiam illi ita DEO placuerunt, qui tales conditionis suæ necessitate fuerunt. Nec sine causa Evangelista diligenter notavit, quòd priores duo Discipuli fuerint mittentes rete in mare; posteriores autem fuerint reficientes retia sua: quia, quos DEVS vocat, nec debent esse otiosi, nec humilia officia fugere; sed debent laboris, & humilium officiorum esse amantes.

PUNCT. II. Considera circumstantias rerum, quas Discipuli reliquerunt; hæ enim erant inquietum, turbulentum, & salsum mare Tiberiadis, navicula, retia, & Pater posteriorum duorum Fratrum. Per mare intelligitur mundus, in quo humanus animus nunquam potest quiescere, quem tentationum & periculorum procellæ turbulentum, & adversitatum acerbitas salsum reddunt. Huic opponitur Status Religiosus, quem ex Apoc. c. 22. v. 1. rectè dixeris: *Fluvium Aquæ Vitæ. &c.* Per naviculam intelligitur conversatio mundana, perpetuo naufragij periculo exposita propter innumeras occasiones lædendæ Conscientiæ; ideo S. Paulus Timotheum suum

hortatur

hortatur, ut semper sit *Habens Fidem, & bonam Conscientiam, quam quidam repellentes circa Fidem naufragaverunt.* 1. Timoth. 1. v. 19. Huic naviculæ opponitur conversatio Religiosa, quæ est tutum navigium, quo à Superioribus tanquam Navarchis ducimur. Per retia designantur gravissimæ insidiæ, & ferè insuperabiles tentationes Mundi, Carnis, & Dæmonis, quibus Animæ irretiuntur, simili modo, quo Proverb. c. 29. v. 5. dicitur: *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus.* Hujus retis loco dantur nobis illa, quibus Animas hominum capiamus. Per patrem Zebedæum desertum denotantur evitata illa pericula Salutis, ob quæ Matth. 10. v. 36. Christus dixit: *Inimici hominis domestici ejus. Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non est me dignus.* In horum vicem acquirimus tot Patres, quot Duces Spirituales, tot Fratres, quot Socios Religionis, mutuo Charitatis vinculo adstrictos. Illorum ergo Discipulorum exemplum imitatus, tantorúmque bonorum amore tractus, in easdem cum S. Petro Matth. 19. v. 27. Gratitudinis voces erumpe: *Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Nec tamen (inquit S. Gregor. hom. 32. circa init.) *sufficit nostra relinquere, nisi relinquamus & nos.*

Punct. III. Considera in verbis Christi: *Faciam vos fieri Piscatores hominum*: quanta Gratia & Auxilium Vocationis promittatur per verbum: *Faciam.* Hoc unico verbo dissolvitur illa quæstio Discipulorum, & firmatur responsio Christi apud S. Matth. 19. v. 26. *Quis ergo poterit salvus fieri? Aspiciens autem IESVS dixit illis: apud homines impossibile est: apud DEVM autem omnia possibilia sunt.* Ideo etiam S. Paulus

Phil.

Phil. 4. v. 13. inquit: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Et S. Petrus Epist. 1. c. 5. v. 10. *DEVS autem omnis Gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam Gloriam in Christo IESV, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.* Et rursum S. Paulus ad Phil. 2. v. 13: *DEVS est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona Voluntate.* Iste dedit rudibus piscatoribus Scientiam, ut fierent Doctores totius mundi; timidis dedit Fortitudinem, ut auderent stare ante Reges & Præsides; imperfectis dedit *Virtutem supervenientis Spiritûs Sancti.* Act. v. 8. *Et Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis IESV Christi Domini nostri: & Gratia magna erat in omnibus illis.* Act. 4. v. 33. Sic faciet & nos Piscatores hominum.

MEDITATIO CCXXIX.

De Energumeno Liberato.

Marc. 1. Luc. 4.

PUNCTUM I. Cùm prædictos quatuor Discipulos Christus adjunxisset sibi, teste Marco c. 1. v. 21. cum illis ingressus est Capharnaum in Templum ad docendum. *Et erat in Synagoga eorum homo in spiritu immundo* (id est, in potestate Spiritûs immundi, eum obsidentis) *& exclamavit, dicens: quid nobis & tibi IESV Nazarene: venisti perdere nos?* Marc. 1. v. 23. Considera, quantum sit odium Diaboli adversùs hominem, ut quamvis perditissimus sit, tamen tunc tantùm se perditum æstimet, si impediatur nocere homini. Unde colliges, quantum tibi ab ejus perpetuis insidijs, & nocentissimis suasionibus cavere debeas,

hortante

hortante Petro Epist. 1. c. 5. v. 8. *Sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret: cui resistite fortes in Fide.* Quia tamen ex hoc ipso odio facilè conijcere est, Angelorum Beatorum, ac Tutelarium longè majorem esse erga homines Amorem, & erga eosdem longè maximùm esse Amorem ipsius DEI; hinc patet, quantâ Fiduciâ, & simul Vigilantiâ Diabolo resistendum sit: ideo S. Petrus dixit: *Cui resistite fortes in Fide.* Præterea considera, quomodo sibi Diabolus timeat à Præsentia DEI, & quomodo ejus vires elidantur, quando DEVS præsens nobis est per auxilium suæ Gratiæ, & quando nos ipsi DEVM nobis præsentem statuimus, & in ejus conspectu nos versari credimus. Dic ergo cum Job. c. 17. v. 3. *Libera me Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* Et cum David Ps. 26. v. 3. *Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùs me prælium, in hoc ego sperabo.*

PUNCT. II. Diabolus etiam clamavit: *Scio, qui sis, Sanctus DEI. Et comminatus est ei JESUS, dicens: obmutesce; & exi ab homine.* Marc. 1. v. 24. Sicut Diabolus falsò dixit: *Scio*: cùm tantùm habuerit gravem conjecturam; & sicut laudavit Christum animo invido, inimico, & non sincero, tantùm ne sibi noceretur; ita communiter homines solent laudare eos, quos & quorum res non satìs noverunt, idque animo non sincero, ad proprium aliquod emolumentum obtinendum, vel incommodum avertendum. Unde æquè parùm debemus appetere, aut recipere, aut æstimare illorum laudem, quàm Christus laudem à Diabolo profectam. Cave autem, ne Christus, ac

DEVS etiam à te contemnat laudari, & dicat: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Ps. 49. v. 16. & 17.

PUNCT. III. *Et discerpens eum Spiritus immundus exiit ab eo.* Marc. 1. v. 26. *Et cùm projecisset illum dæmonium in medium, exiit ab illo, nihilque illum nocuit.* Luc. 4. v. 35. Sic tentator animam affligere, ac tristitia etiam prosternere potest; nocere non potest, nisi volenti. In Diaboli obedientia considera, illum quidem statim paruisse Christo, sed voluntatis tamé reluctantis indicia dedisse. Pudeat itaque te, si Diabolus te Obedientiæ celeritate superet; vel si non superes Diabolum Voluntatis promptitudine ac Conformitate cum Voluntate Superiorum: aut si contra eos, & contra mandata eorum impatientiæ aut indignationis signa edas, sicut iste Diabolus.

MEDITATIO CCXXX.

De Socru Petri sanata.

Marc. 1. Luc. 4.

PUNCTUM I. *Et protinus egredientes de Synagoga venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Iacobo & Joanne: Decumbebat autem socrus Simonis febricitans, & statim dicebant ei de illa.* Marc. 1. v. 29. Lucas ait: c. 4. v. 38. *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogaverunt illum pro ea.* Considera, an non Anima tua teneatur multis, & magnis febribus? febres solent alternante immodico frigore & æstu corpus affligere. Immodicum frigus Animæ est defectus fervoris in

Oratio-

Oratione, remissio Amoris DEI, vel Proximi; quo fit, ut in Cultu Divino, & in functionibus obeundis minùs ferveas. Calor & æstus immodicus est nimius amor proprius, & si irâ facilè exardescas. Pro hujusmodi magnis febribus curandis necesse inprimis est, ut agnoscas esse *magnas*, id est, periculosas Animæ & valde molestas, ac difficulter curabiles. Unde ingens concipiendum est desiderium recuperandæ sanitatis: adeóque etiam *statim* invocandus Medicus, nempe Christus DEVS per SS. Patronos; veluti apud ipsum Discipuli pro Socru Petri intercesserunt. Et quia Christi Personam etiam gerunt Superiores ac Patres Spirituales: statim illis de hujusmodi magnis febribus dicendum est, & auxilium ab ipsis petendum.

PUNCT. II. *Et stans super illam* (id est stans, & inclinans se ad illam) *imperavit febri, & dimisit illam.* Luc. 4. v. 39. Marcus ait. c. 1. v. 31. *Et accedens elevavit eam, apprehensa manu ejus: & continuò dimisit eam febris.* Ecce modum sanandi febres. 1. Insistendum est, & intendendum in ægrum, febresque diligenter observandæ à Medico, nempe propriæ vel alterius Animæ curam gerente. 2. Per Verba illa: *Imperavit febri*, vel ut in Græco legitur, *increpavit febrem*; indicatur, febrim Animæ (non hominem) increpandam, & pro potestate, ac magna cum efficacia pellendam esse, si nimirum ejus gravitas ostendatur, ac reprehendatur; ita tamen, ut subditus non tam se, quàm febrim suam increpari, ac persecutione quadam infestari advertat. Sic etiam quisque suam febrim increpet, & gaudeat, si à DEO increpetur, ostensa sibi ejus gravitate, ac periculo. 3. Per apprehensionem

manûs intelligitur suppeditatio auxiliorum, & mediorum ad cooperandum: noli ergo retrahere manum, eam apprehendere volenti: sed acceptando media & auxilia, iisque cooperando manum tuam apprehendi permitte. 4. Elevanda est mens à molli lecto temporalium rerum ad Amorem Cælestium, & ad DEVM. Hac ratione, quantumvis multis & magnis febribus tenearis, DEI Gratiâ facilè sanaberis: & si Christus hanc Gratiam sanitatis dedit socrui Petri sequentis ipsum; quantò magis dabit illi, qui ipse Christum sequitur?

PUNCT. III *Et continuò surgens ministrabat illis.* Luc. 4. v. 39. Si socrus propter unicum Beneficium redditæ sibi sanitatis Christo, & Discipulis ejus tam promptè ministravit, quantò magis propter innumera & maxima Beneficia DEO, ac Proximis libenter inserviamus, & acceptas à DEO vires tam corporis, quàm animi etiam ad ipsius Obsequium impendamus?

MEDITATIO CCXXXI.

Christus multis ægris & energumenis liberatis, in deserto orat. Marc. 1.

PUNCTUM I. *Vespere autem facto, cùm occidisset Sol, afferebant ad eum omnes malè habentes, & dæmonia habentes: & erat omnis civitas congregata ad januam, & curavit multos &c.* v. 32. Lucas ait. c. 4. v. 40. *At ille singulis manus imponens, curabat eos.* Ecce, nullum tempus & locus est importunus Christo; nec de die tantùm, nec in Templo tantùm, sed semper, & ubique paratus est benefacere,

cere. Imò notandum est, quòd tempore vespertino ægri & energumeni curati sint, & adducti ad Christum. Deferamus & nos tempore vespertini Examinis Animas nostras ad Christum, ut eas à morbis, ac dæmonis vexationibus liberet. Ad januam domûs collata hæc Beneficia confirmant, quàm verè dixerit Christus Luc. 10. v. 9. *Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.* Quòd si Christus tam promptus & beneficus fuit erga deportatos ad januam sui hospitij, qualis erit erga Religiosos & Servos suos, qui non tantùm ad lanuam Christi deferuntur, sed in Domo & Atrijs ejus habitant, ut illi fideliter & constanter velut Domestici ejus inserviant. Tropologicè per Ianuam Domûs Christi designatur Ea, quæ ab Ecclesia appellatur *Porta Cæli*; ad hanc quotquot congregantur, Christus singulis manus imponens curabit eos.

Punct. II. *Et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum, ibique orabat.* Marc. 1. v. 35. Ecce, quomodo Christus vehementissimè occupatus curâ Animarum, sibi quærat aptum tempus & locum orandi. Quare nunquam ita negotijs te distrahi sinas, quò minùs pro Salute propria Exercitationes tuas Spirituales debita cum attentione ac Devotione peragas, præsertim Meditationem matutinam, maturè à somno te proripiens, ne deinde alijs negotijs impediaris. Locum & tempus aptissimum Orationi dari oportet.

Punct. III. *Et prosecutus est eum* Simon (Petrus) *& qui cum illo erant. Et cùm invenissent eum, dixerunt ei: quia omnes quærunt te.* v. 36. Dixerunt: *Omnes*: id est, ingens multitudo. An tu etiam es inter illos,

qui Christum quærunt, & propter Christum quærunt? vel es inter illos, de quibus S. Paulus Phil. 2. v. 21. ait: *Omnes, quæ sua sunt, quærunt; non, quæ sunt JESU Christi?* Cæterùm & tu tale de omnibus judicium, bonámq; opinionem habeas, qua de omnib⁹ laudabiliter loquaris; & sentias, quòd omnes Christum quærant.

MEDITATIO CCXXXII.

De Christo ex navicula docente, & de miraculosa captura piscium.

Luc. 5. à v. 1.

PUNCTUM I. Etsi quidam putent, hanc narrationem esse eandem cum ea, quam Matthæus c. 4. à v. 18. & Marcus c. 1. à v. 16. recenset; communior tamen, & longè verior opinio est, esse diversam narrationem; & Vocationem quatuor Discipulorum ad capiendos homines pro piscibus, non hîc primùm factam, sed confirmatam esse. Considera ergo verba Evangelistæ Lucæ: *Factum est* (dum scilicet Christus post Orationem in deserto Galilæam docendo peragrat, ut in fine præcedentis capitis dictum est) *Cùm turbæ irruerent in eum, ut audirent verbum DEI, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, ut lavarent retia. Ascendens autem in unam navim, quæ erat Simonis, rogavit eum, à terra reducere pusillùm, & sedens docebat de navicula turbas.* Nempe qui à terra sive ab amore rerum, ac finium terrenorum non est remotus, in hunc turbæ irruunt; dum vel immoderatè, vel nimis anxiè curam alienæ Salutis gerit, solùm ut

gra-

gratitudinem, laudem, applausum &c. reportet: qui verò nihil terrenum quærit, is pacatè & tranquillè omnia peragit, & quasi sedens ex navicula à terra reductus, turbam importunam docet, sine propria animi inquietudine. Sis ergo semper à terra reductus cum Christo: qui etiam Superioribus potestatis suæ moderandæ pulchrum Exemplum dedit, non pro plenitudine Dominij imperans Petro, sed rogans eum, à terra reducere pusillum. Imò etiam piscatores prædicti imitandi sunt; cùm enim reti nostræ Conscientiæ, dum hominum piscationi vacamus, multa excrementa terræ, vel frutices soleant adhærere; ideo post piscationem peractam descendere debemus, & lavare retia nostra per Spiritualem Recollectionem, deflentes defectus in piscatione commissos, & animo dimittentes varia phantasmata, & vanitates sæculares ex conversatione cum Sæcularibus sensim contractas.

Punct. II. *Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon dixit illi: Præceptor per totam noctem laborantes, nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam.* à v. 4. Quia homines piscatione capere, non est artis aut virtutis humanæ; ideo in altum pelagus Divinæ Misericordiæ, & Meritorum Christi, quæ exhauriri non possunt, per Diffidentiam nostrî, & Confidentiam in Deum ducere naviculam & retia nostra debemus; quos duos affectus insinuavit responsio Petri. Ex eadem etiam colligitur, quàm ad functiones nostras utiliter peragendas proficua sit Subjectio nostri judicij, quantumvis in experientia fundati,

dati, atque Obedientia Superioribus in suscipiendis, atque modo præscripto perficiendis functionibus præstita.

Punct. III. *Rumpebatur autem rete eorum.* In alia piscatione plurimorum & maximorum piscium (scil. 153) post Christi Passionem peractâ, Joannes c. 21. v. 11. dicit: *Et cùm essent tanti, non est scissum rete*; nempe quia in Verbo & Virtute Meritoria Christi utraque vice laxatum est rete. Prima vice ruptio designabat necessariam adhuc separationem Animæ à Corpore; integritas verò secunda vice stabilem Unionem per Resurrectionem indicabat. Sic omnis nostra piscatio, & felix successus nostrarum actionum tribuendus est Virtuti Christi, cui per Mortem & Resurrectionem data est omnis potestas. Cura quoque, ut Virtute Meritorum Christi, jam immortalis & incorrupibilis redditi, rete tuum non ampliùs rumpatur; nempe ut in captura piscium nihil humanæ fragilitatis admittas; & ut, quos cepisti, etiam conserves, neque velut rupto reti elabi sinas per mala vitæ tuæ exempla.

MEDITATIO CCXXXIII.

De eadem Piscatione.

Luc. 5.

Punctum I. *Et annuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent, & adjuvarent eos. Et venerunt, & impleverunt ambas naviculas, ita ut penè mergerentur.* à v. 7. Ecce, solo annutu in auxilium vocati adsunt, & promptè ac amanter conjunctæ operæ æqualem fructum

ctum capiunt. Sic parati & prompti esse debemus ad omnem nutum, ut alijs gratificemur, & quavis in necessitate succurramus. Sic unione, ac consensione animorum, ingens Animarum captura facienda est: cavendum tamen à periculo, ne præ multitudine capturæ, nos ipsos perdamus, & mergamur per nostrî negligentiam, & elationem de rebus præstitis.

PUNCT. II. *Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua JESV, dicens: exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant in captura piscium, quam ceperant. Similiter autem Jacobum & Joannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem JESVS: noli timere: ex hoc jam homines eris capiens.* à v. 8. Sic ex felici rerum successu non tantùm non extolli, sed humiliari debemus, tanquam indigni auxilio, quo DEVS nobis dignatur præsens assistere; ne per nostram ingratitudinem graviùs ipsum offendamus. Sicut tamen Divinâ Assistentiâ rectè nos judicamus indignos, ita etiam ejusdem indigos nos agnoscamus; ideo S. David Ps. 72. v. 28. inquit: *Mihi autem adhærere DEO bonum est: ponere in Domino DEO Spem meam.* Unde, quantum in nobis est, illam DEI Assistentiam non debemus ipsi deserere; sed dignos nos judicare, qui deseramur à DEO. Propterea S. Petrus dixit: *Exi à me Domine.* Quò autem nos coram DEO magìs humiliamus, eò majora nobis præstabit, ut patet ex Christi consolatorijs verbis, ac promissis. Ex ijsdem etiam colligitur, post agnita, & Confessione deleta peccata, non ampliùs anxiè timendum esse; Charitas enim infusa foràs mittit timorem.

PUNCT. III. *Et subductis in terram navibus, reli-*

Eis omnibus secuti sunt eum. v. 11. Sicut quatuor Discipuli ex navibus & piscibus sibi nihil juris ac dominij reservârunt, sed omnia socijs, ac domesticis reliquerunt; sicut jam in prima Vocatione omnia deseruerant, solummodo ad usum & exercitium piscatoriæ suæ artis quandoque revertentes (uti etiam post Resurrectionem Christi. Joan. 21. leguntur reversi esse) ita etiam ex captura hominum nihil nobis reservare debemus, non remunerationem, non gratitudinem, non laudem, non plausum captantes, sed Christum sequentes, ac cum S. Paulo ad Phil. c. 1. v. 21. ex animo dicentes: *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Nempe in hac vita sufficit mihi ejus Beneplacitum, & Gratia: finita autem hujus vitæ navigatione & piscatione, nempe subductis in terram navibus, & relictis omnibus, quæ in terra habuimus, sufficit mihi per mortem sequi Christum in Cælesti Gloria.

MEDITATIO CCXXXIV.

De Sedata maris tempestate.

Matth. 8. Marc. 4. Luc. 8.

PUNCTUM I. Cùm Christum in deserto, quò orandi gratiâ summo manè secesserat, turbæ requisivissent, & invenissent, teste Luca c. 4. v. 42. non passus est ab illis, quantumvis rogantibus, se detineri, quò minùs reliquam Galilæam peragraret, ut suprà meditati sumus. Aliquando itaque à Discipulis transfretum se vehi jussit: *Et ipse ascendit in naviculam, & Discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt. Et navigantibus illis obdormivit.*

Et

Et descendit procella, & venti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur. Luc. 8. v. 22. S. Matthæus c. 8. v. 24. inquit: *Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse verò dormiebat.* Sic etiam illi, qui Christum in Anima sua, utpote in Gratia constituti, præsentem habent, à descendentibus (id est, per providentissimam Dei Dispositionem sibi evenientibus) adversitatibus, & tentationibus nunquam securi sunt, sed quamdiu in vita sunt, in mari sunt, tempestatibus obnoxio; solíque Christo licet dormire, ac securo esse. Quàm facile tamen est, dormientem à somno excitare; tam facile est, ab illo opem impetrare: proinde imitemur Discipulos Marc. 4. v. 38. *Et excitant eum, & dicunt illi: Magister, non ad te pertinet, quia perimus?* Et Matth. 8. v. 25. *Et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus.*

Punct. II. In prædictis verbis duo ponderanda sunt. Inprimis magnam nobis ingenerant Fiduciam illa verba: *Ad te pertinet.* Nam utique ad Christum pertinet, ne pereamus; quia pro Salute nostra Sanguinem suum fudit, & infinitum pretium persolvit: ad ipsum etiam pertinet, ne Honore Dei neglecto, à Servitute ipsius deficiamus; itaque in tentatione constitutus cum Fiducia dic ex Psalmo 12. v. 5. *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus: prævalui adversùs eum.* Alterum, quod ex priori consequens est, ne in tentatione pusillanimes, ac nimis timidi statim dicamus: *quia perimus*: mox enim à Christo ob similem timorem, ac diffidentiam in Devm reprehensi sunt Discipuli: *Quid timidi estis? necdum habetis fidem?* Marc. 4. v. 40. Tu ergo pulso metu nimio, confide Deo, certò promitten-

ti

ti Ps. 90. *Clamabit ad me, & Ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.*

PUNCT. III. *Tunc surgens imperavit ventis, & mari: & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: qualis est hic; quia venti & mare obediunt ei?* Homines, qui hoc dixerunt, erant illi, qui in alijs navibus communi periculo liberati sunt: nam, ut inquit Marcus 4. v. 36. *Et aliæ naves erant cum illo.* Ex his verbis Colligitur. 1. Sicut post victas procellas & ventos facta est tranquillitas magna in mari; sic post superatas tentationes fieri in Conscientia tranquillitatem magnam, propter testimonium bonæ Conscientiæ. Colligitur. 2 Quòd, sicut, quando liberi sumus à tentatione, nunquam debemus esse securi & incauti; sic quando cum tentationum procellis luctandum est, speranda sit tranquillitas magna: talis enim semper datur vicissitudo, & alternatio. Colligitur. 3. Cùm mare & venti contra naturam suam obediverint Christi imperio; neminem posse naturæ suæ vehementiam, vel rei præceptæ arduitatem in excusationem ampliùs adducere, quando se difficilem præstat Superioribus. Colligitur 4. Sicut ij, qui Christum nondum, qualis esset, agnoverunt, post obedientiam autem à ventis & mari ipsi præstitam pluris eum æstimârunt; sic DEVM ex nostra Obedientia, præsertim in rebus naturæ nostræ adversantibus, apud alios glorificandum esse. Itaque disce à ventis celeriter, & à mari tranquillè obedire, sciens, qualis sit ille, cui obedis.

MEDI-

MEDITATIO CCXXXV.

De duobus Energumenis liberatis.

Marc. 5. v. 1. Matth. 8. v. 28. Luc. 8. v. 26.

PUNCTUM I. *Et venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum. Et exeunti de navi ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque catenis jam quiſquam eum poterat ligare: quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus dirupiſſet catenas, & compedes diminuiſſet, & nemo poterat eum domare, & ſemper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, & concidens ſe lapidibus.* Marc. 5. à v. 1. Addit S. Lucas. c. 8. v. 27. *Et veſtimento non induebatur.* Energumenus iſte eſt imago hominis, gravibus peccatis obſtricti, nudi, & exuti veſte Animæ ſuæ, nempe Gratiâ; gaudentis ſocietate mortuorum, hoc eſt, carentium vitâ Gratiæ; fugientis proborum converſationem, compedes & catenas, id eſt, graves etiam obligationes Divinorum Præceptorum rumpentis, & obduratione in peccatis, velut lapidibus ſe concidentis ac affligentis. Huic maximè intolerabili homini, & integræ communitati hominum, præſertim bonorum, graviſſimo, ac proptera à duobus Evangeliſtis unicè memorato, addit S. Matthæus alium; qui ſaltem imago eſt hominis immorigeri, nec Superiorum juſſis morem gerentis, quique querelis, murmurationibus, detractionibus, contentionibus, oblocutionibus facilè quoſque invadit, & cui præſertim in Religioſo Cætu difficile eſt convivere: ideo inquit S. Matthæus c. 8. v. 28. *Occurrunt ei duo, habentes*

tes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita u nemo posset transire per viam illam. (Ipsi tamen propte propinquam morum similitudinem, ut etiam inte perversos fieri amat, inter sese conveniebant, a conspirabant) *Et ecce clamaverunt dicentes: quid nob & tibi Fili DEI: veniſti huc ante tempus torquere nos?* Marcus v. 28. etiam dicit, ante Christum procidisse & ne se torqueret, rogâsse: quibus similes sunt, qu coram Superioribus se humiliant, ne corrigantur, & ut in vitijs esse, ac manere sinantur. Horum itaqu hominum miserrimus, atque ipsis & toti Commu nitati molestissimus status animo perpensus, mo veat te, ut neque ipsos tu imiteris; neque alios, quan tum in te est, in eo manere sinas; sed quia eorum co versatione & correctione Diabolus se perdi, & to queri fatetur, hanc ipsam de Diabolo ultionem si mas, sæpius tentationibus suis te torquentem.

Punct. II. *Et interrogabat eum: quod tibi nom est? & dicit ei: legio mihi nomen est, quia multi sumu* Marc. v. 9. *Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in byssum irent.* Luc. 13. *Et deprecabantur eum Spiritus, d centes: mitte nos in porcos, ut in eos introëamus. Et conces eis statim* JESVS. *Et exeuntes Spiritus immundi introiêru in porcos, & magno impetu præcipitatus est grex in mare duo millia, & suffocati sunt in mari.* Marc. v. 13. I multitudine dæmonum in utroque homine congr gatorum colligitur, contra quàm multos invisibil hostes pugnandum nobis sit, quantum eorum odium adversùs hominem, ut si homini nequeant saltem rebus ejus noceant. Itaque magnâ diffide tiâ tuijpsius, & Confidentiâ in Devm, in Angel & in Sanctos Auxiliares, vigilanter, & constant

cer

certa bonum certamen: & ut hostes tuos quasi proprijs eorum armis, vel consilijs vincas, considera, quid pro evitanda Inferni abysso tibi faciendum vel patiendum sit; cùm videas, ipsos dæmones superbissimos pro modica dilatione ante Christum prosterni, & pro gratia habere, si sinantur saltem in turpissimis porcis habitare, qui antè volebant exaltare Solium suum super Astra Dei. Isaiæ 14. v. 13. Considera etiam, ad quàm turpia desideria deveniant illi, qui cùm possent, & deberent semper gaudere in Deo, & de Deo, & propter Devm, ad creaturas convertuntur, & gaudium ac desiderium suum ad vilissimas creaturas transferunt, quemadmodum dæmones ad porcos, vel quemadmodum filius prodigus ad siliquas porcorum.

Punct. III. *Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, & de eis, qui damonia habuerant. Et ecce! tota civitas exiit obviam JESV, & viso eo rogabant, ut transiret, à finibus eorum.* Matth. 8. v. 33. Addit S. Marcus, c. 5. v. 15. *Et veniunt ad JESVM, & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedentem, vestitum, & sanæ mentis, & timuerunt.* Et. v. 17. *Rogare cæperunt eum, ut discederet à finibus eorum. Cúmque ascenderet in navim, cæpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, ut esset cum illo, & non admisit eum: sed ait illi: vade in domum tuam ad tuos, & annuncia illis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tuî.* Ecce! Gerasseni pluris æstimantes damnum temporale suorum porcorum, quàm ingens Beneficium duobus miseris hominibus, totíque communitati collatum, ac per Christi prædicationem & Miracula conferendum, metu novi damni temporalis, Christum

Filium

Filium Dei ab ipsis dæmonibus proclamatum, à se repellunt, dum rogant, & impetrant ejus discessum. O quoties tu propter commoda tua, & res vilissimas, à te Devm, Bona Cælestia, Illustrationes Divinas &c. repulisti! quoties nociva petivisti! & felix, si non impetrâsti! Et rursum felix es, quia petisti, ac inpetrâsti, ut esses cum Jesv in ejus Servitio, & Societate; quod non solùm præfato homini sed innumeris alijs dignioribus, & aptioribus, atqui in Virtutis stadio ampliores progressus facturis negatum est.

MEDITATIO CCXXXVI

De Paralytico sanato.

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

Punctum I. *Et ascendens in naviculam transfretavit & venit in civitatem suam* (id est Capharnaum, Praedicationis suæ sedem præcipuam in Galilæa, ut patet ex S. Marco c. 2. v. 1.) *Et ecce! afferebant ei paralyticum in lecto.* Matth. 9. v. 1. Quod, quomodo factum sit, describit S. Marcus v. 2. *Auditum est, quòd in domo esset, & convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferentes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cùm non possent offerre illi præ turba, nudaverunt tectum, ubi erat: & patefacientes submiserunt grabatum, in quo paralyticus jacebat.* Paralyticus, usu membrorum destitutus, designat hominem, non utentem membris suis, & viribus ad bene operandum. Ad hujus emendationem cooperantur quatuor bajuli, quorum mo-

mor-

moriâ demittimur, humiliamur, & ad pedes JESV prosternimur, ut veniam peccatorum, ac teporis emendationem nobis largiatur, útque ad bona opera agiliores reddamur. Primus est Mors certissima, tempore incerto, & forsan brevi eventura. Secundus, Extremum Judicium, in quo temporis, & talentorum neglectorum erit reddenda accurata ratio, & omnes etiam justitiæ nostræ judicabuntur. Tertius, Pœnæ Inferni, quas sæpe promeriti sumus, & quarum remissionem nunquam satis grati ullis operibus exolvemus. Quartus, præmium Regni Cælorum, cujus *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram Gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Rom. 8. De his diligenti memoria recolendis admonet nos Sapientissimus Ecclesiasticus cap. 7. v. 40. *In omnibus operibus tuis memorare Novissima tua, & in æternum non peccabis.*

PUNCT. II. *Cùm autem vidisset JESVS Fidem illorum, ait paralytico: fili, dimittuntur tibi peccata tua. Erant autem illic quidam de Scribis sedentes, & cogitantes in cordibus suis: Quid hic sic loquitur? blasphemat. Quis potest dimittere peccata, nisi solus DEVS? Quo statim cognito JESVS Spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dixit illis: quid ista cogitatis in cordibus vestris?* Marci. 2. à v. 5. Tria hîc perpendenda sunt. 1. sicut Christus priùs contulit Sanitatem Animæ per dimissionem peccatorum, quàm sanitatem corporis; sic priùs illam singulari Virtutum studio procurandam, & à DEO petendam esse, quia ad Æternam Vitam conducit, & ad temporalem promerendam disponit. Ideo Christus Luc. 12. v. 31. dixit: *Quærite primò Regnum DEI, & Justitiam ejus, & hæc omnia adjcientur vobis.* 2. Considera,

per Scribas sedentes designari illos, qui non tantùm ipsi in Virtute non progrediuntur, sed in hoc se sapientes & perspicaces putant, si aliorum facta & dicta in malam partem trahere queant. 3. si ipsa Æterna Sapientia Patris siniſtra hominum judicia evitare non voluit, etiam nobis pro minimo esse debere si judicemur ab humano die, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 4. v. 3. Solùm itaque nobis cavendum est Divinis Judicis Supremi judicijs; quia ipse novit, qui cogitemus in cordibus nostris: ipse enim Scrutator cordium & renum, sive appetituum nostrorum est.

Punct. III. *Ut autem sciatis, quia Filius Hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.* Marc. 2. Vel ut vers. 9. dixit: *Et ambula.* Ti per hæc verba dicitur: *Surge* à peccatis & à langu re animi tui: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, illuminabit te Christus.* Ephes. 5. v. 14. *Tolle grabat* pravarum consuetudinum, in quibus depositus ces, & te dignum reddis vituperio Proverb. 10. v. *Qui autem stertit æstate* (tempore ad bene operandu concesso) *filius confusionis. Et ambula* de Virtute Virtutem, donec pervenias in Domum Ætern tuæ Habitationis, & impleas illud Psalmistæ Vati nium. Ps. 83. v. 8. *Ibunt de Virtute in Virtutem. Vide tur DEVS Deorum in Sion.*

MED

MEDITATIO CCXXXVII.

De Vocatione S. Matthæi.

Matth. 9. v. 9. Marc. 2. v. 14. Luc. 5. v. 27.

PUNCTUM. I. *Et cùm transiret inde* (id est à domo abiret, probabiliter extra urbem Capharnaum ad littus maris Galilææ, ubi navigia, & merces appellebant, uti colligitur ex S. Marco c. 2. v. 13.) *vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: Sequere me. Et surgens secutus est eum.* Matth. 9. v. 9. Hac consuetâ formulâ Christus ad suam Familiam vocatos sequi se jubet. Nunquam ergo satisfacies tuæ Vocationi, nisi Christum sequaris. Pudeat te, quòd homo ad telonium sedens, cognita Christi Sanctitate ex Miraculis Capharnai & alibi patratis, duobus verbis mox ad Christi Sequelam pertractus sit; & tu in Domo Religiosâ per tot Meditationes, Sacras Lectiones, Adhortationes, Illustrationes, Beneficia Divina, Sociorum Exempla &c, ad Christi Sequelam invitatus, ab eo tam longè adhuc distes.

PUNCT. II. *Et factum est, discumbente eo in domo* (scil. Matthæi, alio nomine Levi dicti, ut patet ex S. Luc. c. 5. v. 29. *Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua*) *ecce multi Publicani, & peccatores venientes, discumbebant cum JESV, & Discipulis ejus. Et videntes Pharisæi* (scil. intrantem in domum, quidque in ea factum esset, requirentes) *dicebant Discipulis ejus: quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Hoc convivio & magno quidem, indicatur, Christum

à peccatore converso ad magnum convivium adhiberi. Dicit enim in Apoc. 3. v. 20. *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipse mecum.* Quia namque Christus esurit, & sitit Iustitiam nostram (ut patet ex Joann. c. 4. v. 7. & 34. ubi Christus sitiebat Salutem Samaritanæ Mulieris, ac ejusdem, tanquam operis à Patre Cælesti sibi demandati, effectione veluti cibo reficiebatur) & quia peccator pœnitens esurit ac sitit Iustitiam suam; hinc si eam etiam operetur, Christus cœnat cum illo, & ille cum Christo. Hunc ergo semper Hospitem habeas, ut aliquando etiam te invitet ad Cœnam suam magnam. Luc. 14. v. 26. & ut gratum te exhibeas, non solùm Convivium tibi multoties facienti, sed etiam facienti ex suo Corpore & Sanguine.

Punct. III. *At* JESUS *audiens* (sive ex Discipulis mox querelam deferentibus, sive ex ipsis Pharisæis elatiori voce murmurantibus, sive auditione mentali, quâ etiam cogitationes cordium vidit) præcedenti Meditatione, scilicet visione mentali *ait: Non est opus valentibus Medicus; sed malè habentibus. Euntes autem discite, quid est: Misericordiam volo, & non Sacrificium; non enim veni vocare Iustos, sed peccatores.* Primò ergo murmurationem, ac temerarium judicium de actionibus aliorum disce cohibere, supponendo bonam illorum Intentionem, & justas causas quod Pharisæi de Christo utique supponere debuissent. Deinde iterum patet, Christum non tam esuriisse cibos sibi appositos, quàm Salutem convivarum. Hujus ergo continuo studio te pascente pasce. Denique Christus manducando cum peccatoribus docere voluit, quomodo defectus aliorum

&

& illorum peccata benignè ſupportari à nobis debeant, & ſuavi Converſatione emendari.

MEDITATIO CCXXXVIII.

De Suſcitatione filiæ Jairi.

Matth. 9. v. 18. Marc. 5. v. 22. Lucæ. 8. v. 41.

PUNCTUM I. Vix Chriſtus Phariſæis de manducatione cum peccatoribus ſe purgaverat, & adhuc ijſdem ad aliam quæſtionem per Diſcipulos Joannis propoſitam reſponderat, teſte Matthæo: *Ecce Princeps unus acceſſit* (Jairus nomine, Princeps Synagogæ Capharnaënſis, ſive unus de Archiſynagogis, ut inquiunt Marcus, & Lucas) *& adorabat eum dicens: Domine, filia mea modò defuncta eſt; ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet.* Marcus c. 5. v. 23. ait, eum dixiſſe: *Filia mea in extremis eſt. Veni, impone manum ſuper eam, ut ſalva ſit, & vivat.* Is itaque ſuſpicans, filiam ſuam, ſe iter faciente, probabiliter jam mortuam eſſe, utrumque dixit: nempe alterutrum ſub diſjunctione eſſe verum; & Fide, minùs quidem perfectâ, ac firmâ, credidit, ſolo attactu vitam vel ſanitatem filiæ poſſe reſtitui; quamvìs cùm determinate à ſervis, revertenti occurrentibus, mortuam eſſe intellexit, cæperit dubitare. *Et ſurgens JESVS ſequebatur eum, & Diſcipuli ejus.* Matth. v. 19. Cùm autem ſervi mortuam nunciarent, teſte Marco v. 36. ait Archiſynagogo: *Noli timere, tantummodo crede.* Conſidera modum inæqualem agendi, quo Chriſtus apud Joannem c. 4. v. 48. Regulum pro filio ſuo idem

similiter imperfecta Fide rogantem acriter repr
hendit; Archisynagogum verò suaviter solatur, &
Fidem adhortatur. Cum Regulo non descendit
domum ejus; cum Archisynagogo descendit. Ost
dit nimirum sapientissimus Magister, & animorum p
ritissimus Medicus, non eodem modo cum omnib
esse procedendum, sed cujusque naturam, constit
tionem, capacitatem, dispositionem esse attende
dam à Superioribus, vel à Curatoribus Animaru
Deinde erga Regulum demonstravit suam Pote
tiam, quando etiam absens ejus filium sanavit; e
Archisynagogum demonstravit suam Bonitate
quando & domum ejus accedere, & eo, quo p
tebat Archisynagogus, modo filiam vitæ ac sanit
reddere dignatus est. Perpende nunc, quo age
modo DEVS erga te usus sit; nempe quàm le
suavi, & efficaci: quomodo media Salutis defide
tuo accomodaverit: quoties te accedere sive p
internam visitationem, sive per S. Communione
dignatus fuerit: quoties Animam tuam à morte pr
servârit, vel resuscitârit. Unde ad Confidentia
Amorem, Gratitudinem, & Perseverantiam in
randa Salute Animæ tuæ, & ad Obsequium illius i
pendenda, te excita. Et majori Fide ac indiffere
tiâ ad Medicum Animæ tuæ accede, quàm dic
Archisynagogus, qui Christo modum sanandi filia
suam præscribere ausus est, dicendo: *Veni, Impone m
num tuam super eam.*

PUNCT. II. *Et veniunt in domum Archisynago
& videt tumultum, & flentes, & ejulantes multùm. Et
gressus, ait illis: quid turbamini, & ploratis? puella n
est mortua, sed dormit. Et irridebant eum.* Marc. à
38.

38. Ex tumultu, fletu, & ejulatu in morte puellæ, conijce, quid fiat in Anima, quamprimùm per peccatum moritur. Quòd si tamen citò ad Christum per Pœnitentiam récurratur, facile est, eam velut à somno suscitare. Cave tibi à tanto tumultu Conscientiæ, & à somno tam fatali: imò si tantùm dormias, & revera mortuus non sis, audi, quid tibi dicatur Proverb. 6. v. 9. *Usque quò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululum dormies, & paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: & veniet tibi, quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus. Si verò impiger fueris, veniet ut fons, messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Tu etiam, ne Christi monita irridere ausis, sicut illi, qui ex immoderato fletu & ejulatu mox in stultum risum dissoluti sunt; prout communiter ab illis fieri solet, qui suis passionibus fræna laxant, ut nunc immodicè tristentur, nunc immodicè rideant.

Punct. III. Considera modum, quo Christus puellam à mortuis resuscitavit: *Ipse verò ejectis omnibus assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant* (scil. quatuor Discipulos, ut à v. 37. dictum) *Et ingreditur, ubi puella erat jacens: & tenens manum puellæ, ait illi: puella surge: & confestim surrexit puella, & ambulabat &c.* Sic quando affectus inordinati, qui in Anima tumultum excitant, fuerint ejecti, ut vox Christi, jubentis surgere, audiri possit; & si manus nostra Auxilio Gratiæ fuerit apprehensa, & adiuta ad operationem, quâ se erigat Anima ad surgendum; mox renovabitur in nobis Miraculum puellæ ad vitam reductæ. Omni itaque diligentia in id incumbe, ne (ut hactenus te feciſſe dolebis) Deo ad te veniente, præsertim tempore

Orationis, & Meditationis per distractiones ac tu
multuantem passionum efferarum turbam Voci in
teriùs loquentis Dei ullo modo obstrepas; ne auxi
liarem manum porrigenti cooperari, & à somno sur
gere jubenti parére differas; ne etiam in pedes ere
ctus ambulare, ac in Virtute progredi desistas.

MEDITATIO CCXXXIX

De Muliere hæmorrhoissa sanata

Marc. 5. v. 25. Luc. 8. v. 43. Matth. 9. v. 2

PUNCTUM I. Christo ad filiam Jairi resuscita
dam eunte, & plurimâ turbâ de littore ma
Galilæi in proximam urbem Capharnaum ipsum c
mitante, antequam istam à se dimisisset: *Mulier, q
erat in profluvio sanguinis annis duodecim, & fuerat mu
perpessa à compluribus Medicis: & erogaverat omnia su
nec quidquam profecerat, sed magis deteriùs habebat; c
audîsset de IESV, venit in turba retrò, & tetigit Vestime
tum ejus: dicebat enim; quia si vel Vestimentum ejus tetige
salva ero.* Marc. 5. à v. 25. S. Lucas c. 8. v. 44. ait: *A
cessit retrò, & tetigit fimbriam Vestimenti ejus.* Consid
ra primò, si Mulier hæc pro sanguinis sui profluv
sistendo, constanti duodecim annorum cura, patie
ti plurimorum acerborum remediorum toleranti
omnium bonorum temporalium sumptu ac impe
dio, cum incerta, imò irrita spe tanta egit, tulitqu
quantumvis inde deteriùs haberet: quantâ consta
tiâ ac longanimitate, quantâ patientiâ ingrata qu
vis media, à Spiritualibus Medicis, & Superiorib
nec

nobis præscripta, adhibere, quámque prompti ad omnium potiùs aliarum Creaturarum jacturam faciendam esse debeamus, tantùm ut ne infinitæ Dignitatis & Valoris Sanguis, pro nobis à Filio Dei profusus, inutiliter pereat, ac diffluat? tantum autem ex illo perit, ac diffluit, quantum de auxilijs Gratiæ, per illius Sanguinis profusionem promeritis, per negligentiam nostram sine fructu elabi permittimus: cùm tamen hujus profluvij sistendi non tantùm incerta & noxia, sed certissima & efficacia remedia habeamus: cujusmodi sunt quotidianæ Spirituales Exercitationes, devotus usus Sacramentorum, fuga periculorum, usus occasionum, diligens cura, & bona Intentio in consuetis functionibus.

Punct. II. Considera, præter prædicta efficacissima media, unum etiam esse attactum fimbriæ Vestimenti Christi, cum æquali Fiducia, Humilitate, & Reverentia, sicut à Muliere peractum est. Hic autem attactus consistit in sumptione Corporis ac Sanguinis Christi sub fimbria Specierum Eucharisticarum. Vel in Imitatione externæ ac sensibilis Conversationis Christi inter homines, præsertim ultimo Passionis tempore, quæ proinde fimbriæ rationem habet. Vel in Imitatione Humilitatis Christi; qui tanquam Supremus Sacerdos, cùm indutus sit Vestimento Justitiæ, quemadmodum David Ps. 131. v: 9. ait: *Sacerdotes tui induantur Justitiam*: fimbriæ suæ, id est, Humilitatis contrectatione nos liberabit à pretiosi sui Sanguinis inutili profluvio, ne quidquam à nobis perdatur; & ab omni infirmitate sanabit, quemadmodum etiam Marcus v. 56. ait: *Deprecabantur eum, ut vel fimbriam Vestimenti ejus tange-*

rent; & quotcunque tangebant eum, salvi fiebant.

PUNCT. III. *Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus, & sensit corpore, quia sanata esset à plaga. Et statim JESUS in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat ab illo, conversus ad turbam ajebat: quis tetigit Vestimenta mea? Et dicebant ei Discipuli sui: vides turbam comprimentem te, & dicis: quis me tetigit? Et circumspiciebat videre eam, quæ hoc fecerat. Mulier verò timens & tremens, sciens, quid factum esset in se, venit & procidit ante eum, & dixit ei omnem veritatem. Ille autem dixit ei: filia Fides tua te salvam fecit; vade in Pace, & esto sana à plaga tua.* Marc. 5. à v. 29. Duplex causa fuit Christi quærendi, quis se tetigisset. 1. ut Mulieris Fides Humilitas & Reverentia, quam ipsa præstabat occultè, perfringens obstantem turbam, toti mundo inclaresceret, & sic declinata laus ipsam tantò magis sequeretur, nobisque ejus, latére cupientis, Modestia in exemplum proponeretur. 2. ut Mulier publica confessione Beneficij à DEO impetrati se gratam exhiberet. *Etenim Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem DEI revelare & confiteri honorificum est.* Tob. 12. v. 7. Ex consideratione prædictorum verborum etiam patet, cur aliqui ex contactu Christi in Eucharistia nullum, vel exiguum fructum referant; quia non timentes ac trementes tangunt, sed importunè irruunt ac comprimunt. Hinc sæpe neque Pacem, neque Sanitatem referunt. Idem contingit illis, qui Vestimentum Christi non tangunt occulta Imitatione, vel qui ad fimbriam Humilitatis se non demittunt; quam tamen vel ab hac ipsa Muliere discas, quæ sciens Beneficium ingens à Christo in se collatum, *timens & tremens* illud agnovit, ac recensuit

Quippe

Quippe semetipsum humiliantis proprium est, non extolli, sed potiùs cum timore, ac tremore Beneficium à Deo accipere, considerata propria indignitate, & ingratitudine, qua Deo peccata pro Gratijs referimus, & earum usum fructúmque negligimus.

MEDITATIO CCXL.

De duobus Cæcis illuminatis.

Matth. 9. v. 27.

Punctum I. Cùm Christus muliere Hæmorrhoissa priùs in itinere sanata, & deinde filiâ Jairi resuscitatâ, in domum suam, quam in eadem urbe Capharnao sibi ad tempus conduxerat, vel precariò concessam incoluerat, regrederetur; *Secuti sunt eum duo cæci clamantes, & dicentes: Miserere nostri Fili David. Cùm autem venisset in domũ, accesserunt ad eum cæci.* Matth. 9. v. 27. & 28. Considera, quid, & quomodo petiêrint. Id nempe petiêrunt, quo sibi nihil utilius, nihil magis necessariũ in hac vita crediderunt; certè stulti fuissent, si ab eo, quem cognitis & auditis tot Miraculis, & quidem duobus paulò antè præstitis, crediderunt posse, ac velle sibi restituere visum, ejus loco exiguam eleemosynam petiviſſent. Unde econtra nos stultè agimus, si scientes, Deum posse & velle nobis dare visum mentis, ut peccatorum turpitudinem, rerum mundanarum brevitatem ac vanitatem, Cælestium bonorum præstantiam ac perpetuitatem clarè cernamus (quo visu mentis nihil nobis est utilius, nihil magis necessarium ad vitam piè ac beatè agendam) nihilominus petamus exigua, temporalia, ac terrena bo-

na,

na, honorem scilicet, famam, laudem, æstimatio nem apud homines. &c. Circa alterum verò, quo modo petiêrint, observa 1. illos Christum secuto esse. 2. clamâsse. 3. non quemvis pro se tantùm sed communi Oratione pro se mutuò per veram Pro ximi Charitatem orâsse. 4. non destitisse, donec ei audirentur. Si iste modus ad impetrandum visu corporis tam fuit efficax; quantò efficacior erit, Christum sequaris per Imitationem, & Obedientiam implendo omnem ejus Voluntatem? *Scimus autem quia* DEVS *peccatores non audit: sed si quis* DEI *Cultor est, & Voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Joan. 9. v. 3 Si clames eo clamore, quo devotissimus David in Ps mis suis perpetuò dicit, se ad Dominum clamâsse, exauditum esse, nempe Orationis vehementiâ, qu consistit in Devotione, tui ipsius Humiliatione, Fid ciâ in DEVM? Si cum mutua animorum & votorum Unione orans, illius promissionis te participem re das? Matth. 18. v. 19. *Dico vobis, quia si duo ex vob consenserint super terram de omni re, quamcunque petier fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est: ubi enim sunt duo, tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* illius alterius, quâ DEVS constantiam Orationis re muneratur: *Si ille perseveraverit pulsans, dico vobis, non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit; propter impu bitatem tamen surget, & dabit illi &c. Et ego dico vobis; p tite & dabitur vobis.* Luc. 11. à. v. 8.

PUNCT. II. *Et dicit eis* JESVS: *Creditis, quia h possum facere vobis? Dicunt ei: Vtique Domine. Tum tet git oculos eorum dicens: secundùm Fidem vestram fiat vob Et aperti sunt oculi eorum.* à v. 28. Ecce cæci agnov runt, Christum esse Filium David, & Messiam ex ipsi

semi

semine promissum, de quo Isaias ait: c. 35. v. 4. *DEVS ipse veniet, & salvabit vos: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Noverant enim, jam impletum esse tempus mittendi Messiæ juxta Vaticinium Jacob. Gen. 49. v. 10. Eò quòd Sceptrum de Tribu Juda jam esset translatum ad Herodem alienigenam: unde jam passim exspectabatur, & propter Miracula patrata JESVS etiam credebatur esse ille promissus Filius David, quo nomine Messiam appellabant. Verùm Scribæ & Pharisæi erant cæciores his cæcis; cùm tamen essent Legis Doctores: nec credebant, nec agnoscebant Christum esse illum promissum Filium David. Sic de facto rudes homines, & in naturalibus scientijs, vel S. Scripturis cæci, sæpe magìs sunt illustrati à DEO, & saniùs judicant de rebus ad Salutem Animæ spectantibus, quàm docti. Itaque noli extolli in Sapientia & Scientia quacunque, sed Meditatione, Sacra Lectione, Humilitate, & studio Perfectionis dispone te ad recipiendas à DEO notitias Spirituales ac practicas; & esto inter illos cæcos ac rudes, de quibus Christus apud S. Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & Terræ: quia abscondisti hæc à Sapientibus & prudentibus, & revelàsti ea parvulis.* Disce etiam ex verbis Christi, & ex tactu manuum ejus, quo communiter ægros & mortuos curabat, secundùm mensuram Fidei ac dispositionis nostræ Divina nobis Beneficia obtingere.

PUNCT. III. *Et comminatus est illis JESVS dicens: videte, ne quis sciat. Illi autem exeuntes diffamaverunt illum in tota Terra illa.* Ecce occultam sanationem Hæmorrhoissæ voluit Christus publicari; Illuminationem cæcorum, & Resuscitationem filiæ Jairi voluit taceri:

taceri: priori voluit docere Gratitudinem, posterio ri Humilitatem; ut si Christus, quantum erat in se optâsset latére sua Miracula, & neque ab alijs prodi saltem nos ipsi non proderemus nostra opera lauda bilia ad vanam gloriam aucupandam.

MEDITATIO CCXLI.

De Energumeno muto liberato.

Matth. 9. v. 32.

PUNCTUM I. *Egressis autem illis* (duobus cæcis, quibus dictum est in præcedenti Meditatione *ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmonium habentu* Considera miseriam hujus hominis; Diabolus eni tenuit linguam ejus, ut neque DEO debitas Laud persolvere, neque Divina ac Spiritualia Colloqu miscere, neque corporis, neque Animæ suæ neces tates proponere, neque in dubijs consilia, neque adversis solatia requirere, neque Animæ suæ mo bos explicare, neque alios corrigere, instruere a admonere posset. Utinam non eâdem miseriâ lab res, & dicere cum Isaia debeas. c. 6. v. 5. *Væ mih quia tacui*! Cum Psalmista verò. Ps. 31. v. 3. *Quoniam t cui* (Animæ meæ morbum ex adulterio & homicid contractum) *invetêraverunt ossa mea, dum clamarem t ta die.* id est: infirmata & quasi senio debilitata su ossa mea per continuam inclamationem veniæ & a xilij pro reparatione damni, mihi ex dissimulation & taciturnitate meorum peccatorum, & mei misc statûs orti. Cura ergo, in omnibus prædictis à mu dæmonio liberari. Magis autem cave, ne in il

fis mutus, & in alijs nimis fis solutæ linguæ, scilicet ad murmurandum, conquerendum, confabulandum, detrahendum, gloriandum, contendendum &c. Audi Ecclesiasticum c. 20. à v. 5. *Est tacens, qui invenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum. Homo sapiens tacebit usque ad tempus; lascivus autem & imprudens non servabit tempus. Qui multis utitur verbis, lædet Animam suam.* Audi etiam S. Paulum ad Ephes. 4. v. 29. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem Fidei, ut det gratiam audienti.*

Punct. II. *Et ejecto dæmonio locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ, dicentes: Nunquam apparuit sic in Israël. Pharisæi autem dicebant: In principe dæmoniorum ejicit dæmones.* v. 33. Tria hic documenta accipe. 1. Ut Malevolorum obtrectationes de rebus tuis præclarè gestis patienter feras, memor, quidquid egeris, semper fore, qui siniſtrè de te, dictis, & factis tuis loquantur, & bene acta malè interpretentur. 2. Ne aliorum laudem eleves; quasi tibi decedat, quidquid laudis de Sapientia, Doctrina, Virtute &c, alijs accedit. 3. Ne, sicut Pharisæi expulsionem dæmonij, Christi Honori debitam, principi dæmoniorum attribuerunt, sic tu laudem ex dictis præclarè, factisve tuis redundantem tibi attribuas; soli enim Deo debetur Honor & Gloria.

Punct. III. *Et circuibat JESUS omnes civitates, & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* v. 35. Ecce, non obstante ingratitudine, siniſtris sermonibus, & gestorum iniquis interpretationibus, quantumvis eæ à Pharisæis, Sapientiæ, Doctrinæ, Sanctitatisque æstimationem apud vulgus habentibus

habentibus, hìc & aliàs frequenter proficiscerentur minimè propterea destitit Christus à functionibus si Officij, & Beneficijs præstandis. Sic nec tu desiste à laboribus & pijs operibus, etiamsi homines non agnoscant, sed malè loquantur.

MEDITATIONES

De Vita & Gestis Christi
Secundo Anno Prædicationis.

MEDITATIO CCXLII.

De Paralytico ad piscinam Probaticam sanato. Joan. 5. à v. 1.

PUNCTUM I. *Post hæc erat Festus dies Judæorum* (intellige secundùm longè communiorem & veram sententiã diem Paschatis, qui per antonomasiam dies Festus Judæorum dicitur, & ad quem celebrandum Christus ex Galilæa in Judæam Jerosolymas ascendit, incipiens alterum Prædicationis annum, computando illum à primo Paschate præcedentis anni, & demptis prioribus aliquot hebdomadibus) *Et ascendit JESVS Ierosolymam. Est autem Jerosolymis Probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens: in his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, exspectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundùm tempus in piscinam, & movebatur aqua, & qui prior descendisset in piscinam post motum aquæ, sanus fiebat, à quacunque detinebatur infirmitate.* Piscina hæc præfigurabat Sacramentum Baptismi, Pænitentiæ, & ipsum etiam pretiosum Sanguinem Christi Do-

mini, quo per quinque Sacrorum Vulnerum porticus diffuso, omnes languores, & infirmitates nostra sanantur. Iste verò Sacratissimus Sanguis movetur ab Angelo, quotiescunque ex ejusdem Meriti piam Motionem in animo nostro experimur; quod maximè fieri solet, quando secundùm tempus exercitationum Spiritualium descendens Angelus Custos mentes nostras commovet, & quasi fluctibus profusi à Christo Sanguinis agitat. Solùm est opus, ut magna alacritate eum nobis, & nos illi applicemus ac immergamus, cooperando internæ Motioni. Sine hac alacritate cooperationis nunquam sanaberis, sed alij ejus ope ante te sanabuntur, quacunque etiam graviori infirmitate detineantur. Pudeat ergo te, toties motum ab Angelo Custode factum neglexisse. Pudeat te ab alijs, per Religionis ingressum seriùs ad piscinam hanc delatis alacritate, & reportatæ sanitatis Beneficio præveri. Pudeat semper inter languentes jacere, & tamen Fontem Salutis ad manum habere, totiesque ab Angelo frustra moveri.

Punct. II. *Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua: hunc cùm vidisset JESUS jacentem, & cognovisset, quia jam multum tempus haberet, dicit ei: vis sanus fieri? Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut, cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam* (erat enim paralyticus, & seipsum non poterat movere) *dum venio enim ego, alius ante me descendit.* Paralysis designat teporem & languorem, quo enervatur animus ad bene operandum, & progrediendum in Virtute. Tu hoc morbo laboras, idque multo tempore, quo in Religione proximus pisci-

versaris. An non tandem vis sanus fieri? An non meritò de hac tua voluntate per interrogationem illam posses suspectus reddi, quòd nunquam seriò volueris? Certè, homine non cares, habes enim Superiores, Patres Spirituales, habes innumeros Sanctos Patronos, habes ipsum Christum, qui te in Vulnerum suorum porticus paratus est recipere, & Sanguini suo immergere. Itaque fac, ut seriò & constanter velis sanus fieri, atque à tua paralysi, ac tepore & languore animi liberari.

Punct. III. *Dicit ei* JESUS: *surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et statim sanus factus est homo ille: & sustulit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem Sabbatum in die illo. Dicebant ergo Judæi illi, qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum* (licuit autem non solùm propter dispensationem Christi, sed propter manifestandam Gloriam Dei ex plena Sanitate reddita, & pro Christo tanquam misso Messia comprobando) *Respondit eis: qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, & ambula.* Si vis & tu sanari, & quidem à languore quantumvis vetusto, conatus tibi adhibendus est in surgendo, & tollendo grabato, scilicet in tollendis causis tuæ oscitantiæ ac teporis, & in pravis habitibus extirpandis; & semper ambulandum, nunquam sistendum vel recumbendum est, usque dum ad terminum viæ hujus pervenias. Nec curandi hominum sermones, sed perficienda Voluntas ejus, qui te sanum fecit, quidquid dissentiant, vel contradicant homines. Nec dies ullus excipiendus, aut prætermittendus est, quò minùs aliquem in eo progressum facias; semper enim non solùm licet, sed etiam oportet bene facere.

MEDITATIO CCXLIII.

De Judiciali Christi Potestate.

Joan. 5.

PUNCTUM I. *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, quando mortui audient Vocem Filii DEI & qui audierint, vivent.* Joan. 5. v. 25. Cùm Judæi scandalizati essent, quòd Christus paralyticum Sabbato sanâsset, ostendit ipsis, se Filium DEI esse, & non tantùm habere Potestatem sanandi ægros, sed etiam resuscitandi mortuos, & judicandi: & jam ultimum tempus Mundi advenisse, quo ipse instituturus esset Judicium Universale, & alios vocaturus ad Vitam Æternam in Cælo beatè ducendam, & in alios laturus sententiam Judicialem æternæ damnationis. Unde v. 28. inquit: *Nolite mirari hoc, quia venit hora in qua omnes, qui non in monumentis sunt, audient Vocem Filij DEI: & procedent, qui bona fecerunt, in Resurrectionem Vitæ: qui verò mala egerunt, in Resurrectionem Judicii.* Considera, quàm ista *Mora*, & istud *Nunc* designans totum tempus intermedium, à primo Christi Adventu usque ad ultimum, breve quidem in comparatione secuturæ Æternitatis; & propter hujus comparatione omnia terrena bona & mala nihili ducenda sint; adeò, ut illa non cupias, ista pro Gloria DEI, & tua Salute non horreas. At quàm longum hoc *Nunc* est illis, qui secundùm corpora in monumentis sunt, secundùm Animas verò in tormentis, & flammis purgatorijs? Porrò quia, qui audierint Vocem Filij DEI, vivent; fac ipse precibus suffi-

ſuffragijs tuis, ut Animæ illæ hodie audiant deſideratiſſimam illam Vocem vocantis: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum.* Matth. 25. v. 34.

Punct. II. Conſidera, omnes, qui in monumentis ſunt, audituros Vocem Filij Dei, ſed non eandem. Qui bona fecerunt, audient Vocem, de qua dicent: *Vox Dilecti mei. Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Cant. 2. v. 8. *Vox Gaudij, & Vox Lætitiæ, & Vox Sponſi.* Jerem. 33. v. 11. Qui verò mala egerunt, dicent: *Vocem terroris audivimus: formido, & non eſt pax.* Jerem. 30. v. 5. Audient enim: *Diſcedite à me maledicti in Ignem Æternum.* Matth. 25. v. 41. Ne itaque audias aliquando Vocem Dei repellentis, audi nunc Vocem vocantis, præcipientis, prohibentis, conſulentis &c.

Punct. III. Conſidera, unde Chriſto Poteſtas illa data ſit: ipſe enim hoc indicat: *Sicut enim Pater habet Vitam in ſemetipſo; ſic dedit & Filio habere Vitam in ſemetipſo* (id eſt, per Generationem communicavit ipſi Naturam Divinam, quæ eſt à ſe, & eadem eſt in Patre & Filio, adeóque Filius eſt æqualis Patri, & idem Deus) *& Poteſtatem dedit ei Judicium facere, quia Filius Hominis eſt.* v. 26. Quia itaque Deus eſt & Homo, ideo habet Poteſtatem Judicis ſenſibilis, & exercendi Judicium ſenſibile. Hæc autem ratio pariat in nobis Timorem ſummum, & Spem ſummam. Timorem: quia, cùm Deus ſit, eſt Judex Omniſcius, Infinitè Juſtus, & poſt latam ſententiam inflexibilis, & nullo ampliùs tempore per totam Æternitatem mutabilis. Cùm Homo ſit, eſt aſpectu terribilis. Ideo damnandi in Apoc. c. 6. v. 16. *Dicunt montibus & petris:*

petris: cadite super nos, & abscondite nos à Facie sedenti super Thronum, & ab ira Agni: quoniam venit Dies magnus iræ ipsorum. Spem autem summam generet in nobis; quia Judex est Infinitè Misericors, & Liberalis; & propterea factus est Filius Hominis, ut homines à peccatis redimeret, Patrem Cælestem nobis placaret &c. Itaque Spes impellat, ut sis inter eos, qui bona fecerunt; Timor retrahat, ne sis inter eos, qui mala egerunt.

MEDITATIO CCXLIV.

De Discipulis Christi Sabbato spicas vellentibus.

Matth. 12. v. 1. Marc. 2. v. 23. Luc. 6. v. 1.

PUNCTUM I. *In illo tempore* (quo scilicet Christus Jerosolymis peracto Paschate, cedens etiam indignationi Judæorum, quam incurrit, quòd Paralyticum Sabbato sanâsset, & semet Filium DEI palàm professus esset. Joan. 5. v. 16. & 18. in Galilæam reversus est, comitantibus illum Discipulis, & quibusdam etiam Pharisæis, simul redeuntibus) *abiit JESUS per sata Sabbato*; *Discipuli autem ejus esurientes cœperunt vellere spicas, & manducare.* Considera hæc verba tum in sensu naturali, tum in morali. Ex naturali colligitur ingens Paupertas Christi, & Discipulorum ejus, cùm panis & pecunia pro faciendo itinere illis defecerit: Tu verò liberali viatico commoditates tuas sectaris. Discipuli fuerunt contenti solis granis, nondum in panem redactis, nullo sapore aut condimento gustum oblectantibus, nec tamen

bi unquam aliquid defuisse conquesti sunt: sed cùm à Christo in ultima Cæna interrogarentur: *Quando misi vos sine sacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil.* Luc 22. v. 35. Ne ergo tu delicias quæras, ne contra cibos, vel contra præparationem eorum unquam conqueraris. Ex morali sensu prædictorum verborum ostenditur, quanta Christi Apostoli debeant teneri fame procurandæ Salutis Animarum, non tantùm, quando ad plenam Concionem dicendum est, & messis facienda; sed etiam, quando solùm spicas aliquot vellendi occasio est, nempe auditione Confessionum, rudium Instructione, aut Conversatione privata ac familiari &c. Tunc enim nullum Sabbatum, nullus amor otij aut quietis retinere nos debet à vellendis spicis Frumenti Electorum.

Punct. II. *Pharisæi autem videntes, dixerunt ei: Ecce Discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbatis.* Matth. 12. v. 2. Imò etiam ipsi Discipulos increpârunt. *Quidam Pharisæi dicebant illis: Quid facitis: quod non licet in Sabbatis?* Luc. 6. v. 2. Noli imitari Pharisæos, sinistrè ac temerè de alijs judicando secundùm apparentiam oculorum: quemadmodum enim hæc ipsos decepit; sic & tu facilè decipieris, nisi supponas, Proximum habere legitimam causam, vel bonam Intentionem, vel bona fide sic agere, aut loqui. Neque imiteris illos, mox apud Superiores de actionibus subditorum conquerendo, vel pœnam aut reprehensionem exigendo, aut ipsos Superiores culpando, quando aliqua dissimulant; cùm hujus dissimulationis sæpe justas, & tibi occultas causas habeant. Imitare verò Discipulos, qui increpationem,

& delationem Pharisæorum patienter tulerunt, [illegible] sui excusationem Christo Magistro suo reliquerunt.

Punct. III. *At ille dixit eis: Non legistis, quid fecerit David* (1. Reg. 21. v. 6.) *quando esurit, & qui cum eo erant: quomodo intravit Domum DEI, & panes Propositionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his, qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus?* (ob necessitatis tamen casum excusabantur) *aut non legistis in lege* (Num. 28. v. 9.) *quia Sabbatis Sacerdotes in Templo Sabbatum violant* (cedendo pecora in Sacrificium, quod sine vario labore fieri non poterat) *& sine crimine sunt?* (quia fit propter Cultum Divinum) *Dico autem vobis; quia Templo major est hic.* Inde fit, ut indigentia Discipulorum meorum, sequentium me, relictis suis omnibus, magis cedat ad Honorem Dei, magisque excuset confricationem Spicarum, factam die Sabbati. Ecce Christus, ut ostendat, etiam levissimam transgressionem Legis non admittendam esse sine causa excusante, Discipulos suos non defendit per levitatem violationis, sed justam causam allegat, & ostendit, hanc à temerarijs judicibus vel agnoscendam vel supponendam fuisse ex Virtute Charitatis, Misericordiæ erga indigentes Discipulos; quæ cùm Charitate erga ipsum Deum, propter quem Proximus diligendus est, procedat, ideo addit Christus: *autem sciretis; quid est: Misericordiam volo, & non Sacrificium: nunquam condemnàssetis Innocentes. Dominus enim est Filius Hominis etiam Sabbati* (unde ex plenitudine Dominij potest ex justa causa jam allegata omittere Legem Sabbati) Apud S. Marc. c. 2. v. 27. etiam dixit: *Sabbatum propter hominem factum est, non homo propter Sabbatum.* Unde Sabbatum, cu[illegible]

dun[illegible]

duntaxat sit medium homini ad Salutem, illum intantum obligat, in quantum non impedit aliud medium præstantius, quale est, sequi Christum relictis omnibus, cum vera tum Spiritûs, tum rerum Paupertate: quam eligendo Apostoli laudabiliter se conjecerunt in necessitatem vellendi spicas. Quod de Sabbato, idem de alijs medijs, & de creaturis universim dicendum est. Non ergo creaturam ullam Finem tuum statuas; sed eatenus illis utaris, quatenus tibi serviunt ad ultimum Finem tuum. Illæ enim sunt propter te, non tu propter illas.

MEDITATIO CCXLV.

De sanata manu arida.

Matth. 12. v. 10. Marc. 3. v. 1. Luc. 6. v. 6.

PUNCTUM I. *Et cùm inde transiîsset* (Jerosolymis in Galilæam) *venit in Synagogam eorum. Et ecce homo, manum habens aridam; & interrogabant eum dicentes: si licet Sabbatis curare? ut accusarent eum.* Hanc quæstionem reassumpsit Christus, & reposuit scribis ac Pharisæis: unde inquit S. Lucas v. 7. *Observabant autem scribæ & Pharisæi, si in Sabbato curaret: ut invenirent, unde accusarent eum: ipse verò sciebat cogitationes eorum. Et ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos JESVS: Interrogo vos, si licet Sabbatis benefacere, an malè? Animam salvam facere, an perdere?* (impediendo propter Sabbatum restitutionem aridæ manûs, & Fidem in Christum evidenti Miraculo assertam, ut impedire volebant Pharisæi) Addit S. Marcus v. 5. *At illi tacebant.*

Et circumspiciens eos cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum. Considera, quemadmodum Christus observatores suos habuit, & siniſtros ac malevolos interpretes actionum licitarum, & laudabilium; sic eosdem nec tibi defore, nec fugiendos, aut iniquè ferendos esse, & propter eos nulla officia Charitatis erga Proximum relinquenda esse. Et quando illi præsentes malevolè tacent, absentes verò diffamant, falsò accusant &c, non contra ipsos ira, vel tristitia concipienda est; sed potiùs contra ipsorum propriam ruinam, & damnum, ac Dei offensam: sicut Christus non propter se, sed propter malevolorum cæcitatem ac Dei offensam iratus, & tristatus est.

Punct. II. *Ipse autem ait illis: Quis erit ex vobis homo; qui habeat ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nónne tenebit, & levabit eam? quantò magis melior est homo ove? Itaque licet Sabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit: & restituta est Sanitati, sicut altera.* Matth. à v. 11. Ecce Christus, ne etiam per bonam actionem alijs esset scandalo, vel offendiculo, priùs clara ratione demonstrat, eam non solùm licitam esse; sed simul ostendit, quanta sit celeritate occurrendum, ac succurrendum Saluti propriæ vel alienæ. Si enim non improbavit celerem opem ovi in Sabbato latam, & si salutem corporalem noluit differre in alteram diem, quamvis suspicio violandi Sabbati, & hinc orta indignatio, ac odium Judæorum dilationem suasissent: quantò minùs differenda est Salus & liberatio Animæ ab omni ægritudine? quæ vel maximè Sabbato procuranda est modo à Thoma Kempensi insinuato. l. 1. c. 19. n. 6. ubi ait: Circa Principalia Festa renovanda

da sunt bona exercitia, & Sanctorum suffragia ferventiùs imploranda. De Festo in Festum proponere debemus, quasi tunc de hoc sæculo migraturi, & ad æternum Festum perventuri. Ideóque solicitè nos præparare debemus in devotis temporibus, & devotiùs conversari, atque omnem observantiam districtiùs custodire, tanquam brevi Præmium laboris nostri à DEO recepturi. Atque iste conatus extensio manûs est, quâ ariditas sanatur.

PUNCT. III. *Exeuntes autem Pharisæi consilium faciebant adversùs eum, quomodo perderent eum.* JESUS *autem sciens recessit inde.* Matth. v. 14. Sic & tu vincere cùm possis, interdum cede sodali. Et saltem inconsultò concepta adversùs te odia, ac ingratitudines patienter sustine, cùm Christus odia ex consilio & magna deliberatione adversùs se concepta patienter sustinuerit.

MEDITATIO CCXLVI.

De Electione duodecim Apostolorum.

Luc. 6. v. 12. Matth. 10. à v. 1. Marc. 3. v. 13.

PUNCTUM I. *Factum est autem in illis diebus* (quibus iram Judæorum declinans ad mare Galilææ turbam docuit, & plurimos ægros, ac à Diabolo obsessos curavit) *exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione DEI.* Luc. 6. v. 12. Locus Orationis, nempe mons, significat ascensionem & Elevationem mentis supra omnia terrena, ita ut nihil horum distrahat, vel detineat. Tempus nocturnum denotat quietem animi ab omnibus functionibus & solicitudinibus: hæc

hæc duo vel maximè observanda sunt orantibus. Finis hujus Orationis tam prolixæ ac devotæ colligitur ex sequentibus fuisse, ut bene succederet tam grave negotium, quale est, Electio Apostolorum; licèt autem ex parte eligentis nec erroris, nec siniſtræ affectionis fuerit periculum; voluit tamen Christus nobis Exemplum dare, præmittendi Orationem ejusmodi actibus, & negotijs magni momenti: & simul indicare, quantâ ex parte eligendorum opus sit Gratiâ, Auxilijs, & Divinis influxibus ad aptè gerendum munus Apostolatûs, & ad satisfaciendum Vocationi Divinæ ad Vitam Apostolicam, & Vitam Religiosam, Apostolicæ similem: quàm proinde ipsi vocatis & electis necessaria sit devota & constans Oratio ab ijs fundenda, quâ impetrent Gratiam Vocationi suæ integrè satisfaciendi.

Punct. II. *Et cùm dies factus esset, vocavit Discipulos suos, & elegit Duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.* Luc. 6. v. 13. Horum nomina omnes tres citati Evangelistæ referunt. Addit S. Marcus v. 17. Simoni inditum esse nomen Petrus, Jacobo & Joanni nomina Boanerges, quod est, Filij Tonitrui: de Juda autem omnes faciunt mentionem, quòd factus fuerit proditor, ac traditor Christi. Isti itaque sic descriptæ Electioni duodecim Apostolorum ex reliquo numero Discipulorum (quorum adhuc fuerunt Septuaginta duo, saltem succedente tempore) factæ plena die Divinæ Sapientiæ & Providentiæ, & cum nomine Apostolorum tribuenti illis singularem Potestatem, & Gratias prorsus singulares ac eximias, similis est Electio ad statum Religiosæ Perfectionis: cujus proinde speciale, sublimèque (montis celsitudine in-

dicatum

dicatum) ac ingens Beneficium non tantùm præ Septuaginta duobus, ſed præ innumeris alijs tibi collatum, per comparationem cum Vita Apoſtolica gratus agnoſce, & ſummi æſtima, ſimúlque omnem curam & ſolicitudinem adhibe, ne aut Vocatione Divina excidas, aut illi non ſatisfacias; quem timorem incutere poterit exemplum Judæ, ab Evangeliſtis tam unanimiter propoſitum.

Punct. III. Conſidera monita ſpecialia, recèns electis Apoſtolis à Chriſto tradita apud S. Matthæum hìc c. 10. *Nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis veſtris.* v. 9. *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* v. 10. *Ecce ego mitto vos, ſicut oves in medio luporum. Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices, ſicut columbæ.* v. 16. *Et eritis odio omnibus hominibus propter Nomen meum: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.* v. 22. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, nec ſervus ſupra Dominum ſuum.* v. 24. *Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* v. 38. *Qui invenit Animam ſuam, perdet illam, & qui perdiderit Animam ſuam propter me, inveniet eam.* v. 39.

MEDITATIO CCXLVII.

Chriſtus prædicat in Monte.

Luc. 6. v. 17. Matth. 5. v. 1.

Punctum I. Poſtquam Chriſtus in monte Galilææ, ab urbe Capharnao versùs occidentem tribus milliaribus Italicis diſtante, nec procul à mari, urbéque Bethſaida diſſito, duodecim Apoſtolos elegerat:

De-

Descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba Discipulorum ejus, & multitudo copiosa plebis ab omni Judæa & Jerusalem, & maritimâ (regione) *& Tyri, & Sidonis, qui venerant, ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui vexabantur à Spiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere; quia Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Luc. 6. à v. 17.

Ex Christi pernoctatione in Oratione, & descensu de monte ad Populum, in loco campestri congregatum cognoscimus, priùs conscendendum esse montem Contemplationis, & Elevationis mentis ad DEUM per Orationem, deinde ad functiones vitæ activæ, & ad curam Salutis alienæ descendendum esse: sic enim homines sanabimus à languoribus suis, si priùs (ut Christus apud S. Lucam c. 24. v. 50. Discipulis suis dixit) induamur Virtute ex Alto; sic, siqua antè in nobis præexistat Virtus, de nobis exibit, & sanabit omnes, & quidem absque discrimine, ut æqualiter apud omnes valeamus, & omnes æqualiter apud nos valeant &c. neque potestas, neque voluntas omnes sanandi nobis desit.

PUNCT. II. Imitandum tibi etiam propone Populum, qui non solùm venit ad Christum, ut audiret eum, sed etiam, ut sanaretur à languoribus suis: iste enim fructus ex auditu & accessu ad Christum per Orationem, Meditationem, lectionem Spiritualem auditionem Verbi Divini, Sacram Communionem & Sacramentorum usum &c. referendus est: ideo non solùm omnes audiebant eum, sed etiam quærebant eum tangere: Sanitas enim Animæ non solo auditu obtinetur, sed necesse est, proximè ad Christum accedere, & manu, sive exercitatione operis ad eum

pertinge-

pertingere. Sic Virtus de illo exibit, & ſanabit te à languoribus tuis, ſi eum attentè audias, ſanitatem Animæ avidè intendas, & Imitatione operis, velut manu attingas.

Punct. II. Poſtquam Chriſtus in loco campeſtri Populo ſe tangendum præbuerat, ut ægris ſanitatem impertiretur, rurſum ipſe cum Diſcipulis eò ſaltem uſque aſcendit in montem, unde à populo conſpici & audiri commodè poterat: Matth. c. 5. v. 1. *Videns autem JESVS turbas, aſcendit in montem, & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, & aperiens os ſuum, docebat eos.* Addit S. Lucas c. 6. v. 20. *Et ipſe elevatis oculis in Diſcipulos ſuos dicebat: Beati &c.* His verbis quatuor Actiones Chriſti memorantur. Aſcenſio in montem, Seſſio, Apertio oris, Elevatio oculorum in Diſcipulos, ſedenti adſtantes. Prima denotat ſublimitatem Virtutis Chriſti, quæ facit, ut verba docentis attentiùs, ac meliùs audiantur, & Exempla ſpectabilia fructuoſiùs reſpiciantur. Itaque & tu docturus alios, ut meliùs audiaris, ac videaris, cum Chriſto aſcende in montem Perfectionis. Secunda denotat Quietem animi maximè curandam, quam Cæleſtis Doctrina in docente ſupponit, & in audiente parit. Tertia deſignat Certitudinem Doctrinæ, utpote ore Filij Dei prolatæ. Quarta inſinuat præcipui Auditoris Deſignationem, quòd nempe Diſcipuli Chriſti, & eorum Sectatores ſibi, tanquam capacioribus, potiſſimùm factas putent octo Beatitudinum promiſſiones; & proinde hi præ alijs hominibus ſibi eas comparare contendant.

MEDI-

MEDITATIO CCXLVIII.

Octo Beatitudines proponit.

Matth. 5.

PUNCTUM I. In hac prædicatione Christus totam Perfectionem hominis octo gradibus distinxit quorum quatuor ducunt ad perfectam Dilectionem DEI; alij quatuor ad perfectam Dilectionem Proximi; omnes Octo autem ad perfectam Beatitudinem hujus & alterius Vitæ. Ad perfectam Dilectionem DEI ducit. 1. Contemnere omnes creaturas, in quantum nullum ad DEVM ordinem habent, & ad ejus Possessionem obtinendam nobis minùs conducunt. Non gaudere nisi de eo, quod ducit ad DEVM: contristari de omni eo, quod abducit à DEO. 3. Vehementissimè desiderare Virtutem. 4. Et æqualiter avversari omne peccatum. Itaque aperiens Christus os suum, dixit: *Beati Pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt Justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati Mundo Corde, quoniam ipsi DEVM videbunt.*

PUNCT. II. Ad perfectam Dilectionem Proximi ducit. 1. Mansuetudo, cohibens iram tum interiorem, tum externam adversùs Proximum. 2. Misericordia dolens, impediens, & removens omne malum, & miseriam Proximi. 3. Pax fugiens omnem dissensionem, contentionem, læsionem, aversionem, æmulationem, invidiam, & quidquid nos à Proximo, vel Proximum à nobis alienare potest. 4. Ge-

nerol

neroſa, imò læta animi Fortitudo in ferendo quovis malo à proximo nobis illato. Hinc rurſum Chriſtus aperiens os ſuum, dixit: *Beati Mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram. Beati Miſericordes, quoniam ipſi Miſericordiam conſequentur. Beati Pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur. Beati, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam, quoniam ipſorum eſt Regnum Cælorum. Beati eſtis, cùm maledixerint vobis, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter me: gaudete, & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in Cælis.*

Punct. III. Conſidera, octo his recenſitis Beatitudinibus ſemper promitti eandem Beatitudinem, quâ Beati in cælo fruuntur, eò quòd ſine hac nemo Beatus dici poſſit; illa enim eſt poſſeſſio Regni Cælorum & Terræ Beatæ (per Terram lacte, & melle manantem olim Judæis præfiguratæ) illa eſt Solatium lugentium, Satietas eſurientium ac ſitientium, Miſericordiæ conſecutio, Viſio Dei, Portio hæreditaria, ad quam Filij Dei vocantur. Cùm ergo extra hanc nulla alia vera Beatitudo ſit, nulla alia quærenda eſt. Ea verò rectè ſingulis enumeratis Virtutibus promiſſa eſt; quia nulla earum perfectè haberi poteſt ſine perfecto Dei Amore, quo vel Deus amatur propter ſe, vel Proximus propter Deum: in hoc enim omnes radicantur, & ex eo originem trahere debent. Incipit tamen jam in terra hæc Beatitudo poſſideri, ſcilicet per certitudinem Spei, & per quandam etiam imitationem ac participationē Gaudiorum & Solatiorum Spiritualium, & Quietis animi: quibus omnibus privant vitia oppoſita, ut conſideranti patebit.

MEDITATIO CCXLIX.

Calamitates Octo Beatitudinibus Oppositæ.

Matth. 5. Luc. 6.

PUNCTUM I. Considera, Christum quatuor Be titudinibus, quas præcedenti Meditatione ad pe fectionem Amoris Divini pertinere diximus, opp suisse totidem Calamitates. In eadem enim Conci ne, Matth. 5. & Luc. 6. relata, illis, qui non sunt Pa peres Spiritu, minatus est: *Verumtamen væ vobis divi bus, quia habetis consolationem vestram.* Luc. v. 24. N Lugentibus dixit: *Væ vobis, qui ridetis nunc: quia lug bitis & flebitis.* Luc. v. 25. Non esurientibus Justitiam *Væ vobis, quia saturati estis* (explentes mala vestra d sideria: vel vobis ipsis de justitia vestra complace tes, nec ulteriùs proficere cupientes) *quia esurie* Luc. v. 25. Iisdem apud S. Matth. c. 5. v. 20. dixit *Dico enim vobis, nisi abundaverit Justitia vestra plùs, qu Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum C lorum.* Non Mundis Corde: *Et tunc* (in die Judicij D vini) *confitebor illis: quia nunquam novi vos. Discedit me, qui operamini iniquitatem.* Matth. 7. v. 23.

PUNCT. II. Considera quatuor Miserias opp sitas illis quatuor Beatitudinibus, quæ amorem er Proximum perficiunt. Non Mitibus dixit Christ uti & non Pacificis: *Dico vobis: quia omnis, qui irasci fratri suo, reus erit judicio. Quia autem dixerit fratri su Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: re erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad Alta*

& ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens, offeres munus tuum. Esto consentiens adversario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adversarius Iudici: & Iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Matth. 5. à v. 22. Non Misericordibus dixit: *Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. v. 15. Et ijsdem apud S. Lucam. c. 6. v. 38. *Eâdem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Non Patientibus persecutionem & maledictionem hominum: *Va cùm benedixerint vobis homines.* Luc. 6. v. 26.

Punct. III. Compara nunc Judicium Christi cum judicio mundi, & considera, quàm verè Beati sint, quos Christus Beatos pronunciat: quàm Miseri verò ij, quos mundus beatos clamat. Quibus Deus, ac Christus apud Isaiam c. 3. v. 12. errorem detegens, dixit: *Populeus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* At si Christi Judicio Fidem & assensum præbemus, cum Baruch. c. 4. v. 4. dicere possumus: *Beati sumus Israël, quia, quæ DEO placent, manifesta sunt nobis:* Et cum Psalmista Ps. 93. v. 12. *Beatus homo, quem tu erudiêris, et de lege tua docueris eum.*

MEDITATIO CCL.

Christus hortatur ad bonum Exemplum Proximo exhibendum. Matth. 5.

Punctum. I. Considera, quomodo Christus enarratis

ratis octo Beatitudinibus, specialem digressionem fecerit ad suos Discipulos, dicens: *Vos estis Sal terræ quòd si Sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Matth. 5. v. 13. Hac similitudine salis, ad cibos condiendos, & carnem à putredine conservandam summè necessarij, incitare voluit Christus Discipulos suos ad Perfectionem Evangelicam octo Beatitudinibus comprehensam, summo studio sectandam; quòd omnibus hominibus in terra degentibus à Christo destinati sint in eum finem, ut suâ Doctrinâ, Exemplo, Virtutis ac Perfectionis Evangelicæ studium alijs sapidum reddant, illósque à putredine vitiorum præservent. Unde cùm propria Perfectionis vis & efficacia saliendi, Christus Discipulos ad eam adhortatus est. 1. Ex necessitate finis ipsis præfixi. 2. Ex periculo & damno proprio neglectæ Perfectionis, eò quòd ejus jactura non facilè reparetur ab iis qui in suscepto studio Perfectionis evanuerunt: & ideo tanquam servi inutiles per subtractionem Divinorum Auxiliorum à Dei Servitute, ac tandem etiam à Servorum Dei Societate repellantur, ac ab omnibus proinde hominibus contemnantur, & vilipendantur. Cùm ergo finis hominis Religiosi (imò etiam certa quadam ratione cujusvis hominis Christiani, ob communis Charitatis Vinculum) sit propria, & Proximi Perfectio, ideo sibi applicet verba Christi, & ejus necessitatem ex prædictis rationibus agnoscat.

Punct. II. Ad eundem finem Christus modo subjecit aliam similitudinem. v. 14. *Vos estis Lux mundi. Non potest civitas abscondi supra montem posita.*

que accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat Lux vestra coram hominibus, ut videant Opera vestra Bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est. Iterum his verbis Religiosi impellimur ad illuminandos alios splendore boni Exempli. 1. quia in tam perfecto & sublimi statu Religiosæ Perfectionis acquirendæ veluti supra montem, aut supra candelabrum positi sumus, mundo Spectaculum facti. 2. Quia DEVS lumen suarum Illustrationum, & notitiarum, ac Gratiarum propterea in nobis accendit, ut simus lucerna ardens & lucens omnibus, qui in Domo Religionis, & totius Ecclesiæ sunt. 3. Ut procuretur Gloria Patris Cælestis inductione aliorum ad bonorum Operum imitationem.

PUNCT. III. Quia Perfectio Evangelica non potest obtineri sine observatione Præceptorum, nec ea alijs efficaciter persuaderi, ideo Christus tum Exemplo proprio, tum Præmij Cælestis magnitudine hortatur nos ad exactissimam omnium Legum tum communium, tum propriarum observantiam, dicens: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat Cælum & Terra, Jota unum, aut unus Apex non præteribit à Lege, donec omnia fiant. Qui ergo solverit unum de Mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum: qui autem fecerit, & docuerit, Magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Matth. 5. à. v. 17.

MEDITATIO CCLI.

Iræ pœnas intentat.

Matth. 5.

PUNCTUM I. *Nisi abundaverit Justitia vestra plùs quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum. Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iratus fuerit fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. v. 20. Considera Christum, ut in sermone suo de Evangelica Perfectione, veritatem horum suorum verborum ostenderet, cùm dixit: *Nolite putare, quoniam veni solvere Legem, aut Prophetas: Non veni solvere, sed adimplere.* Matth. 5. v. 17. arguere Scribas & Pharisæos, qui antiquam Legem Moysis de non faciendo homicidio, & de pœna mortis illi per Judicem infligenda, ita ruditer interpretabantur, ut Justitiam sufficere putarent, modò ira in actum externum homicidij non progrederetur; internos vero actus iræ, & verba injuriosa, quæ ad ipsum denique homicidium disponunt, parvi pendebant. Ostendit itaque Christus, iram, quæ est appetitus vindictæ etiamsi tantùm sit interna, æquè Judicio Divino dignam esse, ac homicidium judicio humano: Et sicut apud homines gravius delictum est, quod ad plenum Concilium, sive ad Senatum Judicum avocatur; sic graviorem esse iram, & æquivalere delicto, quod Concilio dignum est, si in vocem *raca* erumpat, qu

vel solùm irati, ac per contemptum indignantis, nota est, vel etiam hominis miseri, abjecti, aut pauperis convitium significat: denique peccatum mortale esse, & gehennâ dignum, si *fatui* contumeliam ex animo inferat, quo alium per gravem injuriam & contemptum pro tali habet, aut optat haberi, vindictæ studio. Ut itaque tua Justitia abundet plùs, quàm Scribarum & Pharisæorum, non tantùm ab omni injuria, & vindicta, re & verbo inferenda, sed etiam ab omni interno appetitu vindictæ tam mortali, quàm veniali abstinè; imò etiam ab omni interna animi indignatione, & incalescentia: quia, ut Christus in eodem sermone suprà dixit: *Beati Mites, quoniam ipsi possidebunt Terram*, scilicet Beatam.

Punct. II. Perpende verba illa: *Qui irascitur Fratri suo*: continere speciale argumentum non irascendi. Quia nempe omnis homo pro fratre habendus est, cùm Devm ipsum pro communi Patre habeat: sicut ergo humani Parentes nolunt filios suos inter se irâ & odio dissidere, ita multò magis id prohibet Deus. Attamen Pacifici Filij Dei vocabuntur, quos proinde Christus in hoc sermone Beatos dixit. Hoc fraternæ Conjunctionis vinculum arctius utique est, quàm vinculum condiscipuli, quo tamen ad Charitatem mutuam copulandam usus est Christus apud Joan. c. 13. v. 35. *In hoc cognoscent omnes, quia Discipuli mei estis, si Dilectionem habueritis ad invicem.* Dilectio autem sive *Charitas non irritatur.* 1. Cor. 13. v. 5.

Punct. III. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversùm te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade*

priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres mun tuum. Matth. 5. v. 23. Ex prohibitione iræ & vind ctæ infert Christus, quòd, si per hanc frater tuus te læsus fuerit, illi sine mora sit satisfaciendum. N differas itaque, si opus erit, veniam ab illo petere vel alio modo illum placare. Hinc statim subjunx Christus v. 25. *Esto consentiens Adversario tuo citò, du es in via cum eo: ne fortè tradat te Adversarius Judici, Judex tradat te ministro: & in carcerem mittaris. Am dico tibi, non exies inde, donec reddas novissimum qu drantem.* Duas proinde rationes ad non differend satisfactionem & reconciliationem cum offen Proximo Christus proposuit; 1. Quia per culpabile moram impeditur omnis alterius boni Operis valo & æstimabilitas, & præstat potiùs oblationem gr tuitam, quàm satisfactionem debitam differri. 2. Qu pro dilata satisfactione gravis pæna in carcere Infer vel Purgatorij solvenda erit. Ad quem locum sic non est differenda satisfactio debita homini; ita m tò minùs est differenda debita Deo. Itaque dum in via, dum scilicet ad Supremum Judicem pergi per Pænitentiam & Satisfactionem expunge debi tua.

MEDITATIO CCLII.

Hortatur ad Amorem DEI & Proxi mi. Matth. 5.

PUNCTUM I. Cùm Perfectio Evangelica toto h sermone tradita, consistat in perfecto Amore D

& Proximi; Amor autem Dei in perfecta observantia Mandatorum, Amor Proximi in dilectione etiam inimicorum; ideo ad perfectam observantiam Mandatorum obtinendam hoc medium præscripsit Christus, ut quis tanto in illa studio feratur, quo malit cujuscunque sensûs oblectamento, & quavis re etiam charissimâ carere, quàm quocunque peccato, & cujuscunque Mandati transgressione se reum Gehennæ facere: & hoc est, Spirituali modo secundùm legitimum, atque à Christo intentum sensum implere allegoriam istorum verborum ejus: *Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te.* Matth. 5. v. 29. *Etsi dextra manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in Gehennam.* v. 30. Expendendus est bene hic modus loquendi; significat enim perfectam ac stabilem Custodiam sensuum, & quarumvis Potentiarum animi, ut neque levi periculo, neque levi abusui quis unquam consentiat, veluti si omnino potentiâ peccandi careret. Indicare etiam voluit Christus, si pro peccato mortali evitando deberemus malle perdere membrum charissimum; multò magis perdendum & omittendum esse actum membri peccantis; quem ipsum nemo poneret, si ex eo membrum sciretur inutile reddendum.

Punct. II. Ad perfectum Amorem Proximi, qui maximè dilectione inimicorum perficitur, Christus docuit requiri primò, ut quis paratus sit, ab illo etiam multò majora mala perpeti, quàm intulerit; antequam quis vicissim ei malum reddat etiam per judicem, odio & Spiritu vindictæ impulsus. Et hoc sensu dixit Christus: *Audistis, quia dictum est: oculum*

pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicunque te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo. à v. 38.

Punct. III. Secundò ad perfectam dilectionem inimicorum docuit Christus requiri, ut quis non tantùm ex odio & vindictâ nullum malum reddat, sed pro malo bonum retribuat. Hæc enim est Evangelica Perfectio, quâ Christus vult, ut fui Fideles superent imperfectionem antiquæ Legis, & defectus in ea toleratos etiam ab ejus Doctoribus. Ideo dixit: *Audistis, quia dictum est: Diliges Proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum* (Si enim Judæi, ut inquit Cornelius à Lapide in Matth. cap. 5. v. 43. perperam interpretabantur illum textum Levit. 19. v. 18. *Diliges amicum tuum, sicut te ipsum*; inferentes: ergo inimicus non est diligendus) *Ego autem dico vobis; Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos, ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos, & injustos. Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nónne & Publicani hoc faciunt? & si salutaveritis fratres vestros, tantùm quid amplius facitis? Nónne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester Cælestis perfectus est.* Hanc tibi in omnibus Perfectionis tuæ Ideam, Mensuram, & Regulam tepiditati tuæ oppositam statue.

MEDI-

MEDITATIO CCLIII.

Rectam Intentionem commendat.

Matth. 6.

PUNCTUM I. *Attendite, ne Justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cœlis est. Cum ergo facis Eleemosynam, noli tubà canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in Synagogis, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis: receperunt mercedem suam. Te autem faciente Eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: ut sit Eleemosyna tua in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Et cùm oratis, non eritis, sicut Hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito: & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Matth. 6. v. 1. *Cùm autem jejunatis, nolite fieri, sicut Hypocritæ tristes: exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis; quia receperunt mercedem suam. Tu autem cùm jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava; ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito; & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Matth. à v. 16. Cùm Perfectio Evangelica non tantùm consistat in evitandis peccatis, sed etiam in præstandis bonis Operibus, ideo hîc Christus tradit modum, quo præstanda sunt bona opera, & prædictis verbis docet, primam conditionem esse, ut nec alijs,

nec

nec nobis ipsis per ea intendamus placere : sed u
omnia Opera bona (quæ ad triplex prædictum genu
revocari possunt) si de se publica non sint , de quibu
suprà Matth. 5. v. 14. dictum est : *Sic luceat Lux vestra*
ut videant Opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum
qui in Cœlis est : quantum in nobis est , coram alijs oc
cultemus , imò etiam coram nobis, in ea nos per il
lorum æstimationem & memoriam non reflectendo
ut nesciat sinistra manus, quid faciat dextera. Sat
enim nobis debet esse, quòd à Deo in abscondito v
deamur , ipsíque placeamus , & quòd æternum & im
mensum Præmium ab illo recipiamus , alioquin ej
jacturam passuri , inani apud homines gloriâ pro ip
dem acceptâ. Quia verò valde periculosum est, n
hujusmodi vanæ gloriæ intentione , per inadverten
tiam subrepente , opera præstita Justitiæ honestatem
corrumpant , & nos Præmium Cæleste perdamus
ideo Christus dixit : *Attendite.*

Punct. II. *Nolite thesaurizare vobis thesauros i*
terra : ubi ærugo & tinea demolitur : & ubi fures effodiunt
& furantur : thesaurizate autem vobis thesauros in Cælo
ubi neque tinea , neque ærugo demolitur , & ubi fures non
effodiunt , nec furantur. Matth. 6. à v. 19. Confirma
Christus nova ratione , quare terrenæ laudis, hono
ris , & gloriæ thesauros per Opera bona congrega
nobis non debeamus : quia brevis, & æruginosa ho
minum memoria , seu potiùs oblivio , & edax flux
temporis tinea illos demolitur , & fures detractori
suis linguis furantur. Quæ incommoda cùm procu
absint à Cælo , ideo ad Cælestes thesauros unicè qua
rendos , ac per bona Opera multiplicandos , & auge
dos hortatur.

Punct. III

PUNCT. III. *Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt?* à v. 22. His verbis alteram Christus conditionem Boni operis indicat: nempe ut Intentio nostra sit simplicissima, unicè ad Divinum Beneplacitum ordinata: nisi autem talis sit, hoc ipso à Christo jam dicitur: *Oculus nequam.* Qui enim præter DEI Beneplacitum aliud quidpiam intendit, ignominiam facit DEO; quia nec DEVS ipsi sufficit, nec Præmium ab ipso conferendum; & ideo opus suum tenebrosum, id est, Honestatis luce destitutum reddit. Cùm ergo per opera mala DEVM quotidie offendas, & per Opera bona pro malis satisfacere debeas, attende, ne ipsa Opera bona sint mala. Quia verò hoc valde frequenter contingit, ideo etiamsi multa Opera bona tibi videaris fecisse, te humilia, & time, cum Isaia c. 64. v. 6. dicens: *Facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ universa justitiæ nostræ.*

MEDITATIO CCLIV.

Modum Orandi exponit.

Matth. 6. v. 7. Luc. 11. v. 1.

PUNCTUM I. Postquam Christus docuit Discipulos & turbam præsentem in monte, quomodo Oratio & cetera bona Opera occultè, non autem ex intentione vanæ gloriæ apud homines sibi comparandæ,

dæ, fieri debeant; tradidit illis etiam Modum & formam sequentem Orandi, quam, ut patet ex S. Luc cap. 11. v. 1. alio in loco & tempore repetivit: *Orantes autem nolite multùm loqui, sicut Ethnici. Putant enim, quòd in multi loquio suo exaudiantur.* (unde etiam parv æstimatur longa Oratio vocalis, interna Devotione & Attentione destituta) *Nolite ergo assimilari eis Scit enim Pater Vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum* (ideo non opus est multis verbis, sed magn fiduciâ, quam gerit filius erga Amantissimum Patrem conscium indigentiæ filij) *Sic ergo orabitis. Pater noste qui es in Cælis.* Matth. 6. Hoc Orationis exordium comprehendit paucis modum orandi. Debet enim Oratio fieri in statu Gratiæ, per quam adoptamur in Filios Dei, eúmque Patrem nostrum meritò appellamus, ut S. Paulus Rom. 8. v. 15. scribit: *Accepistis Spiritum Adoptionis Filiorum, in quo clamamus Abba* (Pater) Debet etiam fieri prædicta, cum fiducia filij erga Deum, ut Patrem titulo Creationis, Regenerationis, & Justificationis, sive Adoptionis. Debet quoque fieri attenta cum mentis Elevatione in Cælum; ideo licèt Deus per Immensitatem ubique sit, specialiter tamen in principio Orationis dicitur esse *in Cælis.* Propterea & Mens, & Conversatio nostra debet esse in Cælis, nec aliò debet mens evagari. Necesse insuper est, ut Deo & Proximo simus per Charitatem uniti, quæ Unio indicatur per vocem *Noster.* Unde ea, quæ per totam Orationem quis petit pro se, petit etiam pro Proximo suo, semper plurali numero loquens.

Punct. II. Præmisso exordio subjunguntur septem Petitiones, quarum priores quatuor continent

Bona

Bona, quæ petimus nobis conferri; tres posteriores continent mala, quæ petimus nobis auferri. In ipsis autem Bonis petendis rursum ordo observandus est; sicut Christus apud citatum Matth. cap. 6. v. 33. dixit: *Quærite ergo primùm Regnum DEI, & Justitiam ejus; & hæc omnia* (nempe temporalia Bona) *adjicientur Vobis.* Igitur hoc puncto considera, inprimis petenda esse ea bona, quæ primis tribus petitionibus proponuntur, nimirum purè Spiritualia, & terrenis ac Corporalibus bonis longè altiora, inter quæ primum locum sibi vendicat Honor & Gloria ipsius DEI; hinc Prima Petitione dicimus: *Sanctificetur Nomen tuum.* Id est, quidquid Perfectionum Divinarum hac Voce: *DEVS*: significatur, ab omnibus agnoscatur, verbis & factis semper laudetur, & colatur, & sic pro infinitè Sancto, seu infinitè Perfecto, omni honore ac laude digno habeatur. Quod itaque prima hac petitione DEVM precaris, hoc opere exequere, & huc omnis tua Intentio ac studium feratur, ut tum à te ipso, tum ab alijs Nomen DEI dicto modo sanctificetur, túque veluti Filius DEI Adoptivus cum Unigenito Filio ejus in fine vitæ dicere possis: *Ego te Clarificavi super terram: Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam: & nunc Clarifica me Tu Pater apud temetipsum.* Joan. 16. v. 4. *Manifestavi Nomen tuum hominibus.* v. 6. Sic mereberis etiam in Cælo cum omnibus Beatis una voce clamare: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEVS Sabbaoth: plena est omnis Terra Gloriâ ejus.* Isa. 6. Propterea mox sequitur Secunda Petitio, qua ut in Cælo Patrem Nostrum, & Nomen ejus Paternum possimus perpetuò sanctificare, & ipsi infinitæ Sanctitatis laudem accinere, rogamus, ut veluti Filij in

Hære-

Hæreditatem Regni Cælorum admittamur, dicentes: *Adveniat Regnum tuum.* Quia autem hujus Regni hæreditas non datur, nisi Filijs Obedientibus Patri, hinc statim additur Tertia Petitio: *Fiat Voluntas tua sicut in Cælo, & in Terra.* Nempe ita Perfectè, & in Constanter. Cura, ut hoc non solis Verbis, sed ipso opere etiam petas, ac impleas, &, veluti Obediens Filius DEI Unigenitus, dicere queas: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Joan. 8. v. 29. Non tantùm autem pete, ut à te, & ab omnibus hominibus fiat Voluntas DEI; sed etiam, ut à DEO fiat Voluntas ejus de te & de rebus tuis omnibus; atque adeò tam in prosperis, quàm in adversis fiat Voluntas DEI.

PUNCT. III. Præter Bona Spiritualia & Cælestia etiam nobis necessaria sunt terrena, & corporea Bona, pro ejus sustentatione, & incolumitate. Itaque subjungitur Quarta Petitio. *Panem Nostrum* (id est, Nobis convenientem) *Supersubstantialem* (id est, ut plerique Patres & Interpretes explicant, supra Substantiam hominis, sive ad Substantiam & Naturam hominis ordinatum, & ad illius quotidianam necessitatem requisitum: ideo apud S. Lucam c. 11. v. 3. substituitur clarior, & ab Ecclesia usitata Vox *Quotidianum.* Syrus textus legit *Panem indigentiæ nostræ*, Arabicus *panem sufficientem*) *da nobis hodie.* Matth. 6. 11. Circa hanc Petitionem considera, sicut homo constat Corpore & Animâ, ita ex communi doctrina SS. Patrum & Doctorum non solum Panem Corporis, nec solum Panem Animæ, sed utrumque per & Panis nomine comprehendi omnia bona necessaria. Animæ autem vel maximè est necessarius Panis Eucharisticus, vel sumptione perceptus, vel in Sacri-

cio Missæ DEO pro nobis quotidie oblatus, & Panis Verbi Divini, & internarum Illustrationum, aliorúmque auxiliorum Gratiæ, & mediorum Salutis. Corpori verò est necessarius victus, vestitus, habitatio &c. quæ omnia Panis vocabulo includuntur; sicut quando quis dicitur, labore manuum *Panem* lucrari, id est, omnia necessaria. Hinc disce, nec in cibo & potu delicias, nec in vestitu splendorem, nec alia bona inutilia, vel noxia petenda esse; hæc enim salubris Panis ad quotidianam necessitatem restricto vocabulo minimè continentur. Præterea nimiam cupiditatem habendi, & immoderatam solicitudinem in futurum reprimant geminæ illæ voces: *Quotidianum*: vel: *supersubstantialem*: &: *Hodie*: ideo inquit Christus cit. cap. 6. v. 31. *Nolite soliciti esse in crastinum.* Quibus tamen verbis non debitam providentiam, sed immodicam solicitudinem prohibet: imò si Familiæ cura tibi incumbit, & si DEI quasi personam geris, ne negligas providere Subditis, neque avarè & parcè subministres illis Panem, quem quotidie á Patre suo Cælesti supplices petunt, & quem DEVS per te illis dare paratus est. Ob eandem causam, si potes, etiam erga Pauperes libenter & liberaliter cooperetis DEO, illos enutrienti, & petitum Panem præbenti. Non enim pro te tantùm, sed etiam pro alijs Panem petiísti, & accepisti.

MEDITATIO CCLV.

Continuatio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. Inter posteriores Petitiones, quibu mala amoveri rogamus, Prima est: *Dimitte nob debita nostra, sicut & nos dimittimus Debitoribus nostr* Matth. 6. v. 12. Ultima verba S. Lucas explicat p *sicut* ponendo *Siquidem*: cap. 11. v. 4. Itaque petim quotidie, nobis peccata nostra, quibus DEVM offe dimus, remitti, & condonari, *sicut* nos, sive *siquid* & quia nos implemus conditionem illam, à Chris pro impetranda venia requisitam apud Matth. v. 1 *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum* (quibus offe si estis) *dimittet & vobis Pater vester Cælestis delicta vestra Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimit tet vobis peccata vestra.* Unde, ut Pater Cælestis a nuat Petitioni nostræ, inprimis agnoscere debem gravitatem & frequentiam quotidianam nostrorum peccatorum: nam, ut inquit S. Cyprianus de Or tione Dominica, *Ne quis sibi quasi innocens placeat, se extollendo plùs pereat, instruitur, & docetur, peccare quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare.* Jubem autem orare: *Dimitte nobis debita nostra*: Et non, sic quidam apud Matth. c. 18. v. 29. oravit: *Patientia habe in me, & omnia reddam tibi.* Gravitas enim & mu titudo nostrorum peccatorum tanta est, ut infinit Majestati læsæ ad æqualitatem satisfacere non pos mus. Ideo corde contrito & humiliato cum fil prodigo Luc. 15. v. 21. necesse habemus dicere: *Pat peccavi in Cælum, & coram te; jam non sum dignus voc fil*

filius tuus. Et sic de Paterna Clementia confidere licebit: si tamen & ipsi dimittimus debitoribus nostris. Ideo non solùm omnem rancorem, odium, appetitum vindictæ ex animo ponere oportet, sed etiam illud, quod ipse Christus Matth. 5. v. 44. monet, explere: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est: qui solem suum oriri facit super Bonos, & malos: & pluit super Justos, & injustos,*

Punct. II. Quia parùm prodesset, commissa peccata tam quoad debitum culpæ, quàm quoad debitum pœnæ Paternâ Indulgentiâ dimitti, si nos in eadem, vel in alia relabi permitteret: ideo rursus Patrem rogamus: *Et ne nos inducas in tentationem.* Quanquam enim, ut S. Jacobus in Epistola cap. 1. v. 13. ait: *DEVS intentator malorum est, ipse autem neminem tentat:* Dicitur tamen inducere, quatenus dicitur facere id, quod permittit. Itaque non quidem petimus absolutè, ut Devs tentari nos non permittat, quia tentatio sæpe utilis est ad augmentum Virtutum, præsertim Humilitatis, & Patientiæ; unde inquit citatus S. Jacobus. v. 12. *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam cum probatus fuerit, accipiet Coronam Vitæ, quam repromisit DEVS diligentibus se.* Verùm petimus, ut vel nos tentari non sinat, vel non permittat tentationi succumbere. Propterea semper cum virium nostrarum diffidentiâ, & Confidentiâ in Deum morem geramus Christo hortanti Matth. c. 26. v. 41. *Vigilate, & orate, ut non intretis intentationem:* Cujus mox subijcit rationem: *Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma.* Sic autem tentationibus resistentes, forti ani-

mo simus; ipse enim Devs apud Regium Psalten Ps. 90 ait: *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit Nomen meum: Clamabit ad me, & Ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum & glorificabo eum.*

Punct. III. *Sed libera nos à malo. Amen.* Matth. 6. v. 14. Præcipuum malum, à quo liberi esse jam antè petivimus, quando, ne in tentationem inducemur, precati sumus, & à quo hîc iterum liberari petimus, est peccatum; est tamen hæc Petitio à prior diversa, quia præterea Devm rogamus, ut à quovis alio malo nos liberet, quod verè nobis malum est; illud autem verè malum est, quod à Salute & Perfectione nostra nobis impedimento est. Unde non dicimus: Libera nos à morbis, egestate, persecutionibus &c. quia hæc sæpe nobis bona sunt, & liberatio nobis mala esset: sed Patris Cælestis Providentiæ, & Charitati nos committentes ab omni eo malo liberari petimus, quod nobis malum esse ipse novit. Itaque nostrum judicium Divino submittamus; & nostram voluntatem Divinæ conformemus, & omnem Fiduciam ac Spem nostram in Patris nostri Cælestis Sapientia ac Bonitate constituamus. Conclusionis loco ipse Christus adjecit vocabulum: *Amen*: quo, & nobis *Fiat*, quidquid tota Oratione petitum est, solennius Adverbij, & renovati desiderij compendio confirmamus. Quemadmodum etiam Orationem mentalem brevi cum Deo, & Sanctis instituto Colloquio, veluti Affectuum elicitorum Compendio, rectè concludimus.

MED

MEDITATIO CCLVI.

Curam Mundi & Carnis vitandam suadet. Matth. 6.

PUNCTUM I. *Nemo potest duobus Dominis servire* (præsertim si contraria jubeant, sicut DEVS, Mundus, & Caro) *aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis DEO servire, & Mammonæ.* Matth. 6. v. 24. Considera, si terrenus Dominus non admittit consortium alterius Domini, sed plenum & perfectum Dominium in Servum suum prætendit, & ab eo plenum ac perfectum servitium exigit; quantò magis DEVS, qui & Supremus, & Unus est Dominus, cui si totis viribus serviêris, nunquam condignum Servitium præstabis? Si autem nemo hominum id potest; quantò minùs Religiosus potest duobus Dominis servire, qui se totum DEI Servituti mancipavit, & à quo talia Servitia exiguntur DEO exhibenda, quæ directè sunt contraria Mundo, & Carni? Unde his tam parùm potes servire, si DEO servis, quàm parùm potest coli DEVS simul & idola. Quemadmodum ergo Samuel 1. Reg. 7. v. 3. ad universam Domum Israël dixit: *Si toto corde vestro revertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestrî, Baalim, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino, & servite ei soli.* Sic si toto corde per ingressum Religionis conversus es ad Dominum, aufer Deos, & dominos alienos de medio cordis tui, Mundum & Carnem; & servito DEO soli.

PUNCT. II. Considera, non tantùm DEO soli,

sed totâ curâ ac studio serviendum esse, ita, ut præter hoc nihil aliud cures in mundo: *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini.* v. 25. *Quærite ergo primùm Regnum DEI, & Justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* v. 33. Quantò magìs hac solâ curâ & solicitudine Religiosus DEO serviat, cui de omnibus alijs rebus jam est provisum, & qui curas Familiæ & rerum omnium temporalium à se abjecit? De nulla ergo amplius re solicitus sis, quàm ut DEO servias; ipse vicissim pro te solicitus erit, quemadmodum S. Petrus Epist. 1. c. 5. v. 7. scribit, & monet: *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* Multò minùs per curas à statu & munere tuo prorsus alienas, te à Servitio Divino impediri, aut distrahi sinas: *Nemo* (inquit S. Paul. 2. ad Timoth. 2. v. 4.) *militans DEO, implicat se negotijs sæcularibus: ut placeat, cui se probavit.*

PUNCT. III. Considera, quòd extra curam Divini Servitij omnis alia cura sit inutilis, & solummodo animum affligat. Inutilitatem indicavit Christus, quando dixit: *Quis autem vestrûm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Matth. 27. Afflictionem insinuavit his verbis: *Nolite soliciti esse in crastinum: crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei malitia sua.* v. 34. Ut ergo ab hujusmodi inutilibus, & molestis curis liber sis, juvat præter necessaria nihil de hoc mundo appetere, in necessarijs DEO confidere, qui pro infinita Sapientia & Bonitate sua infallibiliter providebit. Ideo rursum ait Christus

v. 31. *Nolite soliciti esse &c. Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis.*

MEDI

MEDITATIO CCLVII.

Judicium Temerarium vitandum.

Matth. 7.

PUNCTUM I. Sicut præcedente parte Sermonis à Christo dicta, spectant ad DEI Amorem in nobis perficiendum; ita, quæ hac parte Sermonis, & in hac Meditatione dicuntur, ad perfectionem Amoris erga Proximum pertinent. Dixit itaque Christus apud Matth. 7. à v. 4. *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Quibus verbis prohibet judicium temerarium de Proximo, partim promissione, partim comminatione utens. Si enim Proximum temerariè non judicaverimus, dabit nobis DEVS specialia auxilia Gratiæ, ut nihil agamus, ob quod à severo DEI Judicio aliquando metuendum sit, vel ob quod etiam mereamur siniſtra hominum de nobis judicia. Si autem temerariè judicaverimus, sinet nos DEVS in similes, vel etiam graviores defectus incidere. Ideo S. Paulus ad Rom. 2. v. 1. scribit: *Inexcusabilis es, ô homo, qui judicas; in quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.* Et apud Cassian. l. 5. instit. c. 30. fatetur Abbas Machetes, quòd, in quibus Proximum suum temerè judicârat, deinde in eadem ipse quoque inciderit. *Quibus* (inquiebat ille) *mihi manifestè compertum est, ijsdem causis ac vitijs Monachum obligari, in quibus de alijs judicare præsumpserit.* Et licèt non ijsdem specie obligaretur; obligat se tamen ipso peccato judicij temerarij, gravi, vel levi, prout est pec-

catum Proximi, & prout Judicium est magis vel m
nùs firmum, ac propter rationis levitatem magis v
minùs temerarium. Præterea invadit talis temer
rius judex Divini Judicis potestatem, cujus solius
de arcanis & occultis judicare. Idcirco admonet
Paulus 1. Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus judicare, quo
usque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita te
brarum, & manifestabit consilia cordium.* Et rectè etia
de tali Thomas Kempensis l. 1. c. 14. ait: *In ju
cando alios homo frustra laborat, sæpiùs errat, & lev
peccat.* Propterea S. Bernardus Serm. 40. in Ca
dicit: *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explo
tor, aut temerarius judex. Etiamsi perperam actum q
deprehendas, nec sic judices Proximum; magis autem excu
Excusa intentionem, si opus non potes, puta ignorantia
puta subreptionem, puta casum.*

Punct. II. *Quid autem vides festucam in oculo Fr
tris tui, & trabem in oculo tuo non vides? aut quomodo
cis Fratri tuo: sine, ejiciam festucam de oculo tuo: & e
trabs est in oculo tuo? Hyprocita, ejice primùm trabem
oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo Fra
tui.* Matth. 7. v. 3. Ecce efficacissimum remedi
contra temerarium judicium est, oculos & judicii
proprij intellectûs à Proximo ad te ipsum, & ad p
prios defectus considerandos convertere; & pri
propriæ emendationi, quàm Proximi correctioni i
tendere: interea verò se quasi cæcum æstimare,
ineptum ad judicandum alios.

Punct. III. *Omnia, quæcunque vultis, ut faci
vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim Lex
Prophetæ.* Matth. 7. v. 12. Ecce iterum novum rem
dium contra temerarium judicium. Diligere ne

pe Proximum, ſicut ſeipſum. Quemadmodum ergo velles, ut alij de te laudabiliter judicarent, & omnia in bonam partem interpretarentur; ita tu facito Proximo tuo. Et univerſim ſtatue tibi hanc Regulam diligendi Proximum tuum.

MEDITATIO CCLVIII.

Arcta ad Cœlum via, & Porta anguſta. Matth. 7.

PUNCTUM I. Videri poterat Chriſtus ſuis Auditoribus, ob difficultatem agendi, vel vitandi ea, quæ ad æternam Beatitudinem & Salutem conſequendam hactenus docuerat agenda, vel vitanda, portam & viam ad æternam Beatitudinem, & ad Salutem, nimis anguſtam aſſeruiſſe, & Doctrina ejus non minùs veritati, quàm praxi & mori communiter recepto contraria eſſe: ut itaque hanc opinionem illos dedoceret, dixit: *Intrate per anguſtam portam: quia lata porta, & ſpatioſa via eſt, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad Vitam, & pauci ſunt, qui inveniunt eam!* Matth. 7. v. 13. Nempe anguſta porta & arcta via eſt, reſtringere & coërcere liberam voluntatem per exactam obſervationem Præceptorum, per cohibitionem indomitarum paſſionum, per ſuſceptionem, & portationem Crucis quotidianam. E contrario lata porta, & ſpatioſa via ad perditionem eſt Leges liberè tranſgredi, laxare fræna paſſionibus & appetitui, voluptates & gaudia illicita ſectari. Quia verò plerique per iſtam ad perditionem, pauci

per illam ad Vitam æternam tendunt; ideo hortatu Christus suos Auditores, & nos omnes, ut non mu titudinem ducem sequamur, ne à recta via, & à por ta Cæli erremus: sed arctam viam, angustam portam & selectam paucorum Societatem, ac Exempla am plectamur. Esto ergo de numero paucorum, ut s de numero Electorum.

Punct. II. Quia nihil ferè magis homines à ve ra via avertit, quàm dicta, & facta aliorum, quibus cum velut cum amicis, ac proinde velut cum innoxi vivimus, ideo ab his monet Christus maximè nob esse attendendum, ne per illorum laxa dictamina, d vitæ licentiam, ac laxitatem ab arcta via abducamur *Attendite vobis à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in ve stimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Ve stimenta ovium sunt privata amicitia, externa quæ- dam Legum ac Regularum observatio, ipsa etiam vestis Religiosa, tegens animum sæcularem. Lupini autem rapacitas prodit se per dicta & facta, Doctri næ & Exemplo Christi minùs conformia, qui verus est Agnus, & qui proinde sequendus est, quocunque jêrit.

Punct. III. Ut verò clariùs agnoscas, à quorum imitatione tibi cavendum sit, adverte fructus, quos illorum conversatio, & modus vivendi progignit; ma læ enim arboris fructus in horto Religioso sunt L bertas murmurandi, sinistrè de alijs loquendi, de Di sciplina Religiosa conquerendi, dissensiones concit tandi &c. Neglectus Regularum, contemptus Su periorum, Obedientiæ & Charitatis fraternæ fre quens violatio, otij & commoditatum sectatio, fugi onerum, laborum, humilium officiorum &c. Ad

hujus-

hujusmodi fructus, & ad mala inde consequentia Religiosus respiciat, subsequens Christi monitum executurus: *A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona bonos fructus facit: mala autem arbor malos fructus facit.* Matth. 7. v. 16.

MEDITATIO CCLIX.

De Sanato Leproso.

Matth. 8. v. 1. Marc. 1. v. 40. Luc. 5. v. 12.

PUNCTUM I. *Cùm autem descendisset de monte* (in quem de loco campestri ad prædicandum turbæ Christum ascendisse, dixerat Matthæus) *Secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce leprosus veniens* (in aditu urbis, sive in suburbio Capharnai, cùm secundùm communem loquendi modum jam esset Capharnai: unde S. Lucas dixit: c. 5. v. 12. *cùm esset in una civitatum*) *adorabat eum*, (Addit S. Marcus: *genu flexo*, & S. Lucas etiam adjicit: *procidens in faciem rogavit eum*) *dicens: Domine, si vis, potes me mundare.* Matth. 8. v. 1. Disce ab hoc leproso, te coram DEO propter lepram tuorum peccatorum ac defectuum humiliare, & in faciem prosternere per humilem peccatorum tuorum agnitionem, & confessionem, ac detestationem. Et sic Cor contritum, & humiliatum DEVS non despiciet. Videbis autem per hanc humiliationem & cognitionem tuî, quòd tuam personam referat ille, de quo S. Lucas dixit v. 12. *Ecce vir plenus leprâ.* Unde concipies ingentem displicentiam tuî, & desiderium Sanitatis.

PUNCT. II. Considera, omnes tres citatos Evangelistas

gelistas eadem petitionis verba referre: *Domine, si potes me mundare.* Quibus partim professus est suam dem de Christi Potentia, & Bonitate, quòd et non expresè rogatus, se sanaturus sit: partim Hu litatem, quâ indignum se censuit beneficio sanita ideo non ausus est dicere: Sana me; hanc ipsam men Humilitatem sciebat esse efficacissimam dep cationem: partim ostendit Resignationem prop voluntatis in Voluntatem Christi. Tali Fiducia, Humilitate petenda est à DEO mundities à pecca sanitas autem corporis, & bona temporalia, de bus nobis non aliunde constat, quòd eorum pet sit conformis Divinæ Voluntati, petenda etiam cum ejusmodi Resignatione propriæ voluntatis. inde considera, quemadmodum tu de peccatis mundari petens, DEO dicis: *Domine, si vis, pote mundare*: Sic DEVM vicissim tibi dicere: Si vis, po mundari. Sicut ergo de Christo S. Matthæus scribit: *Et extendens JESVS manum, tetigit eum, dic Volo Mundare* (sive: Esto Mundus) *Et confestim m data est lepra illius.* Ita & tu ad munditiem, id est, opera contraria peccatis tuis extendens manum, ficaci proposito dic: *Volo. Mundabor.* Et confes mundata erit lepra tua; quod quia tu hactenus n fecisti, licèt Christus extenderit in Cruce ad te, pro te Manum suam, & licèt multis Auxilijs, Insp tionibus internis, Beneficijs, & Pœnis Paternis te gerit interiora cordis tui, ideo hominis quidem p dicti lepra corporis confestim mundata est; Anim verò lepra tibi adhuc pertinaciter adhæret. Fac erg ut DEO toties tibi inclamanti: *Volo Mundare*: tande obedias, oblata Auxilia non respuas, eisdem non

sista

fistas, & nunc saltem seriò statuens emendationem, dicas: *Volo. Mundabor.* Considerent etiam Sacerdotes, quomodo ipsi debeant suis advolutos genibus pœnitentes à lepra peccatorum mundare: non sufficit enim per Intentionem absolvendi, & per actualem Absolutionem dicere: *Volo Mundare.* Sed debent etiam extendere, & porrigere ipsis manum, dando salubria Consilia, ac monita Salutis: atque sic tangere corda suorum pœnitentium.

Punct. III. *Et comminatus est ei: statimque ejecit illum* (Id est: prohibuit intrare urbem, ne Miraculum subitò ab illo evulgaretur) *& dixit ei: vide, nemini dixeris* (unde colligitur, Miraculum hoc fuisse à Christo factum jam dimissâ turbâ; vel saltem turba non advertente, & tardiùs subsequente) *sed vade, ostende te Principi Sacerdotum, & offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyses in testimonium illis* (scilicet Levit. 14.) *At ille egressus* (nempe de suburbio, sive de aditu urbis) *cæpit prædicare, & diffamare sermonem* (ipsum Miraculum, de quo deinceps sermo in populo futurus erat) *ita ut jam non posset manifestè introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset, & conveniebant ad eum undique.* Marc. 1. v. 43. (etiamsi enim tunc Christus intraverit civitatem, ut patet ex S. Matth. c. 8. v. 5. ipso leproso nondum intromisso; postquam autem iste prædicavit, & diffamavit Sermonem, seu rem factam, jam ab eo tempore non poterat Christus pro more suo publicè egredi & ingredi civitatem: sed ad evitandum plausum hominum egressus urbe, habitavit ad tempus in desertis) Considera duplicem causam, cum adjecta comminatione (id est, valde seriò) prohibendi homini mundato ingressum in urbem, & evulga-

evulgationem Miraculi. 1. Ut sic Christus ipse pr
beret Exemplum, pro Beneficijs præstitis nulla
mittendi hominum obsequia, gratitudinem, hon
rem, plausum &c. Et singulariter Confessarijs rel
queret Exemplum, nihil gratitudinis, vel remun
rationis acceptandi pro emundatione à peccatis.
Ut per imperatum silentium accepti Beneficij cor
alijs hominibus, ejúsque manifestationem cor
Principe Sacerdotum (ad quem mundatus ille vel
consuetudine recepta, vel ex speciali ratione à Ch
sto mittebatur, quamvis aliàs vi Legis Levit. 13. v.
suffeciisset quilibet Sacerdos ex stirpe Aaronis)
dicaretur, speciales Favores & Gratias à Deo acc
ptas coram alijs hominibus occultandas esse, Sup
rioribus tamen, & Patribus Spiritualibus manifesta
das. Per imperatam præscripti muneris Oblationem
designantur Opera Satisfactoria pro peccatis remis
vel à Sacerdote injuncta, vel per se toto vitæ tem
pore debita.

MEDITATIO CCLX.

De sanato servo Centurionis.

Matth. 8. v. 5. Luc. 7. v. 1.

Punctum I. *Cùm autem introisset Capharnaum, acc
sit ad eum Centurio* (saltem per legatos ab illo p
se missos, ut patebit ex verbis S. Lucæ sic exposi
à S. Augustino & Beda: quemadmodum S. Marc
c. 10. v. 35. dicit, filios Zebedæi accessisse ad Chr
stum *dicentes*: *Magister volumus &c.* cùm tamen ex
Matth. c. 20. v. 20. constet, non per se, sed per suam
Matre

Matrem hæc dixisse : nisi cum S. Chrysostomo , & Theophylacto dicere malis, tandem post binam legationem etiam ipsum Centurionem in propria persona venisse) *rogans eum, & dicens : Domine , puer meus jacet in domo paralyticus , & malè torquetur* Matth. 8. Addit S. Lucas : *Qui erat illi pretiosus.* Idem Evangelista testatur, Centurionem , cùm esset Gentilis , misisse legatos Judæos ; ita enim scribit : *Et cùm audîsset de JESV , misit ad eum Seniores Judæorum, rogans eum, ut veniret , & salvaret servum ejus. At illi cùm venissent ad JESVM, rogabant eum solicitè , dicentes ei : quia dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit enim Gentem nostram , & Synagogam ipse ædificavit nobis.* Considera , quomodo homo Gentilis servum suum amaverit , & æstimaverit : erat enim ipsi pretiosus. Quantò magis deberet tibi esse pretiosa tua & Proximi tui Anima , à Christo in libertatem Filiorum Dei infinito Sanguinis sui pretio redempta? Tantam ergo pro utriusque Salute curam habeto , quantam homo Ethnicus pro sanitate & vita servi. Adhibe etiam Patrocinia Sanctorum , qui suppleant tuam indignitatem. Præterea bonis Operibus SS. Patronorum intercessionem tibi concilia , & efficacem redde, ut illi tua quoque merita allegare possint apud Devm : *Quia dignus est , ut hoc illi præstes : diligit enim Gentem nostram &c.*

Punct. II. *JESVS autem ibat cum illis. Et cùm jam non longè esset à domo , misit ad eum Centurio amicos , dicens* (non per se , sed per amicos , unde ipse S. Lucas confirmat hîc modum loquendi S. Matthæi , quando iste dixerat , Centurionem accessisse ad Christum) *Domine, noli vexari , non enim sum dignus , ut sub tectum meum intres , propter quod & meipsum non sum dignum arbitratus ,*

tu

ut venirem ad te, sed dic verbo, & sanabitur puer meus Luc. 7. v. 6. *Et reversi, qui missi fuerant, domum, invenerunt servum, qui languerat, sanum.* Luc. 7. v. 10. *Qui dixit JESUS Centurioni* (nempe amicis missis à Centurione, repræsentantibus ejus personam) *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora.* Matt. 8. v. 13. Expende hîc modum & fructum S. Communionis Spiritualis: quando Fideles, dum interfu Sacrificio Missæ, vel quocunque tempore diei, l loco mittunt ad Christum Amicos suos, nempe Sacerdotes, & Angelos, ipsi verò per Humilitatem abnentes à Sacramentali Communione, & accessu Christum, per Fidem & Desiderium etiam à distan Salutem Animæ suæ consequuntur, dicente Chris *Sicut credidisti, fiat tibi.* Ex ijsdem verbis disce etiam *Sicut*, id est, quanta Fide ac Fiduciâ in DEUM te dispo sueris ad obtinendam Animæ Sanitatem, tantum Auxilij & Gratiæ obtenturum. Ipsa tamen Sanit Animæ non obtinetur solo verbo, dicto à Christo, s per Obedientiam ægri impleto.

PUNCT. III. *Et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam Fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente, & Occidente venient, & cumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Cœlorum: Filij autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Matth. 8. v. 10. Sicut hîc Christus Fidem homin Gentilis præfert Fidei populi Israëlitici (non singlorum in particulari; nam utique B. Virgo, & Apostoli perfectiorem Fidem habebant: sed simul spectat sic sæpe contingit, Religiosos, vel eos, qui habe majora media, & Auxilia Divina ad Virtutem, & Perfectionem, superari à Sæcularibus, vel ab habe

tib

tibus minora media, & Auxilia, & tandem Salute per negligentiam ſuam excidere. Cave itaque tibi ab hac comminatione; & aliorum profectu in Virtute, præſertim Sanctorum Exemplis (quorum Virtutes, veluti Centurionis Fides, publicò Chriſti & Eccleſiæ teſtimonio imitandæ proponuntur) te ipſum confunde, atque ad fervorem excita.

MEDITATIO CCLXI.

De Reſuſcitato Filio Viduæ.

Luc. 7. v. 11.

PUNCTUM I. *Et factum eſt: deinceps ibat in civitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo Diſcipuli ejus, & turba copioſa. Cùm autem appropinquaret portæ civitatis: ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris ſuæ: & hæc vidua erat: & turba civitatis multa cum illa.* Ecce filius, qui erat unicum gaudium, ſolatium, & ſpes viduæ matris, poſt obitum ſuum tam ex domo materna, quàm ex tota civitate effertur. Sic poſt mortem ex mente, & memoriâ hominum tum charorum & notorum, tum totius hujus mundi efferemur. Nihili ergo facienda eſt laus & amicitia humana, & ita vivendum, ut hominum memoriâ & ope non indigeamus, & ut, quemadmodum corpus effertur extra civitatem, ſeu memoriam, ac vitam ſocialem hominum in terra; ita Anima inferatur in Cæleſtem Civitatem, Converſationem, & Societatem Angelorum ac Cælitum. Unde Animæ etiam cura gerenda eſt, non corporis à vermibus devorandi.

PUNCT. II. *Quam cùm vidiſſet, miſericordiâ motus*

super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculum. (Hi autem, qui portabant, steterunt) Et ait: Adolescens tibi dico: surge. Et resedit, qui erat mortuus, & cæpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Ecce DEVS filij unicè dilecti morbum, mortem, imò actualem delationem ad sepulchrum summo cum matris luctu permisit, & tandem vivum, ac sanum reddidit. Sic Electis suis adversa permittit, nec statim succurrit; solatur tamen, & opitulatur tempore opportuno. Quantumcunque ergo res adversæ, vel quasi desperatæ eveniant, longanimi Fiducia auxilium & solatium à DEO exspecta; & præsertim per Matrem tuam Beatissimam Virginem Christum Misericordiâ movendum spera, ut te à quavis miseria, & morte æterna eripiat. Ille te dabit Matri Suæ, & tuæ, si illius Commiserationem & Intercessionem filiali Observantiæ Amore, Fiduciâ, & Cultu tibi demerearis.

PUNCT. III. Considera, quòd, si mortuus Adolescens voci Christi, jubentis surgere, tam citò obedivit, longè magis voci Christi debeant obedire vivi, quidquid ille vel per se, vel per Superiores jusserit. Imò ut similiter obediamus, etiam nobis ipsis moriamur. Neque differamus hanc spontaneam mortem nostram: sic enim faciliùs ad Vitam æternam suscitabimur, & ad Vitam Cælestem in terris agendam. Quod indicare voluit Christus, dum in prima suscitatione puellam duodennem, in hac altera verò adolescentem ijsdem verbis à morte velut e leni somno ad vitam reduxit, dicendo: *Puella, tibi dico: surge.* Marci 5. v. 41. *Adolescens, tibi dico: surge.* Verùm quando Lazarum revocavit ad vitam, jam adulta

adultæ ætatis, & quatriduanum in sepulchro, manibus pedibúsque ligatum (qui est Symbolum hominis tardè conversi ad DEVM, & longa vitiorum consuetudine constricti) *voce magna clamavit : Lazare, veni foras!* Joan. 11. v. 43.

MEDITATIO CCLXII.

De Legatione S. Joannis Baptistæ ad Christum.

Luc. 7. v. 19. Matth. 11. v. 2.

PUNCTUM I. *Et nunciaverunt Joanni Discipuli ejus de omnibus his. Et convocavit duos de Discipulis suis Joannes, & misit ad JESVM dicens : Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus ?* Luc. 7. v. 18. Quemadmodum Christus sæpe interrogavit propter alios, quamvis omnia sciret; ita S. Joannes misit Discipulos suos, interrogatum, non propter se, sed propter ipsos Discipulos, & propter eos, qui audituri erant publicam interrogationem, quando teste Luca v. 20. coram frequente populo legati ad Christum dixerunt: *Joannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Volebat enim S. Joannes hac interrogatione de se ab hominibus conceptam Messiæ suspicionem in Christum refundere, tanquam manifestis Miraculis jam ab ipso contestatam, & in præsentia Discipulorum contestandam. Hic mos humilium est, (tibi proinde hic in Exemplum propositus) ut honorificas de se opiniones in alios derivent, útque omnes quærant occasiones se deprimendi, & alios supra se efferendi, ac magnos reddendi, in qui-

bus Christum intuentur: adeóque quasi Christum su pra se ipsos extollunt, alibi testantem, sibi factum s æstimare, quidquid Proximo fecerimus.

Punct. II. *In ipsa autem hora multos curavit l languoribus, & plagis, & spiritibus malis, & cæcis multi donavit visum. Et respondens, dixit illis: Euntes, renun ciate Joanni, quæ audistis, & vidistis. Quia cæci viden claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortu resurgunt, pauperes evangelizantur* (scilicet à me) *& Be tus est, qui non fuerit scandalizatus in me.* Nolebat Chri stus directè respondere; sicut quando Judæis interro gantibus apud Joan. c. 8. v. 53. *Quem te ipsum faci* dixit: *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pa ter meus, qui glorificat me.* Itaque nunciari jussit facta quibus Pater Cælestis testatus est, Eum esse, qui ven turus est Redemptor per mortem Crucis, & Judex vivorum, ac mortuorum. Sic noli teipsum verbis laudare, sed laudent te facta tua: & factis te ostend esse eum, qui es: es autem Religiosus, tendens a perfectionem omnium Virtutum.

Punct. III. Considera, quare Christus inte Signa veri Messiæ, & Filij Dei posuerit illam anim sui demissionem, quâ non dedignabatur pauperibus Evangelium prædicare, & cum illis tam familiariter conversari, ut Beatum diceret, qui sua Humilitat non offenderetur, & vilem de se opinionem no conciperet. Nempe sicut recensita Miracula erat testimonium Potentiæ Divinæ, sic animi Demiss erat testimonium Sapientiæ Divinæ, in Christo tan quam Filio Dei residentis; eò quòd, cùm sit prors contraria Sapientiæ mundi, hoc ipso non possit no esse Sapientia Cælestis, & à solo Filio Dei profect

Hin

Hinc etiam pastoribus Luc. 2. v. 12. Signum recèns nati Servatoris, sive Messiæ hoc datum est: *Et hoc vobis signum: Invenietis infantem, pannis involutum, & positum in Præsepio.* Hanc & tu Sapientiam addisce.

MEDITATIO CCLXIII.

Christi de S. Joanne Baptista Elogium

Luc. 7. v. 24. Matth. 11. v. 7.

PUNCTUM. I. *Et cùm discessissent nuntij Joannis, cæpit de Joanne dicere ad turbas.* Luc. v. 24. Dum Christus post discessum Discipulorum Joannis de laude ejusdem disseruit, duo hodiernis hominum moribus prorsus contraria Exemplo suo nos docuit: nempe vitandum esse vitium adulationis; propterea exspectavit discessum eorum, qui auditas laudes ad S. Joannem fuissent relaturi: & simul vitandum esse vitium detractionis, quo de absente minùs honorificè loqui solemus, vel saltem laudes ejusdem elevare, ac imminuere, existimantes, nostræ æstimationi decedere, quidquid alterius laudi accedit. Christus verò absentem Joannem summis laudibus coram universo populo affecit, nihil metuens, ne is sibi ab alijs præferretur.

PUNCT. II. Considera, quid Christus in S. Joanne specialiter laudaverit, dicens: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam?* Hoc, velut responsione indignum, sola interrogatione falsum testatur. An non autem tu talis? Arundo es, Virtute vacua, vanâ gloriâ & inani tuî existimatione tumens, quovis flatu verborum, quovis pro-

spero, vel siniſtro eventu, quovis humano reſpect flexilis in omnem partem? *Sed quid exîſtis videre? ho minem mollibus veſtimentis indutum? Ecce qui in ve pretioſa ſunt, & delicijs, in domibus Regum ſunt.* T ergo ne talis ſis in Domo Religioſa, qui veſtium el gantiam, & corporis delicias ſecteris, & ſic tantù Chriſto diſpliceas, quantùm Joannes placuit. *S quid exîſtis videre? Prophetam? utique dico vobis, & p quàm Prophetam: Hic eſt, de quo ſcriptum eſt: Ecce e mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præpara viam tuam ante te. Dico enim vobis: Major inter na mulierum Propheta Joanne Baptiſta nemo eſt.* Luc. a 24. Ille Divina Inſpiratione arcaniſſimum & ſum mum Myſterium Incarnationis Dei perfectiſſim agnovit, & manifeſtiſſimè annunciavit, & tantum munus, velut Lucerna ardens & lucens, maxima cum Sanctitate, & Angelica corporis, ac animi Integrita te ſuſtinuit. Sic antiquorum Prophetarum Sapien tiam Myſteriorum Chriſti Meditatione, & Sanctit tem ejuſdem Chriſti ac Joannis Imitatione ſuperar contende.

Punct. III. Conſidera prædictæ comparati nis exceptionem: *Qui autem minor eſt in Regno DEI maior eſt illo.* Luc. v. 28. Qui enim in Regno Dei ſive in Eccleſia minor, & humilior eſt, ſicut Chri ſtus per ſummam Humilitatem ex altiſſimo Digni tatis gradu infra omnes homines ſe demiſit, ille ut que major eſt illo. Tantò ergo ad S. Joannis Magni tudinem propiùs accedes, quantò ſtudueris eſſe mi nor & humilior: ſicut Chriſtus eandem etiam lon giſſimè ſuperavit, quia infra omnes homines abii non erubuit, ut teſtatur Iſaias cap. 53. *Vidimus eum*

& non erat aſpectus, & deſideravimus eum: Deſpectum, & Noviſſimum Virorum. Et Pſ. 21. Ipſe de ſe loquitur: *Ego autem ſum Vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.*

MEDITATIO CCLXIV.

Continuatio ejuſdem Elogij.

Matth. 11. à. v. 12. & Luc. 7.

PUNCTUM I. Chriſtus confirmans, S. Joannem maximum Prophetam fuiſſe, probat id ex potentia ſermonis, quo homines ad Pœnitentiam, & ad ſeriam vitæ emendationem prædicatione Regni Cælorum jam appropinquantis & proximè per Chriſtum aperiendi, convertit. *A diebus autem Joannis Baptiſtæ* (quibus prædicavit Baptiſmum Pœnitentiæ) *uſque nunc Regnum Cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. v. 12. Sive ut aliàs Chriſtus apud S. Lucam c. 16. v. 16. inquit: *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem; ex eo Regnum DEI evangelizatur, & omnis in illud vim facit.* Conſidera, ſi ab initio ſtatim, poſtquam ceſſaverunt prædicari Vaticinia Legis antiquæ, & Prophetarum de Chriſto ut primùm futuro, ad Prædicationem Joannis de Eodem ut jam præſente, multi homines ſibi ipſis vim intulerunt, ut per Pœnitentiam, & vitæ emendationem Regnum Cælorum ad ſe raperent, id eſt, magno ſuo conatu & victoriâ ſuarum pravarum cupiditatum ſibi promererentur; quantam à te oporteat vim tibi inferri, & non remiſsè, nec languidè, nec indulgenter agi, ut Regnum Cælorum obtineas, poſtquam illud jam

reseratum, & ipsius Christi Prædicatione, Exemplo, eúmque sequentium multitudine oftensa, trita, ac complanata est? Sine violentia, Victoria suî, nec Virtutes, nec Regnum Cælorum Virtutibus debitum, obtinetur: ideo Christ apud Joannem in Apoc. c. 2. v. 7. inquit: *Vinc dabo edere de ligno Vitæ, quod est in Paradiso DEI mei,* rursum v. 11. *Qui vicerit, non lædetur à morte secun* scil. æternâ post temporalem. Et iterum v. *Vincenti dabo Manna absconditum, & dabo illi Calcul candidum*: qui scilicet suffragetur ipsi, ad Regnum C lorum illi adjudicandum.

Punct. II. Pergit Christus de S. Joanne di re: *Si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus* Matth. v. 14. Quemadmodum enim Elias præce secundum Christi Adventum; ita Joannes Baptis præcedit Primum; prout Angelus Patri ejus pr dixerat. Luc. 1. v. 17. *Ipse præcedet ante Illum in S ritu, & Virtute Eliæ.* O quot Elias Spiritu ferven Virtutibus illustres, tibi Deus jam misit, quor tamen Doctrinam & Virtutum Exempla nond recepisti! Utinam non sis unus ex generatione il de qua nec Joannem, nec Christum ipsum recipi te, Servator noster mox similitudinem istam subj git. Matth. v. 16. *Cui autem similem æstimabo gen tionem istam? Similis est pueris sedentibus in foro, qui mantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non salt lamentavimus, & non planxistis.* Id est, Verbo Exemplo vos hortati sumus, & diximus: *Læ mini in Domino, & exultate Justi, & gloriamini om recti corde.* Ps. 31. v. 11. Et vicissim: *Accingite v cilicijs, plangite, & ululate; quia non est aversa ira furo*

Domi

Domini à vobis. Jerem. 4. v. 8. Sed nec placuit experiri exultationem animi in Domino, quâ fruuntur justi ac perfecti: nec dulcedinem, ac suavitatem, planctûs, per Opera Mortificationis & Pœnitentiæ.

Punct. III. Laudi S. Joannis addit Christus, & ostendit, etiam homines Sanctos non posse evitare siniſtra de se judicia, ac sermones: *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet. Venit Filius Hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Matth. v. 18. Non cures ergo & tu, si alij de te siniſtrè sentiant, & loquantur, & rectè dicta, vel facta in malam partem interpretentur. Audi, quid S. Paulus de hominum judicijs dicat. 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Et ad Galat. 1. v. 10. *An quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi Servus non essem.*

MEDITATIO CCLXV.

De Pœnitentia Magdalenæ.

Luc. 7. v. 37.

Punctum I. *Rogabat autem illum quidam Phariſæus, ut manducaret cum illo. Et ingreſſus domum Phariſæi discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix* (Aliqui existimant, hoc adhuc in civitate Naim, ubi Christus filium Viduæ resuscitavit, gestum esse: Aliqui verò censent, in civitate Magdalo id contigisse, ubi Magdalena ante suam Conversionem habitavit)

ut audivit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti. Considera, unguentum istud fu odoriferum, ex varijs aromatibus confectum, eo designari odorem boni Exempli, quod pœnitens M gdalena in domo aliena, & inde in tota Civitate e diffudit; sicut antè fuit publica in civitate peccatr & scandalum publicum. Imitare Magdalenam, u que odorem boni Exempli, & bonæ famæ relinqu quamcunque domum intraveris; quemadmodu lijs etiam sæpe scandalo fuisti: nec minùs domes odorem Virtutis affles, quia peccator non tant in civitate, peccandi occasionibus obnoxiâ, sed ipsa domo Religiosa, & Perfectionis domicilio fui ut sic omnes currant in odorem Ungentorum tu rum: & tu dicere possis cum Divina Sapientia: *Sic cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi; qua myrrha electa dedi suavitatem odoris: & quasi storax, galbanus, & ungula, & gutta, & quasi Libanus non v cisus vaporavi habitationem meam.* Eccl. 24. v. 20. Et cu S. Paulo 2. Cor. 2. v. 15. *Christi bonus Odor sumus DE*

Punct. II. *Et stans retro, secus Pedes ejus &c.* mitare Magdalenam, & semper cura retro stare, est, postponi, & ad pedes stare, sive, infimum cum tenere; unde in communitate Religiosa, quæ civile Corpus Christi, inter infima membra, sive pedes te colloca, omnes tibi præferendo, & potio partes alijs deferendo.

Punct. III. *Lacrymis cœpit rigare Pedes ejus, capillis capitis sui tergebat, & osculabatur Pedes ejus, unguento ungebat.* v. 38. Quatuor recensentur offici omnia tamen Christi Pedibus præstita. Libent itaque velis occupari humilibus officijs. Iisdem ver

bis sublimes Magdalenæ Virtutes indicantur: nempe lacrymabilis dolor de peccatis, quem ingenti Spe veniæ abstergebat, cùm sciret Divinam Bonitatem etiam capillos capitis sui numeratos habere. Spe ista impellebatur ad oscula Charitatis figenda: à Charitate incitabatur, ut unguento, variarum Virtutum aromatibus condîto, peccatorum suorum fætorem dissiparet. Sed has omnes Virtutes ad Christi Pedes referebat, id est, Humilitate condiebat. Imitare ergo Virtutes Magdalenæ; sed comitetur eas Humilitas. Nam ut inquit S. Gregor. hom. 7. *Si quælibet bona Opera adsint, nulla sunt, nisi ex Humilitate condiantur. Qui enim sine Humilitate Virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat.*

MEDITATIO CCLXVI.

Continuatio eiusdem Historiæ.

Luc. 7.

PUNCTUM I. *Videns autem Pharisæus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. Duo non imitanda vitia in hoc Pharisæo his verbis nobis ostenduntur. Unum est, ut quamvis certas rationes nobis videamur habere, malum de altero judicandi, ijsdem tamen assensum non præstemus, quia etiam hæ fallere possunt, & hîc fefellerunt, cùm Magdalena jam non ampliùs esset peccatrix, sed seriò conversa ac pœnitens, quamvis in civitate paulò antè notoria peccatrix fuerit. Alterum est, ut de nullius emendatione desperemus, quan-

quantumvis obstinati, neque contemnamus eum aut nos illi præferamus; quia ille forsan nos actu superat, vel superabit in Sanctitate, sicut Magdal... superavit illum Pharisæum.

PUNCT. II. *Et conversus ad mulierem, dixit Si... vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam... dibus meis non dedisti* (sicut tamen solebant hospiti... lavari, ne nudis pedibus olim incedentes, lect... mensales sordidos redderent) *Hæc autem lacrymis r... vit Pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi no... disti* (quo in signum Amoris solebant hospites exc... *Hæc autem, ex quo intravit, non cessavit osculari p... meos. Oleo Caput meum non unxisti* (cùm tamen, ... hospes esset charior, eò odoratioribus liquoribus ... caput & manus solerent perfundi) *Hæc autem ungu... to unxit Pedes meos.* à v. 44. Ecce præclarum modu... nos humiliandi! Si videlicet non tantùm consider... mus peccata, quæ nos ipsi fecimus, sed etiam bon... quæ omisimus, & facere potuissemus, ac debui... mus, imò etiam quæ fecimus, multis imperfectio... bus ac defectibus inquinata; sicut iste Pharisæus p... stitit hospitalitatem Christo, sed valde imperfecta... Deinde etiam, si consideremus in alijs, non ipsa mu... quæ fecerunt, sed bona, quibus nos superant, & q... bus ipsi caremus, quorum carentiâ tantò magis co... fundimur, quantò illa ab imperfectioribus exhibe... tur. Expende etiam, quoties tu Christum hospi... excipias, nec tamen Pedes Devotionis lacrymis ... militer laves; nec osculum libes Charitatis, bon... rum Operum executione ferventis, nec Caput, n... Pedes Virtutum odoribus perfundas: unde non sic... S. Magdalena dilexisti multùm, etiamsi remissa ... tibi peccata multa.

PUNC...

PUNCT. III. *Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt, qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit?* à v. 48. Priùs temerè & malè judicantem Phariſæum ſuaviter correxit Chriſtus, parabolæ amænitate leniens reprehenſionem, ut patienter fuerit audita & accepta: nunc autem rurſum temerè judicantes, poteſtatem dimittendi peccata præſumptuosè uſurpatam fuiſſe, non corrigit; ut ex defenſione Magdalenæ diſceremus, alios potiùs, quàm nos ipſos contra ſiniſtras opiniones, ac ſermones defendere.

MEDITATIO CCLXVII.

De Dæmoniaco, cæco, & muto liberato.

Matth. 12. à v. 22. Luc. 11. à v. 14.

PUNCTUM I. Quando Chriſtus Capharnaum reverſus eſt, *Oblatus eſt ei dæmonium habens, cæcus & mutus*) Lucas quidem de cæcitate nullam mentionem facit) *Et curavit eum, ita ut loqueretur, & videret.* Matth. 12. v. 22. Duarum illarum virtutum activarum, quas exerere Diabolus inhibuit ac impedivit, uſu privati dici poſſunt illi, qui circa res ad Animæ ſuæ Salutem ſpectantes cæci & ignari ſunt, & tamen à Ducibus Spiritualibus conſilium & directionem non petunt, tales redditi vel à Spiritu ſuperbiæ, vel à Spiritu acediæ, & negligentiæ rerum ad Salutem ſpectantium. Repelle ergo à teipſo malignum Spiritum, ut rerum Spiritualium notitiam, & omnium rerum, qualem merentur, æſtimationem ſinceram acquiras, & libenter

benter cum Sapientibus & Ducibus Spiritualibus de rebus Divinis cum quibusvis loquaris: neque quam obmutescas, cùm Dei Honor, aut utilitas pria, vel Proximi, loqui jubet. Et simili ratione cut pulso dæmone vitiata vis loquendi & viden mendata est, sic, ut vitia animi, & mali frutices lantur, illorum radicem & causam remove, vitium principale, cui maximè addictus es.

Punct. II. *Pharisæi autem audientes dixerunt non ejicit dæmones, nisi in Beelzebub principe dæmoniorum* (cui jam suprà etiam Matth. 9. v. 34. similem ctionem adscripserunt) *JESUS autem sciens cogita nes eorum, dixit eis: Omne regnum divisum contra se solabitur, & omnis civitas, vel domus divisa contra se stabit. Et si Satanas Satanam ejicit, adversùs se divi est: quomodo ergo stabit regnum ejus?* à v. 24. Consider si superbissimi dæmones, qui neque Deo quidem dire voluerunt, ut tantò magis hominibus nocim possint, tamen unionem, subordinationem, & jectionem servant, ut stare possit regnum eorum in quo tamen ij, qui imperant, nec potestatem à approbatam, & obligatione quadam confirmatam acceperunt; nec Dei Personam repræsentant, subditis obedientibus præmia decernunt: quantò gis, ut nostram & Proximi Salutem meliùs promo re possimus, & Religiosæ Disciplinæ Regimen f possit, unio, subordinatio, & subjectio servanda in Domo Religiosa, ubi Superiores Dei Personam ferunt, potestatem à Deo acceptam exercent, diti Voto Obedientiæ tenentur, & Obedientiæ gentem fructum ac præmia consequuntur?

Punct. III. *Si autem Ego in Spiritu DEI* (id est

pulsu Spiritûs Sancti, atque in Virtute & Potestate DEI) *ejicio dæmonia, igitur pervenit in vos Regnum DEI.* nempe Adventu meo appropinquavit Regnum Cæ-orum) *Aut quomodo potest quisquam intrare in domum ortis, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.* Nempe nisi Ego ipso Beel-zebub fortior essem, & ipsi omnem se opponendi mi-hi vim eriperem, ac ligarem, non possem illum ar-mis suis, & domo sua spoliare. Ecce! quemadmo-dum Christus Diabolum armis suis ad nocendum ho-nini, omni scilicet potestate, & ipsa simul possessio-ne privavit: sic etiam executus jam est, quod dixit pud Joannem c. 12. v. 21. *Nunc Princeps hujus mundi ijcietur foras.* Quàm ergo esses reprehensione di-nus, si te ab hoste jam alligato, & armis privato per gnaviam vinci ampliùs patereris? Magnâ igitur Fi-ducià & Animo resiste Diaboli tentationibus: nisi e-im tu ipse alligatum solveris, & inermem contra te rmaveris, præbendo ipsi occasionem & vires per li-ertatem, & dissolutionem sensuum, ac passionum, per contemptum periculorum, per neglectum medio-um usum, facilè hostem vinces, & statione pelles, nagnáque Meritorum, & Virtutum Spolia repor-abis.

MEDITATIO CCLXVIII.

De Vitijs Linguæ.

Matth. 12. v. 34.

PUNCTUM I. Occasione illius blasphemiæ in Spi-ritum Sanctum, quâ ejectionem dæmonij, cùm esset

esset opus Divinæ Misericordiæ, adeóque Spiri
Dei (ut Christus apud Matth. c. 12. v. 28. inquieba
facta fuisset, Judæi tamen opus Principis dæmoni
rum appellaverant, Christus de maledicentia ling
venenatæ, & invidæ, eos reprehendens, dixit: *P*
genies viperarum (qua appellatione etiam usus est
Joannes Baptista apud Matth. c. 3. v. 7.) *Quomodo*
testis bona loqui, cùm sitis mali? ex abundantia enim co
os loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona
malus homo de malo thesauro profert mala. Tu ergo, q
lis haberi vis apud homines, talia loquaris. Si
haberi homo Religiosus, Divino Cultui addict
qualem vestis tua designat, de Deo & rebus Divi
tam cum domesticis, quàm cum externis instituas s
monem. Si nolis haberi homo vanus, querulus,
vidus, rerum tuarum jactator, & amator propri
laudis, detractor alienæ &c, etiam à sermonib
hujuscemodi abstineas, memor illius sententiæ S.
cobi 1. v. 26. *Si quis autem putat, se Religiosum esse,*
refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, huius v
est Religio.

Punct. II. *Dico autem vobis, quoniam omne*
bum otiosum (quod scilicet non ordinatur ad finem
nestum & laudabilem, etiamsi aliter non sit mali
sum) *Quod locuti fuerint homines, reddent rationem de*
in die Iudicij. Matth. v. 36. Hac commination judi
vindictam sumentis etiam de verbis otiosis, per
gumentum à minori ad majus ostendit Christus
dæis gravitatem & magnitudinem supplicij, quo v
ba maligna plectentur; simúlque ad perfectam Cu
diam linguæ impellit, quam S. David vehemente
Deo rogavit Ps. 140. v. 3. *Pone Domine custodiam*

meo: & ostium circumstantiæ labijs meis. Ostium circumstantiæ, quo os occludendum est, sit Consideratio omnium circumstantiarum, loci, temporis, personarum audientium, finis, effectûs secuturi, an deceat, & an expediat hæc dicere. De tali custode linguæ suæ inquit S. Jacobus c. 3. v. 2. *Si quis verbo non offendit, hic Perfectus est vir, potest enim fræno circumducere totum corpus.*

Punct. III. Concludit Christus adhortationem suam his verbis: *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Quantum malum, vel quantum bonum à lingua nobis provenit, & quantâ diligentiâ est à nobis custodienda! Considera iterum, quid S. Jacobus de hoc scribat. c. 3. v. 5. *Lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit! Et lingua ignis est, & universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à Gehenna.* Sensus horum verborum est; quòd lingua quidem secundùm speciem modicum membrum sit, attamen valde magna sive bona, sive mala efficiat & super communem magnitudinem extollat. Sicut modicus ignis magnam sylvam incendit; sic modica lingua, & pauca verba ingens sæpe incendium pariunt: hinc etiam propter multitudinem malorum, quæ ex illa oriuntur, dici potest universitas iniquitatis. Et quamvis sit solummodo membrum corporis, ejus tamen abusus toti corpori, & toti homini maculam & notam nigram inurit, ac dedecorat; itaque totum vitæ nostræ decursum vitiorum flammis succendit, veluti si à Gehennâ ipsâ prior succensa esset. Pergit S. Ja-

cobus in cit. Ep. *Omnis natura bestiarum, & volucrum & serpentum, & caterorum domantur, & domita sunt Natura humana: linguam autem nullus hominum doma- potest* (scilicet sine speciali DEI Auxilio, & sine con- nuo eandem domandi studio, sine quo citò ad nat- ram redit) *Inquietum malum, plena veneno mortifero* (f cilè enim per illam peccatur mortaliter, præsert detractione famæ, à qua specialiter Religiosi sibi c veant) *In ipsa benedicimus DEVM & Patrem, & in i maledicimus homines, qui ad similitudinem DEI facti s Ex ipso ore procedit Benedictio & maledictio.* Ecce con- mationem verborum Christi! Quantâ igitur curâ li- guæ moderandum est!

MEDITATIO CCLXIX.

De Cavendo Relapsu.

Luc. 11. v. 24. Matth. 12. v. 43.

PUNCTUM I. Post responsionem ad blasphem- assertionem Pharisæorum, quòd Christus in Bee- zebub ejiciat dæmones, & post reprehensionem m- ledicentiæ Scribarum ac Pharisæorum, occasio- ejecti dæmonis ex corpore energumeni, transit Chr- stus ad ejectionem dæmonis ex Anima hominis p Gratiam justificati, & hortatur ad perseverantiam, cens Luc. 11. v. 24. *Cùm immundus Spiritus exierit de homi- ambulat per loca inaquosa, quærens requiem, & non in- niens, dicit: revertar in domum meam; unde exivi. Et cùm v nerit, invenit eam scopis mundatam, & ornatam.* Apud Ma- thæum additur etiam: *vacantem.* Quibus verbis ind catur, quòd Diabolus ex Anima pulsus, velut in lo- inaqu

inaquosis sitim ingentem patiatur, & non quiescat, donec Animam, paulatim ad pristina vitia revertentem, rursum inveniat præparatam ac dispositam ad suam habitationem. Quemadmodum ergo Diabolus ardente siti, & inquieto conatu aditum in Animam nostram tentat; ita non minore Justitiæ ac Perfectionis siti, & indefessâ vigilantiâ repellendus est, portis sensuum diligenter occlusis ac custoditis, & occultis cuniculis insidiarum, ac tentationum undique exploratis: ne tibi etiam contingat, quod sequitur.

Punct. II. *Tunc vadit & assumit septem alios Spiritus secum, nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus.* Luc. v. 26. Septem Spiritus nequiores sunt septem vitia Capitalia, quæ nequiora sunt, magisque noxia, quàm ipse Diabolus: eadem enim vitia designantur per septem dæmonia, è Magdalena ejecta, teste Marco c. 16. v. 9. Itaque his & tentationibus illorum etiam minimis, vel remotis, opponendæ sunt Virtutes contrariæ, vel septem Dona Spiritûs Sancti. Semper etiam cavendum, ne domus unquam relinquatur *Vacans*, sive vacua Gratiâ inhabitantis Spiritûs Sancti & protegentis, ne novissima hominis ad Deum conversi, vel Divino cultui in Religione addicti, fiant deteriora prioribus: ex qua consideratione dixit S. Augustinus Epist. 137. *Non sum expertus peiores, quàm qui in Monasterijs ceciderunt: Optimi enim corruptio pessima.*

Punct. III. Considera, quòd, quando homo ad pravas suas consuetudines, & priorem tepiditatem relabitur, sic fiant novissima illius peiora prioribus; quia nimirum augetur ingratitudo erga Deum,

crescit reatus pœnæ, consuetudo prava & mali habitus magis roborantur, difficultas obtinendi victoriæ intenditur, vires minuuntur, spes & desiderium emendationis langueſcit, & animus concidit. Hinc inquit S. Paulus ad Hebr. 6. v. 4. *Impossibile est enim* (id est difficillimum, & moraliter, ac sine speciali Dei Gratia est impossibile) *eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam Donum Cœleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, gustaverunt nihilominus bonum DEI Verbum virtutésque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad Pœnitentiam.* Quod non tantùm de lapsu in gravia peccata, sed etiam in veterem tepiditatem intelligendum est; quia ferè facilius, & sæpius (ut colligitur ex Apoc. c. 3. v. 16.) frigidus, quàm tepidus calescit.

MEDITATIO CCLXX.

Felicitas illorum, qui Divinæ obediunt Voluntati.

Luc. 11. v. 27. Matth. 12. v. 46.

PUNCTUM I. *Factum est autem, cùm hæc diceret* (quæ priori Meditatione relata sunt) *Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus Venter, qui portavit, & Ubera, quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò Beati, qui audiunt Verbum DEI & custodiunt illud.* Luc. 11. v. 27. Considera, quanta quidem sit Beatitudo esse Matrem Dei, ipsius etiam Matris confessione *Beatam me dicent omnes Generationes*: Et universa Ecclesia attestante, ac dicente: *Beata Viscera MARIÆ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium, & Beata Ubera*

quæ lactaverunt Christum Dominum. Et tamen Filius, qui est ipsa Veritas, dicit: *Quin imò*, sive, ut in Græco est, *Imò potiùs Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud*, tum per Intellectum firmiter assentiendo, tum per Voluntatem continuò & constanter illius executionem sibi efficaciter imperando, & implendo. Dignitas enim Matris DEI, se solâ, non sufficeret ad æternam Beatitudinem; altera autem Beatitudo trahit infallibiliter secum æternam beatitudinem, & quidem tantò majorem, quantò perfectiùs custoditur Verbum DEI. Gratulare itaque Matri DEI, quòd cum Dignitate Matris DEI acceperit etiam alteram Beatitudinem, quòd Verbum DEI, à prima ejus infantiâ sibi familiarissimè loquens, Ejusdémque Verbi Sermonem Divinum sive Doctrinam illius assiduè audiverit, omnia Verba ejus conservaverit in corde suo, & perfectissimè custodiverit. Unde S. Aug. tract. 10. in Joannem post initium de illa inquit: *Hoc in ea magnificavit Dominus, quia fecit Voluntatem Patris: non quia Caro genuit Carnem.* Pete ab illa Gratiam, & statue firmum propositum illam imitandi, & à Christo promissam, Matrísque Dignitati prælatam Beatitudinem obtinendi.

PUNCT. II. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater ejus, & Fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce Mater tua, & Fratres tui stant foris, quærentes te. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est Mater mea? & qui sunt Fratres mei? & extendens manum in Discipulos suos, dixit: Ecce Mater mea, & Fratres mei. Quicunque enim fecerit Voluntatem Patris mei, qui in Cælis est, ipse meus Frater, & Soror, & Mater est.* Matth. c. 12. v. 46. Ecce quomodo etiam illam Beatitudi-

nem, de qua mulier antè dixit, & simul eam, quam Christus subjecit, faciendo Voluntatem Patris Cœlestis, adipisci possimus. Qui enim facit Voluntatem Patris, atque adeò Christi Mater efficitur, ille Ventre Christum portat, quia implet illud monitum Pauli 1. Cor. 6. v. 20. *Glorificate, & portate DEVM in corpore vestro.* Et cum Sponsa, velut fasciculum Myrrhæ, & Mortificationis, recipit Amoris sinu, ac candido Innocentiæ lacte pascit, implens illud Cant. v. 12. *Fasciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi, inter Ubera mea commorabitur.* Denique ita sibi Christum Amore obstringit, ut non minùs ab eo diligatur, quàm Frater aut Soror, aut Mater diligi soleat.

PUNCT. III. Considera, quid sit facere Voluntatem Patris. Triplicem enim S. Paulus Voluntatem Patris memorat, cùm ait Rom. 12. v. 2. *Nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quid sit Voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta.* Ille ergo facit Voluntatem Patris, qui hanc triplicem Voluntatem implet: Nempe *Bonam*, cum Incipientibus servando omnia Præcepta; *Beneplacentem*, cum Proficientibus sequendo Consilia, & exercendo solidarum Virtutum actus. Et *Perfectam*, cum Perfectis plenè se conformando Divinæ Voluntati.

MEDITATIO CCLXXI.

De Semine Verbi Divini.

Matth. 13. v. 1. Marc. 4. v. 1. Lucæ 8. à v. 4.

PUNCTUM I. *In illo die exiens JESUS de domo, sedebat*

secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita ut in naviculam ascendens, sederet: & omnis turba stabat in littore: & locutus est multa in parabolis, dicens: Ecce! exijt, qui seminat, seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea. Matth. 13. v. 1. Hanc Christus primam statuit causam Verbi DEI sine fructu auditi, Apostolis suis seorsim explicans relata verba, & dicens: v. 19. *Omnis, qui audit Verbum Regni, & non intelligit, venit malus, & rapit, quod seminatum est in corde ejus: hic est, qui secus viam seminatus est.* Ut ergo Verbum DEI fructuosè audiatur, vel legatur, illud intelligendum est; ut verò intelligatur, Meditatione expendendum est, & Lumen à DEO petendum; unde S. Jacobus in Ep. c. 1. v. 5. scribit: *Si quis autem vestrûm indiget Sapientiâ, postulet à DEO, qui dat omnibus affluenter.* Cavendum verò, ne oculus intelligentiæ voluntariè occludatur, sicut Ps. 35. v. 4. dicitur: *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Vel ne falsis hujus mundi principijs excæcetur; unde quia his prorsus contraria erant hæc Christi verba Luc. 18. v. 32. *Filius hominis tradetur Gentibus: & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum, & tertia die resurget:* Mox de duodecim Discipulis subjungit Evangelista: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat Verbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* v. 34. Quando autem Verbum DEI non intelligitur, venit malus, & rapit, quod seminatum est in corde: inducendo in animum oblivionem, & vilipensionem illius.

PUNCT. II. *Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habuerunt terram multam, & continuò exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem exorto æstuaverunt,*

runt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Matth. v. 5 Hæc est altera causa, cur Verbum Dei sine fructu seminatum sit, quam Christus explicat his verbis: *Qui autem super petrosa seminatus est, hic est, qui verbum audit, & continuò cum gaudio accipit illud: non habet autem in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione & persecutione propter Verbum, continuò scandalizatur.* v. 20. Itaque ut Verbum Dei radicem agere possit, profundè in animum immittendum est illud expendendo, rationibus, tanquam radicibus, firmando, & contra occurrentes quascunque difficultates, tentationes, & respectus humanos præmuniendo, atque Oratione humectando: nam teste Luca. c. 8. v. 6. *Natum aruit, quia non habebat humorem.*

Punct. III. *Alia autem ceciderunt in spinas, & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea.* Matth. 13. v. 7. Hanc tertiam causam Christus ita declarat: *Qui autem seminatus est in spinis, hic est, qui Verbum audit, & solicitudo sæculi istius, & fallacia divitiarum* (addit S. Marcus v. 19. *& circa reliqua concupiscentiæ*, S. Lucas etiam voluptates vitæ adnectit. v. 14.) *Suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* Matth. v. 22. Considera, quàm recte hæc omnia spinæ dicantur, quia animum acriter pungunt, & graviter vulnerant: acquiruntur enim divitiæ & voluptates cum solicitudine, & labore, acquisitæ percipiuntur cum inquietudine animi, remorsu Conscientiæ, quam gravium peccatorum lethalibus vulneribus fauciant. Hæc omnia per experientiam suam testatur Sapientissimus Ecclesiastes c. 2. v. 1. *Dixi ego in corde meo: vadam & affluam deliciis & fruar bonis. Et vidi, quòd hæc quoque esset vanitas.*

Supe

Supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: Sapientia quoque perseveravit mecum (scilicet Sapientia hujus mundi, & rerum naturalium Scientia, indéque consequens fama, & æstimatio apud homimines) *Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. Cúmque me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere sub Sole.* v. 9. Ideo etiam Christus divitias vocavit *Fallaciam divitiarum*, & voluptatibus addidit brevissimum terminum *vitæ*. Veræ enim Divitiæ sunt thesauri in Cælis, & vera Gaudia non sunt, nisi Æterna. Considera etiam, quomodo prædictæ spinæ semen suffocent, quia intellectum excæcant, voluntatem depravant, executionem boni Operis impediunt.

MEDITATIO CCLXXII.

Continuatio eiusdem Argumenti.

PUNCTUM I. Considera infelicitatem eorum, apud quos semen Verbi Divini non fructificat. Illam indicat Christus his verbis: *Ideo in parabolis loquor eis: quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt. Et adimpletur in eis Prophetia Isaiæ* (c. 6. v. 9.) *Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non videbitis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus graviter audierunt, & oculos suos clauserunt: ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant,*

telligant, & convertantur. Matth. 13. v. 13. Quasi ceret: ideo Veritas Verbi Divini videtur ipsis m parabola, neque ipsius Veritatem intellectu pe piunt, quia Miracula mea, & Virtutum mea Exempla oculis quidem corporeis intuentur, D námque meam Doctrinam auribus corporeis h riunt; oculos verò mentis claudunt, & mentis a obturant: hinc corde non intelligunt, retinentes c sam, & affectatam, adeóque graviter culpabile gnorantiam, & voluntate non convertuntur, ne nantur de vulneribus & morbis suis lethalibus. de, quia per ignorantiam non sunt excusabiles, se dent & audiunt, quantum sufficit ad culpæ gravi tem; continget illis, quod Christus apud Luca 12. v. 47. prædixit: *Ille autem servus, qui cognovit* luntatem *Domini sui, & non præparavit* (disponendo per intellectum) *Et non fecit secundùm Voluntatem* vapulabit *multis.* Cave ergo, ne, qui in Religione t multa vides & audis, quæ ad Virtutis, ac Perfect nis studium te excitare deberent, ea tamen nec tellectu satis perpendas, & æstimes, nec volunt approbes, nec opere exequaris: nullam enim p tendere poteris excusationem ignorantiæ.

Punct. II. Considera felicitatem eorum, q bus in persona Apostolorum Christus dixit: *Vobis* tum *est, nôsse Mysteria Regni Cælorum: illis autem non* datum: *qui enim habet, dabitur ei, & abundabit: qui* tem *non habet; & quod habet, auferetur ab eo.* Matth. v. 11. *Vestri autem beati oculi, quia vident; & aures* stræ, *quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia mu Prophetæ & Justi cupiérunt videre, quæ videtis, & non* derunt; *& audire, quæ auditis, & non audiérunt.* v. 1

Hæ

Hæc Beatitudo vel maximè possidetur à Religiosis; his enim datum est, nôsse Mysteria Regni Cælorum, & acceptam notitiam abundanter augere multiplici rerum Cælestium auditione, Lectione, Meditatione. Hi oculo mentis vident Christi & Sanctorum præclara Virtutum Exempla, & eadem etiam in Sodalibus suis coràm intuentur; hi aure mentis percipiunt externa vitæ Spiritualis Documenta, & internas Inspirationes frequentes: quæ Gratia neq; antiquis Prophetis concessa est, neque Justis illis, qui similiter Religionem ingredi constanter & ardenter petiêrunt; nec tamen impetrârunt. Itaque Religiosi hanc Beatitudinem suam agnoscant, & eâdem etiam per diligentiam suam fruantur, Verbum Divinum in terram cordis sui profundè demittant, & solicitudinum, concupiscentiarum, ac voluptatum spinas radicitus evellant.

Punct. III. Considera Seminis Divini, etiam in terram bonam incidentis, inæqualem fructum: *Qui verò in terram bonam seminatus est, hic est, qui audit Verbum* (auditu externo, & interno) *& intelligit, & fructum affert, & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum*, secundùm cujusque cooperationem inæqualem; dum alius diligentissimè studet vitare omnia peccata mortalia, alius etiam venialia, alius etiam meras imperfectiones: primum est incipientium, secundum proficientium, tertium perfectorum; quod quia debet esse primum in intentione, ideo S. Matthæus v. 23. fructum centesimum primo loco ponit: Marcus verò & Lucas primò ponit fructum trigesimum, deinde sexagesimum, denique centesimum, ut insinuent, semper esse proficiendum

ficiendum, & crescendum in Perfectione & Fructibus Virtutum.

MEDITATIO CCLXXIII.

De Zizanijs, bono semini insperſis.

Matth. 13. v. 24. Marci. 4. v. 26.

PUNCTUM I. *Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile est Regnum Cælorum homini, qui seminat bonum semen in agro suo* (id est, similiter agitur circa Regnum Cælorum obtinendum) *cùm autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & superseminavit Zizania in medio tritici, & abijt.* Matth. 13. v. 24. Bonum semen est Doctrina sana de rebus ad Fidem, & bonos Mores spectantibus, Inspirationes Divinæ, bona Proposita, homines boni Exempli in aliqua communitate: per somnolentiam autem & incuriam vel Superiorum, vel cujuscunque hominis circa seipsum, Diabolus inspergit Zizania falsorum principiorum & dogmatum, perversarum suggestionum, ac tentationum, aut imperfectorum, ac tepidorum hominum exempla, vitia &c. Hinc patet, quantâ vigilantiâ opus sit adversùs inimicum non dormientem, vel pro tibi commissis, vel pro te ipso per studium Meditationis quotidianæ, frequentis Examinis, Recollectionis multiplicis, & pugnæ continuæ, ne Zizania bono semini in corde tuo inspergantur, vel ne in Communitate ac Cætu perfectorum tu instar Zizaniorum inspergaris, tanquam homo imperfectus, ac tepidus, vel omnino etiam perversus. *Estote itaque prudentes, & vigilate in Orationibus.* 1. Pet. 4. v. 7.

PUNCT.

Punct. II. *Cùm autem creviſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & Zizania.* v. 26. Creſcente enim bono ſemine, creſcunt & Zizania; & defectus inde exorti, quantumvis ab initio parvi, mentisque aciem fugientes, ſenſim notabiles evadunt; & tantò fiunt notabiliores, majúsque ſcandalum generant, quantò magis videntur eſſe conjuncti cum Virtutibus majoribus. Pari ratione, quò magis alij in Virtute proficiunt, tantò magis apparet aliorum pravitas aut tepiditas. Unde nihil Zizaniorum bono ſemini tuo ſuperſeminari ſinas, quantumvis parvum ab initio videatur; nihil enim parvum reputandum eſt, quod magnum evadere poteſt: & quia nemo repentè fit peſſimus, ideo attende, ne incipias fieri malus, aut tepidus, dum alij in Virtute egregiè proficiunt.

Punct. III. *Servi autem dixerunt ei: vis, imus, & colligimus ea? Et ait: Non; ne fortè colligentes Zizania, eradicetis ſimul cum eis & triticum. Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: colligite primum Zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* v. 28. Tunc Zizania non ſinuntur evelli, quando Deus non dat ampliùs Auxilia efficacia emendationis, vel quando Superiores ad evitanda majora mala, vel ad retinenda quædam Bona, coguntur diſſimulare magnorum & incorrigibilium defectuum Zizania. Ne ergo ſine Zizania ita in te invaleſcere, radicari, ac multiplicari, ut nec tu, nec Superiores tui, ea ampliùs evellere queant. Nec magni æſtima, ſi inter bonos malus tolereris: ſed cave, ne tu & defectus tui alligentur in faſciculos ad comburendum igne purgatorij, vel inferni. Gratum tibi etiam ſit, ſi à Superioribus,

perioribus, vel ab alijs de defectibus tuis admoni
ris, ne velut incorrigibiles igni reserventur. De
que considera, in Cœtibus, etiam Religiosis, Zi
nia, id est, imperfectos ac discolos nonnunquam
lerari debere, nec statim dimittendos, aut in alie
locum mittendos esse; quia aliquando serviunt
conservandum triticum: quippe Perfecti profici
ex visis imperfectionibus aliorum, solidantur in V
tute, & Patientiæ Merita augent.

MEDITATIO CCLXXIV.

De similitudine Regni Cælorum cum Grano Sinapis.

Matth. 13. v. 31. Marc. 4. v. 31. Luc. 13. v. 19.

PUNCTUM I. *Aliam parabolam proposuit eis, dicens: Simile est Regnum Cælorum Grano Sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo.* Matth. 13. v. 31. Expende cur, etsi nihil majus sit Regno Cælorum, tam quoad Dignitatem, quàm quoad Magnitudinem loci spectato, tamen comparetur à Christo grano omnium minimo. Nempe hoc ideò factum est, quia Gaudia Cælestia, utpote longissimè distantia, & sensibus corporeis non percipienda, multò minora apparent terræ, & carnis voluntati addictis hominibus, quàm gaudia præsentia & sensibilia: sicut Sol, etiamsi in comparatione major sit toto terrarum orbe, oculo tamen humano apparet sine comparatione minor. Itaque judicium sensuum per rationem & Fidem corrigendum est, & per hanc metiendum est Regnum

Cælorum

Cælorum, non tam quoad magnitudinem loci, quàm quoad Cæleſtium Gaudiorum exuberantiam ſpectatum; & conſiderandum, quæ mala abſint, quæ bona adſint, quámque ſtabilia & æterna ſint.

Punct. II. *Quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, cùm autem creverit, majus eſt omnibus oleribus, & fit arbor: ita ut volucres cæli veniant, & habitent in ramis ejus.* Matth. v. 32. Conſidera, quomodo Regnum Cælorum, & æſtimatio illius in agro cordis noſtri ſemper debeat creſcere, & majus apparere omnibus oleribus gaudiorum terreſtrium ac momentaneorum; ita ut velut in ingentem arborem comparatione illorum evadat. Diſpice etiam, an ſis inter volucres cæli, qui libenter habitant in ramis hujus grandis arboris; vel an in terra cum vermibus repas, & terreſtria olera cum illis depaſcas. Alæ, quibus in hanc arborem cum avibus cæli evolare debes, ſunt Intellectus & Voluntas, ut nihil aliud cogites & ames, quàm Regnum Cælorum, & cum S. P. N. Ignatio dicere poſſis: *Quàm ſordet mihi terra, cùm Cælum aſpicio.* Et cum S. Paulo ad Phil. 3. v. 20. *Noſtra autem converſatio in Cælis eſt.* Et ſupra v. 8. *Verùntamen exiſtimo, omnia detrimentum eſſe propter eminentem Scientiam JESV Chriſti Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror, ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.*

Punct. III. Conſidera fructum ſeu utilitatem, quam inhabitatio arboris, nempe memoria & æſtimatio Regni Cælorum in terris præſtat. Sicut enim volucres in arboribus inveniunt umbram contra æſtum Solis meridiani, tectum contra pluviam, latibulum contra inſidias milvi, commoditatem nidi ad generationem & multiplicationem prolis: ſic mentalis

talis inhabitatio Cæli præstat umbram contra æstu lucis, ac prosperitatis, sive contra *dæmonium meridi num.* Ps. 90. v. 6. ut illum æstum fugiamus, & bo terrena contemnamus : præstat contra imbrem a versitatis præsidium, ut fortiter illam sustineamu memores : *Quòd in præsenti est momentaneum, & l tribulationis nostræ, supra modum in Sublimitate æter Gloriæ pondus operetur in nobis, non contemplantibus nob quæ videntur, sed quæ non videntur : quæ enim videntu temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt.* Cor. 4. v. 17. Præstat contra tentationes Diaboli fugium : ideo David inquit Ps. 118. v. 12. *Inclina cor meum ad faciendas Justificationes tuas in æternum propt Retributionem.* Denique præstat ad multiplicem bon rum Operum partum commoditatem nidi, *Ut sit excelso nidus eius.* Habacuc. 2. v. 9.

MEDITATIO CCLXX

De similitudine Regni Cælorum cum Fermento.

Matth. 13. v. 33. Luc. 13. v. 21.

PUNCTUM I. *Aliam parabolam locutus est eis : Simi est Regnum Cælorum fermento, quod acceptum mul abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est tum.* Considera, cur Regnum Cælorum Fermen comparetur : Fermentum enim, farinæ immissum panem sapidum efficit, elevat, & dilatat : ideo ea Regnum Cælorum fermento assimilatur, quia Ju tiam, quam veluti panem esuriendum Christus d cuerat apud S. Matth. c. 5. v. 6. sapidum reddit; corda

cordanti enim Gaudiorum Cælestium, nihil est adeò acerbum vel insipidum, quod non cum gustu suscipiatur, vel perficiatur. Præterea Regni Cælorum memoria etiam elevat memoratum Animæ Spirituale panem, dum ad sublimem Justitiam ac Sanctitatem evehit, & impellit. Unde Christus in Apoc. c. 22. v. 11. ad eam altiùs extollendam sic hortatur: *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm opera sua.* Denique recordatio Regni Cælorum instar Fermenti panem Justitiæ dilatat ad omnis Mandati Divini executionem: ad quam Spe Regni Cælestis cor sibi extensum esse fatetur Psalmista Ps. 118. v. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas Justificationes tuas in æternum propter Retributionem.*

Punct. II. Considera, prædictos effectus præstari à Cælesti illo Fermento, quando anima tua illud abscondit in farinæ satis tribus. Tria farinæ sata, ex quibus panis Justitiæ efficitur, sunt tres Virtutes Theologicæ: in his Regnum Cælorum absconditur, quia nondum videtur, sed obscurè creditur; neque actu possidetur, sed obscurè creditum speratur, & sic creditum ac speratum etiam amatur ut ultimus Finis per Charitatem Dei in via, qui est ultimus Finis, & nostra Beatitudo objectiva, quæ per Regnum Cælorum principaliter intelligitur. Itaque Regnum Cælorum firmissimè creditum, speratum, & amatum, sapidos reddit, intendit, & extendit omnes Virtutum & Justitiæ actus. Absconde ergo illud in farinæ satis tribus per frequens Fidei, Spei, & Charitatis exercitium. Possunt etiam per tria sata intelligi tres spirituales potentiæ Animæ, dum Anima Regnum

Cælorum abscondit in Memoria per continuam re cordationem, in Intellectu per summam æstimati nem, & in Voluntate per ardens desiderium, Spe & Amorem.

Punct. III. Considera, Fermentum Regni C lorum tamdiu in farinæ satis abscondendum esse, d nec undiq; se diffuderit, nempe ad omnes actus Jus tiæ per totam vitam: semper enim dicto modo ad los actus impellere nos debemus, dicendo cum R gio Vate: *Credo videre Bona Domini in Terra Viventi* Ps. 26. Et cum Job. c. 19. *Scio, quòd Redemptor meus vit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & r sum circumdabor pelle mea: & in carne mea videbo DEU Salvatorem meum, quem visurus sum ego ipse, & oc mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc Sp mea in sinu meo.*

MEDITATIO CCLXXV

De similitudine Regni Cælorum cum Thesauro.

Matth. 13. v. 44.

Punctum I. *Simile est Regnum Cælorum Thesauro condito in agro.* Matth. 13. v. 44. Perpende, qu verè Regnum Cælorum Thesauro comparetur: c enim Regnum Cælorum potissimùm consistat in p sessione Beatitudinis objectivæ; hæc autem sit D ipse, qui est Bonum infinitum, unicè & perfectè tians Intellectum, & Voluntatem, eóque obte ponatur homo in Statu, omnium bonorum aggre

tione perfecto; hinc Regnum Cælorum est Thesaurus omnium pretiosissimus. Et tamen adhuc absconditus, quia non nisi Fide obscura, & à sensibus remotâ cognoscitur: nam *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEVS iis, qui diligunt illum.* 1. Cor. 2. v. 9. Rectè etiam dicitur in agro absconditus, ut eum velut in loco patenti, quò nulli præclusus est aditus, quilibet invenire possit. Deus enim *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem Veritatis venire.* 1. Timoth. 2. v. 4. Et ut ipsa etiam soli fertilitate, ac amænitate (per quas fructus Gratiæ, & gaudia accidentalia Gloriæ Cælestis significantur) homo alliciatur ad Agrum illum sibi comparandum. Cùm ergo Regnum Cælorum tantus Thesaurus sit, & absconditus sit, & à quolibet cum gaudio reperiri possit, ideo magnâ diligentiâ, & constantiâ nos illum quærere oportet.

Punct. II. *Quem, qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.* Ager, quo empto acquiritur jus ad Thesaurum, est Gratia Sanctificans: invenitur autem per Opera bona, ac meritoria; quæ, qui facit in absconditò, ut Pater Cælestis, qui videt in absconditò, reddat secundùm Christi promissionem apud Matth. c. 6. is inventum Thesaurum, sive inventionem Thesauri abscondit, ne ejus manifestatione humanam laudem quærens, hîc mercedem transitoriam recipiat, & Thesaurum Regni Cælorum perdat. Hæc tamen inventio ingens gaudium in Anima parit, ut adeòque laude, plausu, & favore humano non indigeat. Sicut enim opera mala remorsum Conscientiæ, ideóque tristitiam pariunt; sic Opera bona ge-

nerant gaudium: unde *Secura mens quasi juge convivium* Proverb. 15. v. 15. Id ipsum expertus est, qui dixit 2. Cor. 1. v. 12. *Gloria nostra hæc est, testimonium Co scientiæ nostræ, quòd in Simplicitate cordis, & Sinceritate DEI, & non in Sapientia carnali, sed in Gratia DEI co versati sumus in hoc mundo.*

Punct. III. Quia verò tunc primùm Thesaurus inventus simul cum agro, perfecto & stabili jure acquiritur, quando quis cum Gratia finali decedit e hac vita; ideo vadens pro Gratia comparanda vend omnia, omnes honores, omnes voluptates, omn denique creaturas, quarum abdicatio utilis vel nece saria est ad Gratiam finalem, & ad Thesaurum Reg Cælorum sibi comparandum; vel quarum retent occasio sibi est peccati, sive mortalis, sive venialis sive multarum saltem imperfectionum, disponen tium ad peccatum.

MEDITATIO CCLXXVI

De similitudine Regni Cælorum cum Margarita.

Matth. 13. v. 45.

Punctum I. *Simile est Regnum Cælorum homini ne tiatori, quærenti bonas Margaritas.* Id est: Sim modo quæritur Regnum Cælorum, quomodo n gotiator quærit bonas Margaritas: adeóque Regnu Cælorum comparatur bonæ Margaritæ. Confide ergo, quòd, sicut negotiator prudenter discernit, seligit bonas Margaritas à malis & falsis, solúmq apparentibus Margaritis, sic quicunque quærit R gn

gnum Cælorum, debeat illud à bonis terrenis discernere, & seligere; bona enim terrena nihil, nisi fragilia vitra sunt & fallacia, apparent tamen esse Margaritæ, & non sunt ullius pretij & valoris. Agnosce igitur ingens pretium Regni Cælorum, & vilitatem ac fragilitatem bonorum terrenorum; compara utraque inter se, & mox apparebit, hæc omnino contemptibilia esse, illud autem appetendum unicè, ac super omnia æstimandum.

Punct. II. *Inventâ autem unâ pretiosâ Margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.* Sic pro inventa, & agnita bona Margarita, scilicet pro æterna Beatitudine, æstimatâ infinito pretio Sanguinis Filij Dei, paratus esto omnia bona terrena, commoditates, voluptates, honores &c. relinquere, & dole, quòd sæpe rem levissimam illi præposueris; cura verò, ne deinceps quidquam præponas, & alicui rei, loco, officio &c. per immoderatum affectum adhæreas. Gratulare tibi etiam, quòd pretiosam illam Margaritam inveneris, & quòd relictis omnibus per ingressum Religionis illam emeris. Omnem proinde diligentiam adhibe, & auxilia Gratiæ à Deo precare, ne unquam contractus iste rescindatur, aut à te violetur, ullius rei contra promissam Paupertatem usurpatione.

Punct. III. Certum habe, non posse cætera bona retineri, & Margaritam simul, quasi per donationem, acquiri: ideo Christus dixit, emendam esse venditis omnibus. Idque confirmavit verbis Abrahæ ad divitem Epulonem. Luc. 16. v. 25. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* Et

apud eundem Lucam. c. 6. v. 24. *Væ vobis divitibus quia habetis consolationem vestram.* Considera tamen ingens præstari à Deo Beneficium, quòd pretiosissimam Margaritam tam exiguo pretio vilium bonorum liberaliter & gratiosè vendat, atque etiam jam in hac vita tradat. Nam quamprimùm deserimus perfectè omnia terrena, incipimus frui Cælestibus per libertatem, & quietem animi, & Solatia Cælestia; ut cum Apostolo etiam dicere quis possit: *Repletus sum Consolatione, superabundo Gaudio in omni tribulatione nostra.* 2. Cor. 7. v. 4.

MEDITATIO CCLXXVIII

De similitudine Regni Cælorum cum Sagena.

Matth. 13. v. 47.

PUNCTUM I. *Iterum simile est Regnum Cælorum Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti.* Id est, simile quid contingit circa homines in Cælum immittendos, quod contingit circa pisces, qui Sagenâ congregantur. Tria itaque hac parabola indicantur, Mors, Judicium, & executio Sententiæ judicialis, decernentis vel Gaudia Regni Cælorum, vel Supplicia Inferni. Primo hoc puncto consideres Mortem esse Sagenam, vel similem esse *Sagenæ missæ in mare* vitæ præsentis, falsæ, & instar aquæ dilabentis, *& ex omni genere piscium congreganti*: Nam *Statutum est hominibus semel mori; post hoc autem Judicium.* Ex ad Hebr. 9. v. 27. Cogita proinde, te hac Sagena co tò comprehendendum, & sicut ex Sagena aquæ di fluun

fluunt, pisces autem remanent, & in littus efferuntur; ita vitam nostram, & omnia, quæ in hac vita habuimus, sive salsa, sive dulcia, dilapsura: *Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* 2. Reg. 14. v. 14. Quando autem Sagena in mare mittenda sit, Christus in parabola non indicavit; quia voluit, tempus nobis esse occultum, & incertum, ut ad mortem certam semper essemus parati.

Punct. II. *Quam, cùm impleta esset, educentes, & secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione sæculi: Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum* Considera istam Electionem bonorum, & separationem malorum designare Sententiam infallibilem, & immutabilem, cujus Angeli erunt executores, quâ alijs dicetur: *Venite Benedicti*; Alijs: *Discedite à me maledicti.* Matth. 25. Cave ergo, ne inter bonos pisces, qui ad magnam & solidam Virtutis perfectionem in hoc vitæ mari, & in Religiosa Congregatione pervenerunt, & inter quos tanto tempore toleratus es, malus vel valde imperfectus inveniaris, forásque mittaris. Si enim in hac vita foras mitti, & è Societate Bonorum eijci horribile esset, quàm terribile foret eijci foras è Societate Electorum. Perfice nunc teipsum, ut tunc eligaris ab Angelis in vasa, Regno Cælorum, & Bonorum piscium vivario inferendus. Non satis est, esse vocatum, sed electum.

Punct. III. *Et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & stridor dentium.* Attende: Non dicit: & mittent eos in mare, unde extracti sunt, ut adhuc crescant, & perficiantur: quidquid enim Perfectionis in hac vita non acquisiêris, nunquam ampliùs acquires.

Dicit autem : *Ibi erit fletus*, quo deflebunt jacturam & pœnam damni ; *& stridor dentium* præ dolore pœnæ sensûs. Utramque hanc pœnam opponit Regno Cœlorum, ita ut eo non obtento necesse sit illam incurri. Igitur *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare : quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Eccl. 9. v. 10.

MEDITATIO CCLXXIX.

Christus in Patria exiguum fructum refert.

Matth. 13. v. 54. Luc. 4. v. 16. Marc. 6. v. 1.

PUNCTUM I. *Et factum est, cùm consummâsset JESUS parabolas istas, transiit inde* (ex domo Capharnaïtica conductâ, ubi Discipulis parabolas privatim exposuerat, teste Matth. c. 13. v. 36.) *Et veniens in patriam suam* (non in urbem Bethlehem, ubi natus fuerat, sed in urbem Nazareth, ubi erat nutritus, teste Luc. c. 4. v. 16.) *docebat eos in Synagogis eorum* (nam ut inquit S. Marcus. c. 6. v. 6. etiam *Circuibat castella in circuitu docens*) *ita ut mirarentur, & dicerent : unde huic sapientia hæc, & Virtutes ?* Matth. 13. v. 53. Considera Christum initio Prædicationis prætergressum esse civitatem patriam, quia, ut scribit S. Matthæus c. 4. v. 13. *Relicta civitate Nazareth venit, & habitavit Capharnaum maritimà, in finibus Zabulon & Nephthalim, ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam* (c. 9. v. 1.) *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Jordanem, Galilæa gentium, populus, qui sedebat in tenebris, vidit Lucem magnam : & sedentibus in regione

bræ mortis, Lux orta est eis. Volebat námque Christus Exemplo suo nos docere, ut nullius loci affectu alligati (qualis solet esse erga patriam) ibi maximè cuperemus esse, ubi opera nostra Superioribus magis videretur esse necessaria, & utilis, & ubi ager incultior plus laboris, & sudoris à nobis exigeret. Præterea, ut ex sequentibus patebit, exigua dispositio Nazarenorum ad recipiendam Lucem Prædicationis Christi, eandem etiam remorabatur: & hæc est causa, cur tardiùs & rariùs Divinas Illustrationes in Anima nostra recipiamus. Itaque his omnem obicem, & propriam indignitatem stude removere, ut & tibi sedenti in tenebris & in regione umbræ mortis oriatur Lux magna, dissipans lethalem umbram ignorantiæ & erroris in rebus ad Salutem & Perfectionem conducentibus.

Punct. II. *Et intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ, & ut revolvit librum, invenit locum, ubi scriptum erat* (Isa. 61. v. 1.) *Spiritus Domini super me &c.* Luc. 4. v. 16. Observa, Christum non temerè legisse, sed revolvendo librum exquisivisse locum S. Scripturæ, incredulitati Nazarenorum maximè utilem; eo enim continebatur testimonium de Christo, misso à Deo, ut Magistro & Doctore, quem illi ob vilitatem Parentum & Cognationis contemnebant. Sic Deus Illustrationes, & Inspirationes suas non temerè in Animam hominis infundit, sed Librum infinitæ suæ Sapientiæ revolvit, & seligit ex innumeris talem, quæ ad Salutem ipsi maximè videtur utilis & necessaria. Itaque summa gratitudine sunt recipiendæ, & summo studio ac dili-

gentia exequendæ omnes Divinæ Inspirationes; quibus ut semper efficaces eligat, DEVM precare & tales ipsemet per sedulam cooperationem effi reconare. Sic etiam selige tibi tales materias M ditationum, & tales libros pro Lectione Spiritu ex quibus maximè possis proficere. Cùm verò alios verba facienda sunt, præparatione singula & dicendorum delectu quàm maximè studeprodes & te accommodare captui, ac necessitati Audi rum. Adeóque nihil temerè, omnia cum delib facito.

PUNCT. III. Perpende locum Isaiæ, à Chri alta voce prælectum: *Spiritus Domini super me, prop quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me, sana contritos corde, prædicare captivis remissionem, & cæci sum, dimittere confractos in remissionem, prædicare annu Domini acceptum, & diem retributionis. Et cùm plicuis librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium in Synago oculi erant intendentes in eum. Cæpit autem dicere ad illo quia hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vest* Luc. 4. v. 18. Quemadmodum hæc Scriptura impl ta est in auribus Nazarenorum, quando auribus su audiverunt eum loquentem & docentem, per quem & in quo est impleta: & quemadmodum non tun tantùm cæpit impleri, sed jam antè impleta etiam num implebatur; ita quoque hodie, & quotidie im pletur in auribus & oculis nostris, quotiescunque v audimus, vel legimus Doctrinam, Miracula, & E xempla Divini Magistri è Cælo missi. Ideo & ocu nostri, & aures nostræ, & intellectus, & voluntas sint intenti in eum; quia pro toto tempore subsequen te Isaias de illo prophetavit c. 11. v. 2. *Requiescet sup* eum

eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & Intellectûs, Spiritus Consilii & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ & Pietatis, & replebit eum Spiritus Timoris Domini. Itaque Doctrina illius est Verissima, & Sanctissima: & traditur à tali Magistro, qui Unctione Unionis cum Increata Sapientia, & Natura Divina à Cælesti Patre solenniter inunctus, & totius mundi Doctor inauguratus est. Considera etiam effectus illius Doctrinæ, in priori Isaiæ textu indicatos. Hujus ergo Magistri Disciplinæ te totum trade: iste unus sit Magister tuus: Mundi verò, & Carnis sapientiæ aures tuas claude.

MEDITATIO CCLXXX.

Continuatio ejusdem Narrationis.

Luc. 4. v. 22.

PUNCTUM. I. *Et omnes testimonium illi dabant* (quòd doctè, sapienter, efficaciter, & tanquam potestatem habens loqueretur, non autem quòd esset Messias) *Et mirabantur in verbis Gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Luc. 4. v. 22. Non satis est in Meditatione, Lectione Spirituali, auditione Verbi DEI agnoscere, laudare, admirari Veritatem, Sapientiam, & quamcunque præstantiam illius, vel Auctoris, sed semper fructus aliquis capiendus est, voluntas impellenda, agnita Veritas opere implenda. Non enim Beati, qui audiunt Verbum DEI, sed qui custodiunt illud. Cùm autem ipse ad alios Sacra verba facis, non testimonium Auditorum laudantium & applaudentium, non admirationem in verbis & gratia dicendi captare,

captare, vel prensare debes, sed fructum; que
quia Christus unice quæsivit, hinc non curavit, q
per reprehensionem suorum Auditorum pro laud
admiratione odium eorundem & indignationem
se converteret, ut deinde patebit.

PUNCT. II. *Et multi audientes admirabantur in*
ctrina eius, dicentes: Unde huic hæc omnia? Et quæ
pientia, quæ data est illi; & Virtutes tales, quæ per
ejus efficiuntur? Nonne hic est Faber, Filius MARI
Frater (id est patruelis & consobrinus) *Jacobi & Jo*
& Judæ, & Simonis? Nonne & Sorores ejus (patruel
consobrinæ) *hîc nobiscum sunt? Et scandalizabantur*
Marc. 6. v. 2. Attende, quomodo Christus cum adm
bili sua Doctrina, Sapientia, & Virtute patrandi M
cula conjunxerit tantam Humilitatem, & extern
sui demissionem, ut ea captum hominum omnino
peraret. Hinc autem patet, quanta apud DEVM in
milibus officijs, parentibus, consanguineis, &
ejusmodi coram mundo contemptibilibus sit Di
tas & Excellentia, ut Filius DEI eadem sibi elegi
Sic cum Doctrina, Sapientia, Virtute, & alijs N
ræ vel Gratiæ insignibus donis Humilitas sociand
Sic curandum, ut non tantùm humiles, sed viles m
do videamur. Sic, quod in oculis hominum cont
ptibile est, eligendum. Nunquam verò nobili
Natalibus, vel Consanguineis, vel Affinibus glor
dum, nec de his, præsertim ab homine Religio
sermo miscendus. Cavendum etiam, ne Naza
nos imitemur cum ijs, qui Superiores, Magistros
Duces suos Spirituales, à DEO missos, & pro Anim
rum suarum directione à DEO datos, propter de
ctum quorundam donorum naturalium, Nobilit

Prudentiæ, Doctrinæ, Ætatis &c. aspernantur, & ab eorum Disciplina se subtrahunt.

Punct. III. *Et dicebat illis JESVS: non est Propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. Et non poterat ibi Virtutem ullam facere, nisi paucos infirmos impositis manibus curavit.* Marc. 6. v. 4. Quod Prophetis, id etiam Religiosis sæpe in domo sua contingit. Imitare ergo Christum, & firmo voluntatis proposito dic ex Ps. 83. v. 11. *Elegi abiectus esse in Domo DEI mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Nota etiam modum loquendi Evangelistæ: *Et non poterat.* Omnipotentiam enim, Bonitatem & Liberalitatem Dei infinitam nobis ipsis restringimus per exiguam nostram dispositionem, indignitatem, ingratitudinem, superbiam, & vel maximè, quia cum oblata Gratia Divina non cooperamur. Remove ergo hujusmodi obices, & impedimenta Cælestium Favorum, Auxiliorum, & Gratiarum.

MEDITATIO CCLXXXI.

Continuatio ejusdem Narrationis.

Luc. 4. v. 25.

Punctum I. Confirmans Christus, quòd *Nemo Propheta acceptus sit in patria sua*, duo affert exempla, dicens: *In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israël, quando clausum est Cælum annis tribus & mensibus sex; cùm facta esset fames magna in omni terra: & ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidoniæ ad mulierem viduam* (Gentilem) *& multi leprosi erant in Israël sub Elisæo Propheta: & nemo eorum mundatus est,*

est, nisi Naaman Syrus (Gentilis) Itaque tam mu
res, quàm viri ex Israëlitis, quia tantâ Fiduciâ P
phetas suos non honorabant, quantâ illos hono
verat mulier, & vir gentilis, ideo etiam ab eis t
tum beneficium non receperunt. Considera nu
an non ob similem causam DEVS ipse, & San
Religiosarum Familiarum Patroni sæpe hominib
sæcularibus & externis majora Beneficia præste
quàm Religiosis degentibus in Domo DEI, & S
ctos suos Spirituali Cognatione contingentib
Perpende etiam, unde proveniat, quòd multi
pe, imò Sacerdotes etiam quotidie, ad Sacram Ch
sti Mensam accumbant, nec tamen Panis cor ho
num illorum confirmet, nec Vinum lætificet? C
multi quoque peccatorum leprâ infecti, à tot
sæis, quot Confessarijs, non stabiliter mundentur,
emendentur? Nempe inde hoc provenit, quia n
cum debitâ Reverentia, nec cum Zelo deb
Honoris Divini ad Christum accedunt, nec c
debita observantia, ac subjectione Salutis n
nita accipiunt. Cave ergo, ne DEVS, ne pro
Sancti, ne Duces Spirituales, aut Superiores á t
domo sua minus Honoris, Cultûs, Observantiæ,
verentiæ, Obedientiæ accipiant, quàm ab alijs
nùs obstrictis; & tu ideo etiam minus Beneficio
recipias.

PUNCT. II. *Et repleti sunt omnes in Synagoga h
hæc audientes.* Luc. 4 v. 28. Ecce, qui paulo
tè (ut v. 22. dicebatur) testimonium Christo dabat
& mirabantur in verbis Gratiæ, quæ procedeba
de ore ipsius; mox repleti sunt irâ. Nihili ergo
cienda est laus humana, quæ tam facilè amittitu

& pro mutatione affectuum variatur : nec propterea parcendum Veritati, quando ad justam reprehensionem vitiorum necessarium est loqui. Neque imitandi sunt Nazareni isti, reprehensionis & correctionis impatientes ; sed omnes defectuum admonitiones, præsertim à Superioribus profectæ, cum gratiarum actione, & emendationis proposito suscipiendæ sunt.

Punct. III. *Et surrexerunt, & ejecerunt illum extra civitatem, & duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipse autem transiens per medium illorum ibat.* Luc. 4. v. 29. Considera præclarum Exemplum, & insignem effectum Mansuetudinis : non tantùm non irascitur Christus sibi irascentibus, neque contendit, neque commovetur; sed cedit, sinitque se duci usque ad supercilium montis : atque ita illius Mansuetudine placati, vel oculis capti, ne eum viderent, innoxium permittunt per medium illorum ire. Sic cedendo adversantibus, vel contradicentibus innoxius transibis : præsertim medio tutissimus ibis, si ad neutram partem hominum deflectas, nulli adhæreas, neminem fugias.

MEDITATIO CCLXXXII.

De Prædicatione Christi, & Missione Apostolorum, per Civitates & Castella Galilææ.

Marc. 6. v. 6. Luc. 8. v. 1. & cap. 9. v. 1.

Punctum I. *Et circuibat castella in circuitu docens.* Marc. 6. v. 6. *Et factum est deinceps, & ipse iter faciebat*

bat per civitates, & castella prædicans, & evangeliz
Regnum DEI: & duodecim cum illo. Luc. 8. v. 1. N
obstinatione & duritie stulti ac tardi cordis ad c
dendum, nec ingratitudine, nec persecutione N
zarenorum se sinebat abduci, quin totam il
rum viciniam per circuitum prædicando pet
reret. Qui enim vero Zelo Honoris Divini,
Salutis Animarum agitur, nullo prædictorum mo
tur, sed munere suo constanter, & æquè diligen
fungitur, sive magnum, sive modicum fructum a
cipiat; sive labores agnoscantur, & grato anim
cipiantur, sive nullam gratiam, sed maledicta, & p
secutiones referat. Fac, ut hoc indicium veri Z
in functionibus tuis experiaris, & ut cessante laud
gratitudine, favore humano &c. à fervore tuo n
remittas: ideo Christi Exemplo te ad illum exci
Simili etiam Zelo te extimula ad Missiones, ubi op
erit, pro Salute Animarum obeundas, quantum
incommodas & laboriosas.

Punct. II. *Et vocavit Duodecim* (qui ipsum
mitabantur, accersendo ad se, *Et cæpit eos mittere bi*
Marc. 6. v. 7. Considera triplicem potissimùm c
sam, cur Christus Discipulos suos non solitarios, s
binos miserit ad prædicandum (quem morem om
ferè Religiosæ Familiæ retinent) 1. Ut continu
mutuæ Charitatis exercendæ occasionem habere
solatium, auxilium, obsequium, sibi invicem p
stando. Hujus longè maximam habes occasion
in Communitate Religiosa: igitur operam da, ut
utaris, & reipsa experiaris Veritatem Oraculi Di
Ps. 132. v. 1. *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, ha*
tare Fratres in unum, Et Prov. 18. v. 19. *Frater, qui a*
v

vatur à Fratre, quasi civitas firma. 2. Ut Apostolicæ vitæ sibi invicem testes, custodes, & continui fervoris causæ ac incitamenta essent. Nam rectè Ecclesiastes c. 4. v. 11. ait: *Væ soli, quia, cùm ceciderit, non habet sublevantem se: Et si dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo calefiet? Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei.* Vide, quomodo ex Religiosæ vitæ Exemplis, & Conversatione cum alijs à quotidianis lapsibus erigaris, ad fervorem Virtutis & Perfectionis inflammeris, & ad resistendum Diabolo roboreris; & quomodo tu vicissim hujusmodi emolumenta alijs præstes. 3. Ut omnibus, etiam Apostolicæ vitæ Perfectionem sectantibus, præberetur Exemplum diffidentiæ suî ipsorum, & cautelæ ex Socij præsentia adhibendæ contra pericula & occasiones peccandi: ideo universos admonet S. Paulus ad Ephes. 5. v. 15. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis.*

Punct. III. *Et dabat illis potestatem Spirituum immundorum.* Marc. 6. v. 7. Sic etiam à S. Matthæo hîc c. 10. v. 1. & passim in S. Scriptura dæmones vocantur; quamvis alioquin Spiritus, & immundities videantur inter se repugnare. Sed etiam videntur inter se repugnare, & malè sonare: Homo Spiritualis, & immundus. Singulariter ergo tibi cavendum est ab omni peccati immunditie; præsertim quia homines Spirituales & Religiosi specialem potestatem acceperunt spirituum immundorum, eos à se repellendi, vincendi, sibique submittendi, ut ipsi potiùs succumbant ijs, quos tentant. Unde non timendum, sed implendum est illud monitum Ecclesiastici 2. v. 1. *Fili accedens ad Servitutem DEI, sta in Justitia & Timore* (non Spirituum immundorum, sed in Timore Dei filiali) *Et præpara Animam tuam ad tentationem.*

MEDITATIO CCLXXXIII

Monita & Præcepta, quibus Christus Apostolos instruit.

Matth. 10. v. 5. Marc. 6. v. 8. Luc. 9. v. 3.

PUNCTUM I. *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis; sed potiùs ite ad oves, quæ periêrunt Domûs Israël.* Matth. 10. v. 5. Disce ex hoc mandato Obedientiam, & Indifferentiam, quia sæpe amotio à certo loco, & à certis personis, quando spes majoris fructûs ibi faciendi affulserat, vel missio ad certum locum aut personas, ubi minor affulget spes fructûs, non exiguam Obedientiæ & Indifferentiæ parit difficultatem: sicut præsenti casu prohibitio eundi ad Gentes, & ad Samaritanos poterat Discipulis difficilis videri; quia primùm nupta Viduam Gentilem, & Naaman Gentilem (apud Lucam c. 4. v. 25.) ab ipso Christo audiverant præferri Israëlitis. Sic etiam de Centurione Gentili audiverant dicentem (apud Matth. c. 8. v. 10) *Non inveni tantam Fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Jacob in Regno Cælorum: filij autem Regni ejicientur in tenebras exteriores.* Viderunt etiam, ut refert Joannes c. 4. v. 39. magnam capacitatem, & promptitudinem Samaritanorum ad recipiendam Doctrinam Christi: *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia, quæcunque feci. Cum veniissent ergo ad illum Samaritani, rogaverunt, ut ibi manerent*

neret. *Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermones ejus.* Oculis etiam, & auribus suis perceperant, quod Christus ipse expertus, & fassus est. Luc. 4. v. 24. *Quia nemo Propheta acceptus est in patria sua.* Unde missio ad Israëlitas, & prohibitio ad Gentes & ad Samaritanos eundi, insignem occasionem & exemplum Obedientiæ, ac indifferentiæ ad locum & personas, cum proprij judicij ac voluntatis submissione nobis præbuit.

Punct. II. *Euntes autem prædicate, dicentes: Quia appropinquavit Regnum Cælorum.* Matth. 10. v. 7. Disce ex hoc mandato Obedientiam in rebus difficilibus, & in quibus est periculum diminuendi honoris, æstimationis, & contemptûs subeundi. Mittebantur enim homines rudes, inexperti, nullo apparatu librorum instructi, ad prædicandum ex tempore, ac ad Pharisæorum crises, & judicia perferenda.

Punct. III. *Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date.* Matth. 10. v. 8. Disce ex hoc mandato Confidentiam in Deum, quando ea, quæ jubentur, proprias vires videntur superare; & Humilitatem, si magna præstiteris. Qui enim sibi diffidit, & Deo confidit, proprijs viribus majora præstat; & si ea præstiterit, omnia Deo, nihil sibi adscribit. Non minùs enim opus Dei est, morbos, mortem, lepram, dæmones ab Animâ dicendo pellere, quàm à corpore. Disce etiam maxima Beneficia gratis exhibere, non solùm sine pretio, sed etiam sine gratitudine, laude, honore, favore &c. hoc enim est gratis dare.

MEDITATIO CCLXXXIV

Continuatio eiusdem Argumenti.

Matth. 10. v. 9. Marc. 6. v. 8. Luc. 9. v. 3.

PUNCTUM I. *Nolite possidere aurum, nec argentum neque pecuniam in Zonis vestris* (solebant enim olim Zonis appendi marsupia, sive crumenæ) *non peram in via* (sacculum scilicet viatorium, in quo viatores deferunt panes & escas) *neque duas tunicas, nec calceamenta* operientia totum pedem (nam apud Marcum c. 6. v. 9. Sandalia concessit, id est, soleas pedis plantam solummodo munientes contra asperitatem, & æstum telluris accensæ calore Solis) *neque virgam* (defensioni aut vindictæ, armorum loco servientem, quâ judices ad designandam Potestatem judicialem utuntur: virgam autem, seu baculum viatorium Christus non tantùm non prohibuit, sed expressè permisit apud S. Marcum c. 6. v. 8. *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantùm*) Hujus verò tam rigorosæ Paupertatis, qua omnem necessarij victûs curam repelli volebat, rationem assignans ait: *Dignus est enim operarius cibo suo* Matth. c. 10. v. 9. Unde de Divina Providentia eos confidere jubebat; hanc enim apud Auditores, quibus Evangelium prædicarent, de cibo ipsis providendam, ut eum nec ipsi emere, nec portare secum necesse haberent. Considera, quantam Paupertatem Christus à Discipulis exegerit, & quàm constanter illam etiam postea tenuerint, quámque studiosè eam posteri, ac successores illorum (saltem quoad privatam suam

suam personam, & quantum sine Proximi, quocum agitur, & cujus liberalitate vivitur, gravamine fieri potest) retinere debeant: ut scilicet nec pro sustentatione necessaria soliciti sint, nec superflua, neque commoda sectentur; sed contemptis rebus temporalibus, solorum Cælestium Bonorum æstimationem, curam, ac desiderium præseferant, certâ Confidentiâ in DEVM ac Spe nixi, necessariam sustentationem nunquam ipsis defuturam.

PUNCT. II. *In quamcunque autem civitatem, aut castellum intraveritis, interrogate, quis in ea dignus sit* (apud quem scilicet vos deceat divertere, quique mereatur Cælestem Evangelij Doctrinam ex vobis audire, & præstiti vobis hospitij præmium longè amplius accipere) *Et ibi manete* (contenti eodem hospitio) *donec exeatis* (civitate illa vel castello) Matth. 10. v. 11. Non dixit Christus: Interrogate, quis nobilis, quis dives, quis in alto dignitatis gradu constitutus sit; sed: *quis dignus sit*: hæc enim dispositio ad agendum cum Proximo respicienda, hæc non negligenda est in procuranda Salute Animarum, etiamsi cætera desint. Hanc dispositionem, scilicet ut quis dignus sit, etiam DEVS respicit, ut propter illam det specialia auxilia ad meritum quarumcunque Virtutum efficaciter obtinendum, ac ut etiam ipse dignetur in Anima hominis divertere, ipsi familiariter & ad cor loqui, & cum ipso manere. Ex ultimis verbis intelligant Religiosi, cùm ad domicilium, vel locum aliquem à Superioribus suis mittuntur, sibi illic manendum esse, donec eorundem jussu inde iterum exeant, abitu nequaquam antea solicitato.

PUNCT. III. *Intrantes autem in domum, salutate*

eam, dicentes: Pax huic domui. Et si fuerit quidem dom illa digna, veniet Pax vestra super eam: si autem non fue digna, Pax vestra revertetur ad vos Matth. 10. v. 12. D cet hîc Christus nihil præstantius alicui optari, & p cibus à Deo postulari posse, quàm Pacem, quâ qu cum Deo, Proximo, & secum ipso pacatè vivit. Ha Pacem Christus in hunc mundum ingressus per A gelos apprecatus est, hanc ipse Discipulis post Re rectionem aliquoties eos revisens impertivit, ha secum affert, Animam hominis ingressus. Hanc & nos efficaciter, & non solis verbis apprecemur a omnem nos operam vult impendere; quæ si dein recepta non fuerit, ad nos revertetur, præmi scilicet operæ præstitæ æquè promerituros, quàm Pax nostra, & Animæ Salus recepta fuisset; unde tiamsi exiguum fructum vel Animarum lucrum f ciamus, non est, cur nos operæ, veluti perditæ, p niteat.

MEDITATIO CCLXXX

Continuatio ejusdem Argumenti

Matth. 10.

Punctum I. *Et quicunque non receperit vos, neq audiérit sermones vestros: exeuntes foras de domo vel ci tate, excutite pulverem de pedibus vestris* (addit S. Ma cus c. 6. v. 11. *In testimonium illis*, quo scilicet teste tur, se cum illis, velut Deo exosis, nihil velle com mune habere) *Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ S domorum, & Gomorrhæorum in die Judicii, quàm illi c vitati.* Matth. 10. v. 14. Si Christi Discipulos non r cipie

cipientibus tanta mala evenient, quid fiet DEVM ipsum, & Inspirationes illius repellenti? & quid fiet tam multiplici cognitioni ac notitiæ rerum Spiritualium per ipsa facta contradicenti? Monet etiam Christus, ut cum malis & perversis hominibus agentes, pulverem etiam de pedibus diligenter excutiamus, ne scilicet minimos etiam defectus, pulvere significatos, ex conversatione cum ipsis adhærere nobis sinamus. Unde sæpe nos recolligere, nosipsos discutere, de commissis defectibus dolere, ab ijsdem nos purgare, ac deinceps cavere debemus, quod idem est, ac pulverem de pedibus excutere.

PUNCT. II. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum.* Matth. 10. v. 15. Considera, quis mittat, quales mittat, & ad quos mittat. Ille, qui dicit: *Ego mitto*, est Pastor Bonus, qui Animam suam ponit pro Ovibus suis; unde magnâ in eum Fiduciâ etiam ad lupos eundum est. Qui mittuntur, sicut oves innocentes & mites esse debent. Mittuntur verò ad lupos, non tantùm timendos, sed convertendos in Oves, vitæ innocentis Exemplis, persecutionum, & adversitatum Patientiâ; sic enim Oves prævalebunt lupis.

PUNCT. III. Ut verò hæc missio ovibus minimè periculosa, & lupis quàm maximè fructuosa sit, monet Christus: *Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbæ.* Matth. 10. v. 16. Prudentiâ enim opus est in prævidendis & præcavendis periculis, & damnis propriæ Salutis ac Perfectionis, & suaviter, simúlque efficaciter pertrahendis alijs ad suam Salutem ac Perfectionem. Simplicitate autem opus est tum erga DEVM per Intentionis puritatem, tum

erga Proximum, per conversationis Sinceritatem ut videat, nihil aliud quæri, quàm suam Salutem m do agendi humillimo, ac veraciſſimo. Pruden æſtimationem, Simplicitas amorem & confidenti pariet apud homines, quibuscum agendum erit.

MEDITATIO CCLXXXV

Continuatio ejuſdem Argumenti

Matth. 10.

PUNCTUM I. *Cavete autem ab hominibus &c. Tra autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & ſurgent filij in parentes, & morte eos afficient: & eritis omnibus propter Nomen meum.* Matth. 10. v. 17. Sic Chriſtus vult, ut omnes homines amemus, velut n ipſos; ita dehortatur ab amicitia privata ac minùs dinata, atque ab omni humana fiducia, etiam e conjunctiſſimos, à quarum utraque ipſum cautè ſtinuiſſe, teſtatur S. Joannes c. 2. v. 24. dicens: *ipſe autem JESUS non credebat ſemetipſum eis, eò quod ipſe nôſſet omnes, & quia opus ei non erat, ut quis teſtimonium perhiberet de homine: ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* In hunc finem apud Jeremiam c. 17. v. 5. *Hæc dicit Dominus: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Imò paratos nos eſſe opo tet, à patribus, fratribus, & filijs ſpiritualibus (ut Religioſis Ordinibus nonnunquam contingere ſolet perſecutiones ſuſtinere, & odio haberi propter N men Chriſti, nimirum pro Exaltatione Nominis illius quod Patientiâ & Imitatione ejus glorioſum redditu nec tam curandum eſt, utrùm in odium Nomin

Chri

Christi adversa inferantur, quàm utrùm pro Amore ejusdem Nominis libenter sustineantur.

Punct. II. *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Matth. 10. v. 22. Considera, quomodo non tantùm Apostolis in persecutionibus, sed omnibus hominibus Perseverantia necessaria sit; & quàm parùm sine ea conducant merita nostra præcedentia; id, quod instabiles Angeli in Cælo, & innumeri homines in terra propriâ experientiâ suâ testantur. Idcirco expendenda, & adhibenda sunt media, quæ ad Perseverantiam maximè videntur conducturа, qualia sunt consuetæ Exercitationes Spirituales, Oratio, Meditatio, duplex Examen, Libri Spiritualis lectio, abnegatio suî, executio frequens, & renovatio bonorum Propositorum &c.

Punct. III. In prædicti Vaticinij confirmationem, & adhortationis suæ constantem executionem adducit Christus proprium suum Exemplum, dicens: *Non est discipulus super Magistrum, nec servus super Dominum suum. Sufficit discipulo, ut sit sicut Magister ejus; & servo, sicut Dominus eius. Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt* (id est, vicaria ejus potestate fungentem, cùm dicerent Luc. 11. v. 15. *In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia*) *quantò magis domesticos eius?* Matth. 10. v. 24. Si enim propria Israëlitarum Gens nec Supremi Dominij Potestatem, nec Divini Magisterij Auctoritatem, nec inter Filios Dei optimi ac pijssimi Patrisfamilias Dignitatem, ac Charitatem in Christo reverita est, quin odia, probra, persecutiones ipsi frequenter, imò continuò inferret; non dubitandum est Sectatoribus Christi de Vaticinij veritate: ideo solùm ejus Exemplo ad Patientiam, Fortitudinem,

tudinem, Perseverantiam, & constantem in om
bus Imitationem sese animent, comparatione tripl
Domini, Magistri, & Patrisfamilias, sibi tanqu
minimis servis, discipulis, & filijsfamilias conti
ante oculos positâ.

MEDITATIO CCLXXXVI

Continuatio ejusdem Argumenti

Matth. 10.

PUNCTUM I. Cùm Christus Discipulos suos adqu
vis adversa, injurias, persecutiones, secund
Exemplum suum tolerandas, excitâsset, ut har
metum ipsis adimeret, asseveravit illis, quòd inn
centia illorum per ignorantiam oppressa, mala omn
ipsis occultè illata, Patientiæ, Fortitudinis, ac Pe
severantiæ in abscondito relata trophæa, aliquand
toti mundo cum magna Gloria illorum sint mani
standa. *Nihil enim*, inquit Matth. 10. v. 26. *est op
tum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scie*
Noli ergo ipse Innocentiam tuam, & laude digna o
ra, ac merita tua per jactantiam aut gloriation
in hac vita alijs manifestare, sed desidera potiùs l
tere; quia suo tempore nihil erit opertum, vel occ
tum, quod non revelabitur ac scietur. Sicut eco
trario omnia mala occultè cogitata, dicta, & fact
toti mundo pandentur. Ab omnibus ergo abstine
quæ verecundiam & ruborem incutere possunt.

PUNCT. II. Quia omnia Christi colloquia eran
Sanctissima, & utilissima, ideo non tantùm non re
formidavit, ea alijs manifestari, sed ad hanc ipsam
mani

manifestationem intrepidè faciendam hortatur, & metum eximit. Talia sint omnia tua verba, ac dicta, ut ea citra omne tuum damnum, & Proximi offensam, vel scandalum cuilibet referri ac manifestari possint. Quemadmodum nimirum Christus Discipulis suis dixit: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Matth. v. 27.

Punct. III. *Et nolite timere eos, qui occidunt corpus, Animam autem non possunt occidere: sed potiùs timete eum, qui potest & Animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. v. 28. Aliam causam timoris à Discipulis suis repellendi affert Christus in prædictis verbis, 1. ex imbecillitate & infirmitate hominum, ob quam omni sua malitia, malevolentia, odio, persecutione nihil possunt nobis per illata mala nocere, etiamsi bona omnia externa, famam, honorem, ipsámque vitam abstulerint; quia hæc damna potiùs lucra sunt: *Momentaneum enim & leve tribulationis supra modum æternum Gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. v. 17. Hinc ob metum hominum nullum malum à nobis est faciendum: nullum bonum, quod videbitur necessarium, vel magis expediens, intermittendum: nulla assentatione illorum gratia est aucupanda. 2. Ex levitate malorum temporalium, etiam corpori nostro illatorum; eò quòd, ut dictum est, nobis magis prosint, quàm obsint; & quòd corpus in comparatione Animæ minimi sit æstimandum. Unde pro evitandis Animæ malis libenter sustineamus corporis afflictionem; imò eandem nobis ipsis inferamus per opera, quibus sancto & laudabili Odio nos ipsos persequimur.

MEDI-

MEDITATIO CCLXXXVI

Continuatio ejusdem Argumenti

Matth. 10.

PUNCTUM I. Exempto ex animis Apostolor metu adversorum & persecutionum, propter C stum ferendarum, excitat illos ad Fiduciam in trem suum, & ad seipsum, dicens Matth. 10. v. *Nonne duo passeres asse væneunt, & unus ex illis non super terram sine Patre vestro? vestri autem capil pitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis seribus meliores estis vos.* Ex comparata vilitate pa ris cum Excellentia & Amabilitate Filij DEI, & c sequenter ex comparata Providentia Patris Cæle erga unum passerem, & erga Filium DEI adoptiv per Gratiam ostendit Christus, quantâ Fiduciâ e Divinam Providentiam ferri debeamus, utpote in externo effectu sine comparatione major elu erga nos, quàm erga passerem, erga quem tam nunquam deest. Unde quælibet adversa, non quam ex malevolentia hominum illata, sed tanq ex Divina Providentia in nostram specialem utili tem procurata, vel permissa suscipienda sunt: & p dem non tantùm in rebus majoris momenti, sed et in levissimis, vel minimis, ita ut neque unus capil demi aut infringi nobis possit, nisi consentiente mantissimi Patris Providentiâ. *Scimus autem, quoni diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum, iis, q secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Rom. 8. v. 28.

PUNCT. II. Paternæ Providentiæ jam per

ipsam promptæ ac paratæ addit, & appromittit Christus suam apud Patrem efficacissimam intercessionem pro omnibus, qui ejus Doctrinam, & professionem Doctrinæ verbis, facto ipso, & imitatione non erubuerint: *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & Ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & Ego eum coram Patre meo, qui in Cælis est.* Confessio hæc à nobis debet fieri Corde, Ore, & Opere, ut omni modo Servos, Discipulos, & Filiosfamilias Christi nos profiteamur; ne de nobis quoque dici possit illud S. Paul. ad Tit. c. 1. v. 16. *Confitentur se nôsse* DEVM, *factis autem negant.* An non his sæpius Christum, quàm S. Petrus, negâsti? A Christo autem fiet confessio nostrî, dum nos confitebitur ut Servos suos in ordine ad Mercedem; ut Discipulos suos in ordine ad Præmium; ut Filios suos in ordine ad Hæreditatem, ut simus Hæredes Dei, Cohæredes autem Christi.

Punct. III. Præter Confidentiam ad Devm & ad Christum in adversis, fundatam in Providentia Patris, & Filij apud Patrem intercessione ac attestatione de nobis, exigit Christus etiam Resignationem & Conformationem nostræ voluntatis cum prudenti & suavi Dispositione Christi in sustinendis varijs persecutionibus & adversis, qnæ etiam à conjunctissimis nobis inferri possunt; vel in pace, ac prosperitate vitæ temporalis undecunque turbanda. *Nolite arbitrari, quia Pacem venerim mittere in terram: non veni Pacem mittere, sed gladium* (id est bellum continuum) Matth. v. 34. ut sic occasione continua Victoriæ nostrî ipsorum, præsertim Voluntatis nostræ, reportemus Coronam: *Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit.* 2. Tim. 2. v. 5. MEDI-

MEDITATIO CCLXXXII

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 10.

PUNCTUM I. Quia Christus præviderat, propter Fidem Evangelij, & propter Sanctitatem vitæ Christianæ multas persecutiones etiam à proximis Consanguineis illatum iri, præmonere & præmunire voluit Discipulos suos, & in horum persona omnes fideles, dicens: Matth. 10. v. 36. *Inimici hominis domestici ejus.* Quæ enim major potest esse inimicitia, quæ à Fide & vera Sanctitate aliquem velle abducere, quantumvis sub specie amoris, pietatis, & proximæ conjunctionis? Tales domestici inimici sunt ipsa etiam propria caro & sanguis, & omnes potentiæ sensitivæ, & passiones animi, quæ sub specie justi amoris proprij summam in nos inimicitiam exercent, quia à maximis ac æternis Bonis retrahunt, ac in mala oppositа impellunt. Itaque tum erga consanguineos, tum erga propriam carnem ac sanguinem appetitum nos geramus tanquam erga inimicos, repugnando illis, quando à vitæ Sanctitate impedire nos conantur.

PUNCT. II. Ne amore consanguineorum quispiam ad ullum peccatum induci, vel à virtute deduci se sineret, perrexit Christus dicere: *Qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non est me dignus: & qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Considera ergo, quid sit, & quàm indignum sit, patrem, matrem, filium, aut filiam plus diligere, quàm Christum, nempe illorum beneplacitum Christi Beneplacito

præferre, vel ad committendum malum, vel ad omittendum bonum. Unde longè indignius est, alios homines, non ita proximè junctos, nec bene meritos, nec forsan etiam bene merituros de nobis, Christo modo prædicto præferre cum proprio & nunquam reparabili damno. Quantum autem damnum est, factum esse non dignum Christo, scilicet Redemptore, Domino, Magistro, imò DEO ipso; & sic repelli à Christi Meritis, Servitute, Disciplina, & ab omnibus ejus Attributis Divinis, præsertim Potentia, Sapientia, Providentia, Bonitate, Misericordia, Clementiâ, ac denique ab ultimo Fine nostro?

PUNCT. III. Ne ergo ullum hominem Christo per amorem præferamus, sic diligamus Proximum, ut ratio amoris nostri ultimata sit Christus. Hic enim valet illud Sapientum adagium: Propter quod unumquodque tale, illud magis tale. Ideo ulteriùs dixit apud Matth. c. 10. v. 40. *Qui recipit vos, me recipit* (Legatus enim repræsentat personam legantis, adeóque Apostoli repræsentant personam Christi) *Et qui me recipit, recipit eum, qui me misit. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet; & qui recipit Justum in nomine Justi, mercedem Justi accipiet. Et quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine Discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quibus verbis testatur Christus, quòd amor exhibitus Prophetæ Christi, vel Justo sive Amico DEI, vel cuicunque homini in gratiam Discipuli Christi, ultimatè referatur in ipsum Christum; propterea à se redditum iri mercedem, quam meretur receptio Prophetæ Christi, facta nempe Prophetæ propter Christum, quia Christi

Propheta

Propheta est: aut facta Justo, quia Christi Amic
est.

MEDITATIO CCXC

Continuatio ejusdem Argumenti

Matth. 10.

PUNCTUM I. Sicut Christus priùs docuerat, qu
modo ordinanda sit Charitas erga consanguine
& erga Proximum qualemcunque; ita nunc doc
quomodo Charitas ordinanda sit ab unoquoque h
mine erga seipsum. Itaque dicit apud Matth. c.
v. 38. *Qui non accipit crucem suam, & sequitur me, n
est me dignus.* Quomodo autem accipere crucem sua
& sequi Christum, sit verè & ordinatè seipsum di
gere, patebit ex sequentibus. Nunc in relatis ver
considera, quid sit accipere crucem, & quidem su
crucem; & quò, ac quomodo sequi oporteat Chr
stum. Ille ergo accipit crucem, qui se cruci n
subducit, cùm potest: vel qui, cùm se subducere
potest, eam de manu DEI acceptat, & voluntat
suam Divinæ perfectè conformat. Ille verò accip
suam crucem, qui eam fert, quam DEVS ab ipso exig
vel imponit; & non, quam ipse eligit. Qui si e
etiam ferat usque ad mortem, & eo modo ferat, q
Christus tulit, is profectò Christum sequitur. C
Christi autem, nempe à Christo cuivis homini a
gnata, est inprimis illa, de qua ipse dixit: *Jugum meu
suave est, & onus meum leve.* Deinde est asperitas viti
cujusvis Vocationi & Statui conveniens: denique
quævis adversitas à DEO homini immissa, vel p
mi

missa. Hanc crucem qui non accipit, & Christum sequitur, non est illo dignus, ut sit ejus Servus, Discipulus, & Cohæres.

Punct. II. *Qui invenit Animam suam, perdet illam.* Matth. 10. v. 39. Considera, invenire Animam, idem esse, ac quærere, & assequi omne id, quo Animæ potentiæ delectantur, vel refugere id, quod aversantur; sicut autem immoderata voluptate cibi ac potûs tollitur vita corporis, ita potentiarum immoderata oblectatione, vel expletione appetitûs sensitivi, & amoris proprij tollitur vita Animæ, & incurritur pæna, quam Deus intemperantiæ gustûs comminatus est. Gen. 2. v. 17. dicens Adamo: *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et sicut matres immodico amore perdunt filios suos; sic homo perdit Animam suam per similem proprij amoris indulgentiam: & hoc est, seipsum perditè amare. Verùm *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro Anima sua?* Matth. 16. v. 26. Anima enim est suî ipsius pretium; da illam, ut recipias eam.

Punct. III. *Et qui perdiderit Animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. l. c. Perdere Animam suam idem est, ac Amore Christi relinquere, quidquid potentias Animæ contra Divinum Beneplacitum delectat; & admittere, quidquid juxta Divinum Beneplacitum Animæ potentias cruciat. Sic autem perdere, est invenire Animam suam: acerbæ enim medicinæ & aspera remedia Salutem afferunt non solùm corpori, sed & Animæ: suavia autem & dulcia utrique nocent. Nam *Qui mel multùm comedit, non est ei bonum.*

num. Proverb. 25. v. 27. Ideo rectè inquit S. Greg. hom. 37. *Tunc etenim bene nostram Animam odimus, cum ejus appetitum frangimus, ejus voluptatibus reluctamur, quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amittur.* Ita odio habuerunt & perdiderunt Animas suas Sancti Martyres; & Christus ita de se dixit. Joan. 10. v. 17. *Ego pono Animam meam, ut iterum sumam eam.*

MEDITATIO CCXCI.

Prædicatio Christi per Galilæam, ejúsque fama ad Herodem perlata.

Matth. 11. v. 1. & 14. v. 1. Marc. 6. v. 14.

PUNCTUM I. *Et factum est, cùm consummàsset JESUS præcipiens duodecim Discipulis suis, transiit inde, ut doceret, & prædicaret civitatibus eorum.* Matth. 11. v. 1. Ex his verbis colligitur, & considerandum proponitur, quòd instructio, Viris Apostolicis à Christo tradita, fuerit consummata, id est, fuerit plena, integra, ac perfecta instructio, & habuerit non merum rationem Consilij, sed etiam Præcepti. Sicut ergo consummavit JESUS præcipiens; sic tu consumma obsequens: Christo enim consummata Obedientia debetur, id est, plena, integra, perfecta, usque ad finem quo simul vita absolvitur.

PUNCT. II. Considera duas potissimùm fuisse Christi functiones, *Docere, & Prædicare*: Quanti ergo à te æstimandæ sunt? quanto studio, & præparatione suscipiendæ ac prosequendæ? Nihil enim præstantius, nihil ad DEI Gloriam & Proximi Salutem promove-

dam utilius est, quàm docere & prædicare, si id verbo simul & factis fiat, idque gratis, ut præceperat Christus apud Matth. c. 10. v. 8. tunc enim DEVS Præmium & Minerval ingens rependet: quia *Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Matth. 5. v. 19. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor Firmamenti: & qui ad Justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates* Dan. 12. v. 3. Itaque ad docendi, & prædicandi munus utiliter obeundum Doctrinam & Virtutem omni studio tibi procura, atque in eodem tibi commisso omnem diligentiam adhibe: est autem istud suo modo omnibus commissum, ut saltem piis Colloquijs & bonis Exemplis Proximum instruant: ideo S. Paulus ad Colos. c. 3. v. 16. scribit: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni Sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos &c.*

PUNCT. III. Dum Apostoli secundùm datam sibi instructionem à Christo, ipséque Christus partim per Apostolos, partim per seipsum, appropinquationem Regni Cælorum, & pro illo obtinendo Pœnitentiam prædicant, Doctrinámque suam Miraculis, & Virtutum suarum Exemplis confirmant, Christi fama ad Herodem Galilææ Tetrarcham penetravit, teste Marco c. 6. v. 12. *Et exeuntes prædicabant, ut Pœnitentiam agerent; & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros, & sanabant. Et audivit Rex Herodes (manifestum enim factum est Nomen ejus) & dicebat: quia Joannes Baptista surrexit à mortuis, & propterea Virtutes operantur in illo &c. Quem ego decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit.* Considera, quòd, etsi errârit Herodes, supponendo dari transmigrationem physicam & realem Animarum in alia corpora, in sensu tamen

morali fieri possit, ut Animæ Sanctorum in Cælo
gentes, imò ipsius Christi Anima, in corpora nos
transeant, & in nobis resurgant: si nimirum ipsar
Virtutes imitemur; hoc sensu Christus de S. Joan
dixit. Matth. 11. v. 14. *Ipse est Elias.* Et S. Paulus
se Gal. 2. v. 20. *Vivo autem jam non ego: vivit vero
me Christus.* Sic fac Sanctos, & Christum ipsum in
resurgere; æquum enim est, ut, quia Christus à te,
pro te occisus est, in te, & per te resurgat.

MEDITATIO CCXCI.

De Morte S. Joannis Baptistæ.

Marc. 14. v. 3. Marc. 6. v. 17. Luc. 3. v. 19.

PUNCTUM I. Occasione opinionis, quòd Herodes
ut in præcedenti Meditatione dictum est, audi
Miraculis Christi & Discipulorum ejus putaverit,
eo revixisse, ac resurrexisse Joannem Baptistam,
Matthæus, & S. Marcus referunt ejusdem S. Joan
mortem, quamvis neuter exprimat tempus, quo
contigerit (quod Cornelius à Lapide in c. 6. S. Mat
ci ostendit fuisse circa finem anni trigesimi secund
Christo nato) relatis enim verbis Herodis: *Quem
decollavi Joannem, hic à mortuis resurrexit*: subjungit
Marcus c. 6. v. 17. *Ipse enim Herodes misit, ac tenuit Joa
nem, & vinxit eum in carcere propter Herodiadem uxor
Philippi fratris sui; quia duxerat eam. Dicebat enim Joa
nes Herodi: non licet tibi habere uxorem fratris tui* (adde
S. Lucas c. 3. v. 19. quòd illum etiam corripuerit
omnibus malis, quæ fecerat Herodes) *Herodias autem in
diabatur illi, & volebat occidere eum.* Idem voluisse H
rodes

rodem, instigatione nimirum Herodiadis, testatur S. Matthæus c. 14. v. 5. Duo hîc consideranda proponuntur, unum imitandum, alterum devitandum. Primum est Exemplum correctionis fraternæ sine respectu humano ad dignitatem & potentiam personæ, præsertim quando ex officio teneris eam corrigere; tunc enim oportet esse Vocem clamantis, & non obmutescere, ac dissimulare. Alterum est odium correctoris, cui potiùs amor & gratiarum actio, & auscultatio debetur; sicut quando aliquis de errore itineris, de macula in vultu, de periculo vel damno, ex actione aliqua secuturo, benevolè ab aliquo admonetur.

Punct. II. Considera, Herodem non statim ausum esse exequi voluntatem suam, & Herodiadis adversùs Joannem: nam teste Matthæo c. 14. v. 5. *Volens eum occidere, timuit populum; quia sicut Prophetam eum habebant.* Et teste S. Marco c. 6. v. 20. *Herodes metuebat Ioannem, sciens, eum Virum Justum & Sanctum: & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat.* (unde colligitur, solùm propter instigationem Herodiadis voluisse occidere) Quia tamen metus iste fuit merè humanus, ideo facilè per alium fortiorem metum displicendi uxori, filiæ, & convivis mensæ regiæ superatus est, & in necem consensit. Sic qui solùm ex metu humano absterrentur à malo, constantes non sunt, & facilè alio metu fortiore vincuntur. Deum ergo time, & ama super omnia: & sic nec opus habebis cohiberi timore hominum; nec superari poterit timor & amor tuus.

Punct. III. Considera, quanta sit vis Justitiæ & Sanctitatis: nam propter eam timuit Tyrannus iner-

mem, captivum, & vinctum Joannem : imò lib
ter etiam reprehensiones & correctiones ab eo
acceptavit, & multa crimina emendavit. Hinc
go auctoritatem tibi apud homines, hinc verbis
pondus & gratiam concilia potiùs, quàm ex doc
na, modo vivendi agendique minùs religioso,
conniventia & adulatione. Libenter etiam, &
seria emendatione defectuum tuorum reprehen
nes audi, ne in hoc ab impijssimo Herode superen

MEDITATIO CCXCII.

Continuatio ejusdem Historiæ.

PUNCTUM I. *Et cùm dies opportunus accidisset, H
des natalis sui cænam fecit Principibus, & Tribunis,
Primis Galilææ. Cúmque introisset filia Herodiadis, &
tàsset, & placuisset Herodi, simúlque recumbentibus;
ait puellæ : pete à me, quod vis, & dabo tibi, licèt dimid
Regni mei.* Marc. 6. v. 21. Considera imprudenti
promissionis, tam ex parte rei promissæ pro me
quodam levissimo, quàm ex parte promissionis
cipitis, inconsideratæ, inter pocula, & ex inor
to quodam gaudio factæ, cujus deinde Herodem
nituit cum tristitia. Procul sit à te hujusmodi imp
dentia in verbis & promissis tuis ; ne quid impru
ter, inconsideratè, præcipitanter, vel ex inordin
affectu gaudij, amoris &c. dicas, vel spondeas, cu
difficultates, & damna emergentia non prævider
Sicut autem promissio Herodis fuit imprudens,
immoderata, sic tamen etiam fuit adhuc restricta
dimidium Regni. At Cælesti Regi Cænam facien
Sanc

Sanctis suis, cujusvis Animæ, per Gratiam in Filiam adoptatæ, saltus & progressus in Virtute ita placet, (prout ipse testatus est in Canticis c. 7. v. 1. dicens: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis*) ut pro quovis gressu, sive Opere bono in Gratia facto, & ab hac, atque à meritis Christi, ad virtutem æterna promerendi præmia elevato, prudenter, & illimitatè, non dimidium, non terrenum, sed integrum, sed Cæleste Regnum promittat, & certò conferat.

Punct. II. *Quæ cùm exîsset, dixit matri suæ: quid petam? At illa dixit: caput Ioannis Baptistæ. Cúmque introîsset, statim cum festinatione ad Regem, petivit dicens: Volo, ut protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Marc. 6. v. 24. Considera 1. sicut puella, usa consilio matris pessimæ, rem pessimè gessit; sic ut rem optimè geras, optimis consilijs Virorum prudentum semper utendum esse. 2. Considera, sicut in promittendo, sic etiam in exequendo præcipitantiæ fructum esse imprudentiam, quam commisit puella cum Herode, *statim cum festinatione, protinus*, petens & obtinens caput Joannis Baptistæ. 3. Considera, quòd, sicut Caro nostra nobis idem est, quod Eva fuit Adamo (& ideo ea vocatur Eva nostra) sic etiam Herodias nobis sit caro nostra: quam proinde si in consilium adhibemus, inutilia & noxia, ac perversa petere & concupiscere nobis suadet, neglectis Bonis maximis, Cælestibus, & Æternis; sicut Herodias suasit peti caput Joannis Baptistæ, neglecto dimidio Regni Herodis: & sicut caput impiè amputatum, atque obtentum nihil nisi horrorem & animi perturbationem generavit; ita cùm malè concupita

obtinentur, horrorem & perturbationem animi pa
se relinquunt.

Punct. III. *Et contristatus est Rex; propter ius
randum, & propter simul discumbentes noluit eam contri
ri: sed misso Spiculatore præcepit afferri Caput ejus in disc
& dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ.* Marc.
v. 26. Noli imitari Herodem, sicut multi faciunt, q
quod imprudenter cæperunt, majori imprudent
ad finem & executionem perducunt: actibus ma
honestatem Religionis, vel aliarum Virtutum pr
tendunt: alios nolunt contristare, & ipsi remor
Conscientiæ, ac tristitiam ex mala operatione h
beunt.

MEDITATIO CCXCIV

*Apostoli ab Evangelij Prædicatio
redeunt ad Christum, qui in deserto quinqu
hominum millia reficit.*

Marc. 6. v. 30. Luc. 9. v. 10. Matth. 14. v. 15.
Joan. 6. v. 1.

Punctum I. *Et convenientes Apostoli ad IESUM
renunciaverunt ei omnia, quæ egerant & docuer*
Marc. 6. v. 30. Ea autem retulit S. Marcus v. 12. q
ait: *Exeuntes prædicabant, ut Pœnitentiam agerent: & d
monia multa eijciebant, & ungebant oleo multos ægros, &
sanabant.* (quæ unctio erat typus & dispositio ad Sa
cramentum extremæ Unctionis à Christo postea in
stituendum) Ex hoc Apostolorum ad Christum r
ditu, & gestorum manifestatione discant subditi, fa
Superioribus rationem reddere omnium suarum
actionum

ctionum, & propriæ etiam Conſcientiæ, ac modi, quo officia ſua adminiſtrant. Præterea ne nimium curâ alienæ Salutis diſtrahantur viri Apoſtolorum munere fungentes, intervallis divinis, hebdomadarijs, menſtruis, ſemeſtribus, annuis, ad Chriſtum per aliquam Spiritualem Recollectionem, & quietem animi revertantur, & quomodo ſe in functionibus ſuis gerant, DEO rationem reddant, ſtatum Animæ ſuæ inſpicientes, ac pandentes. Ideo Chriſtus Apoſtolis ad ſe reverſis dixit. Marc. 6. v. 31. *Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillùm.*

PUNCT. II. *Poſt hæc* (poſtquam ſcilicet JESVS aſcendit è Galilæa Jeroſolymam, & ibi multos infirmos ſanavit) *abiit IESVS trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis* (ut ſuos Diſcipulos duceret ſeorſum in deſertum, ibique puſillùm requieſcerent) *Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna, quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur. Subiit ergo in montem IESVS: & ibi ſedebat cum Diſcipulis ſuis. Erat autem proximum Paſcha, dies Feſtus Iudæorum. Cùm ſublevâſſet ergo oculos IESVS, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei unus ex Diſcipulis ejus, Andreas frater Simonis Petri: Eſt puer unus hîc, qui habet quinque panes, ordeaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Joan. 6. v. 1. Vult DEVS in omnibus rebus & actionibus, quas per homines efficit, quemadmodum in præſenti exemplo videmus, ut primò agnoſcant ſuam infirmitatem, tenuitatem, atque inſufficientiam; inde autem

autem concipiant Diffidentiam sui, & Confidentiam in DEVM, dicereque cum S. Paulo possint 2. Cor. v. 4. *Fiduciam autem talem habemus per Christum DEVM: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Atq; hæc cognitio propriæ insufficientiæ est verissima, singulare Donum DEI. Unde etiam Salomon Sap. v. 21. inquit: *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEVS det, & hoc ipsum erat Sapientiæ, scire cujus esset hoc Donum.* Præterea vult DEVS, ut illis vires, & illa media insufficientia, quæ dat, adhibeamus: licèt enim in prædicto Exemplo potuisset Christus se solo sufficientes panes & pisces ex nihilo, vel ex copioso ibi existente fœno procreare; nihilominus voluit, ut illi panes & pisces, quantumvis insufficientes, sibi afferrentur. *Dixit ergo JESVS, facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia* (uxorum autem & liberorum forsan longè plurium non fit mentio: quia Viri uxoribus & liberis de sua portione providere & communicare debebant) *Accepit ergo JESVS panes, & cùm Gratias egisset* (nam etiam pro modico, quod DEVS nobis dat, Gratias agere debemus, ut id ipsum multiplicet) *Distribuit discumbentibus* (per manus suorum Discipulorum) *Similiter & de piscibus, quantum volebant.* Sic ergo quod habemus omnes scilicet vires nostras conferre debemus; Deus enim supplet tantùm imbecillitatem nostram, & requirit media à nobis ordinaria: *Facienti itaque, quod in se est, DEVS non denegat Gratiam.* Unde ut possis aliquid boni cogitare, ut possis esse continens &c. vires propriæ naturales, & media ordinaria Gratiæ Deo auxilianti conjungi debent.

Punct.

PUNCT. III. *Vt autem impleti sunt, dixit Discipulis suis: Colligite, quæ superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis, quæ superaverunt his, qui manducaverant.* v. 12. Ista multiplicatio, ut tot homines satiarentur, & tot fragmenta redundarent, facta est per ipsam actualem distributionem. Unde si modicum quidem habes, & illud indigentibus liberaliter communicas, id ipsum per DEI Benedictionem tibi multiplicabitur; sive istud sint bona quædam corporalia, sive Spiritualia, ut vires animi, & Scientia. Lumina etiam Spiritualia tempore Meditationis, Lectionis &c. percepta, fragmenta quædam sunt, quæ in libellum colligenda sunt, ne pereant; præsertim si sint solidus panis Animæ. De piscibus autem non dicitur aliquid superfuisse, quia nutrimenta necessaria potiùs, quàm gulæ oblectamenta in futurum usum reponenda sunt; & in cibo capiendo magis necessitati, quàm voluptati serviendum.

MEDITATIO CCXCV.

Christus orat in Monte, ac Regios honores fugit.

Marc. 6. v. 45. Matth. 14. v. 22. Joan. 6. v. 15.

PUNCTUM. I. *Et statim coëgit* (Matthæus dicit: *compulit*) *Discipulos suos ascendere navim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.* Marc. 6. v. 45. Considera 1. Sicut nos homines, etiamsi omnia, quæcunque erga Proximum præstamus, acceperimus à DEO, & solùm simus ministri atque

que dispensatores Mysteriorum Dei, tamen ab hom
nibus pro functionibus nostris gratitudinem, laude
honorem, obsequia, remunerationem exspectamu
sic Apostoli, etiamsi non sua Virtute, sed Christi P
tentiâ in manibus suis multiplicatos panes popu
distribuerint, poterant à populo aliquid prædict
rum exspectare; & ideo statim, ne quidquam tale
ciperent, Christus illos coëgit & compulit navi
ascendere. Considera 2. ac inverte similitudine
Sicut Apostoli, distribuentes à Christo miracul
multiplicatos panes, imprudenter quidquam sibi a
scripsissent, aut aliquid prædictorum exspectâsse
vel desiderâssent; sic etiam, si Deus multa & præc
ra per nos erga Proximum præstet, dum docemus
Scholis, prædicamus in Templis, vel alijs offic
egregiè fungimur, pari imprudentia nobis quidqua
adscribimus, aut quidquam ab hominibus exspect
mus. Itaque non ægrè feramus, si post præclarè g
sta in uno loco, statim aliò mittamur, & si à nemi
quidquam gratitudinis recipiamus. Non enim no
stra, sed aliena dedimus; & si quid meriti sumus, nu
ab hominibus præmium recipiamus, sicut nec Chri
stus Regium honorem sibi deferendum acceptavit
sed à Patre Cælesti, laborum & Beneficiorum Prox
mo præstitorum remunerationem expectavit; A
pud quem nec pro potu aquæ frigidæ, tantùm in no
mine discipuli dato, perdemus mercedem.

Punct. II. *Et cùm dimisisset eos, abiit in montem orare.* Marc. 6. v. 46. Ecce Discipulis & turbâ priùs d
missis, noctis silentio, in montem post diurnam d
fatigationem ad orandum Christus ascendit: quo e
xemplo nos docet, consuetum Orationis, & Spiri
tualium

tualium Exercitationum pensum, officiorum nostrorum functionibus impeditum, proximo tempore compensare; & ut Oratio attentè ac devotè peragi possit, negotia nostra componere, distractionum turbam dimittere, tempus & locum opportunum Orationi deligere, ac in montem, mentis super omnia terrena elevatione, ascendere.

Punct. III. Aliam causam ascensûs Christi in montem indicavit S. Joannes. c. 6. v. 15. *JESVS ergo cùm cognovisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus.* Ideo nempe populum priùs dimisit, & mox in montem fugit, ut animo à turba hominum segregato, & ad Cælestia elevato Orationi vacaret, & mundani Regiminis honorem sublimiore mente despiceret. Ideo autem dicitur in montem fugisse solus, quia pauci sunt, qui cum Christo honores despiciunt. Fuge ergo & tu in montem solus, superior aliorum hominum judicijs, & honoris appetitu.

MEDITATIO CCXCVI.

De Sedata nocturna maris tempestate.

Matth. 14. v. 24. Marc. 6. v. 47. Joan. 6. v. 18.

Punctum I. *Et dimissâ turbâ* (quam quinque panibus & duobus piscibus miraculosè multiplicatis refecerat) *ascendit in montem solus orare. Vespere autem facto solus erat ibi. Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus* (in quam scilicet compulit Jesvs Discipulos ascendere, & præcedere eum trans fretum) *erat enim contrarius ventus.* Matth. 14. v. 23. Sic postquam

quam Christus in Cælum, velut in montem, cum P
treCælesti acturus ascendit, respicit nos in medio m
hujus procellosæ vitæ tribulationibus, & tentatio
bus, veluti contrarijs ventis jactatos. Sicut ergo Ch
stus amantissimos suos Discipulos, quos ipse in na
culam compulerat, permisit à contrarijs ventis in m
dio mari jactari, ubi nec tempestatem effugere, n
arte & viribus suis superare potuissent, nisi ipse Ch
tione sua ad Patrem eos juvisset, ac deinde etiam
tos, & mare compescuisset; ita quos in suam Dis
plinam, & in Ecclesiæ ac Religionis naviculam voc
& Vocationis efficaciâ compellit, sinit varijs tri
lationibus, ac tentationibus agitari. Ideo hos m
net Ecclesiasticus c. 2. v. 1. *Fili accedens ad Servitu
DEI, sta in Justitia, & Timore, & præpara Animam tu
ad tentationem, deprime cor tuum, & sustine &c.* Sed co
fide in Christum, ille scit, & videt, quid tecum ag
tur; Salutem & causam tuam agit apud Patrem,
jactari sinit, mergi non sinit.

Punct. II. *Quartà autem vigiliâ noctis* (in t
enim vigilias, seu mutationes excubiarum solebant
noctes longiores dividi) *venit ad eos ambulans sup
mare.* Matth. 14. v. 25. Addit S. Marcus c. 6. v. 4
Et volebat præterire eos. Pergit S. Matthæus: *Et vid
tes eum super mare ambulantem, turbati sunt dicentes: Q
phantasma est. Et præ timore clamaverunt; statimque J
SVS locutus est eis: Habete Fiduciam: Ego sum, nolite
mere.* Ex dilatione adventûs Christi usque ad qu
tam vigiliam, & ex simulatione volentis præteri
colligitur, Deum ad probandam nostram Patientiam
Longanimitatem, & Fiduciam, non statim liber
à tribulatione, vel tentatione, imò simulare, qu
vell

vellet nos præterire, ac deserere; & quamvis nobis auxilio suo præsens sit, hoc ipsum tamen à nobis non agnosci. Ne ergo in hujusmodi casu animo cadamus, sed credamus Prophetæ Habacuc dicenti: C. 2. v. 3. *Si moram fecerit, expecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit.* Sicut enim Christus tandem venit ambulans super mare; sic tempore, & modo aderit nobis, quo minimè fieri posse putabamus. Itaque constanti Fiducia clamemus ad ipsum, & in tempore necessitatis loquetur nobis ad cor, manifestabit nobis suam Præsentiam in tribulatione, & pellet omnem timorem & tempestatem.

Punct. III. *Respondens autem Petrus dixit: Domine, si tu es, jube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni.* Matth. 14. v. 28. Hinc patet, quantam Fiduciam præstet cognitio Divinæ Præsentiæ, ut tribulationum, ac tentationum procellosum mare non tantùm non timeamus; sed ultrò petamus in illud immitti. Præterea colligitur, quàm hoc desiderium placeat Deo, per illud ad se nos vocanti, & danti simul virtutem, innoxio pede veniendi.

MEDITATIO CCXCVII.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Punctum I. *Et descendens Petrus de navicula ambulabat super aquam, ut veniret ad JESVM. Videns verò ventum validum, timuit, & cùm cæpisset mergi, clamavit dicens: Domine salvum me fac.* Matth. 14. v. 29. Vide, quanta sit Gratia & efficacia Divinæ Vocationis, adeò ut ea adjuvante etiam illa, quæ vires nostras superant,

mox

mox effectui dare possimus (si DEVS ad similia n
vocet) & sicco etiam vestigio aquas pertransire; n
dò firmâ Fiduciâ Divinæ Gratiæ nitamur; tant
enim possumus, quantùm illi confidimus: unde t
tùm ob defectum Confidentiæ Petrus cæpit mer
quod ipsum tamen considerandum est, profuisse
tro, ut ex hac inchoata mersione suam infirmitat
agnosceret, & Christi Auxilium ardentiùs invoca
Sic etiam bonum est Justis, si periculosè illos Di
tentari permittat, & in venialia peccata labi sin
ut incipiant mergi. Sic námque & ipsi suam
mitatem agnoscunt, atque indigentiam Divini Au
lij; ídque majori cum Humilitate, & fervore petu
dicentes singuli: *Domine, salvum me fac.*

PUNCT. II. *Et continuò JESVS extendens ma
suam, apprehendit eum: & ait illi: Modicæ fidei, quare
bitâsti?* Matth. 14. v. 31. Ecce DEVS similiter auxili
tem Manum *continuò*, sive statim extendit, quam
mùm opem illius inclamamus: & nos tamen ad ip
Vocem, & Imperium exequendum tardè manum
tendimus. Tardè etiam Opem illius invocamus, vi
bus nostris vel creatis subsidijs confisi. Parùm etiam
grati & memores sumus, quòd in Cruce Manus,
Pedes extenderit, vel crudelissimè extendi sibi pe
miserit, & apprehenderit nos, ne periremus æ
nùm. Et nos tamen pro nostra Salute sæpe p
extendere manus ad Opus bonum, vel ad DEVM. C
fidera, etiam S. Petrum Christo, dubitationis cau
requirenti, non ausum esse respondere: Quia v
ventum validum: nulla enim difficultas vel per
lum sufficiens causa est diffidentiæ erga DEVM.

PUNCT. III. Considera, quomodo S. Petrus
præ

stiti sibi auxilij experientiâ, & ex reprehensione suæ prioris diffidentiæ profecerit. Nam cùm Christus post Resurrectionem ex ingenti captura piscium à S. Joanne agnitus fuisset in littore stans, & Joannes, ut ipse refert c. 21. v. 7. dixisset: *Dominus est; Simon Petrus cùm audîsset, quia Dominus est, tunicâ succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare.* Ecce non amplius exspectat jussionem vocantis, nihil dubitans de Voluntate Christi, ad juvandum paratâ, nihil metuit, sed plenus Fiduciâ rursum ambulat super aquas. Sic ex prioribus tuis defectibus, & reprehensionibus illorum stude in eorum oppositis Virtutibus proficere, & temetipsum emendare. Sic etiam per experientiam Divinæ erga te Providentiæ, Bonitatis, Auxiliorum, & Gratiarum firmam in DEVM Fiduciam concipe.

MEDITATIO CCXCVIII.

Continuatio ejusdem Historiæ.

PUNCTUM I. Considera fructum ex superata tempestate, & ex Christi Præsentia ab Apostolis relatum. Dicit enim S. Marcus c. 6. v. 51. *Et ascendit ad illos in navim, & cessavit ventus: & plùs magìs intra se stupebant: non enim intellexerunt de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum.* Addit S. Matthæus c. 14. v. 33. *Qui autem in navicula erant, venerunt & adoraverunt eum, dicentes: Verè Filius DEI es.* Itaque per experientiam suam didicerunt Apostoli, quàm periculosum sit, esse procul à Christo; quàm securum autem, & tranquillum sit, secum habere Christum in navicula cordis,

vel etiam memoriæ, semper sibi Christum præsen-
tem statuentis. Præterea experti sunt, quantò ma-
gis prosint adversa, quàm prospera. Cùm enim pe-
nibus liberaliter & ad abundantiam reficerentur
non recordati sunt, illud Miraculum factum esse a
conteſtandum, Christum esse Filium DEI; sed co
eorum erat obcæcatum; quando autem tempestat
jactati, & liberati sunt, tunc venerunt, & adorave-
runt eum, dicentes: *Verè Filius DEI es.* Ideo rectè di-
xit Ecclesiasticus c. 34. v. 11. *Qui tentatus non est, qua-
lia scit?* Et Isaias. c. 28. v. 19. *Tantummodo sola vexa-
intellectum dabit auditui.*

PUNCT. II. Considera, modum, quo felicem &
optatum actionum nostrarum successum consequa-
mur, & facili labore præstemus id, quod aliàs magn
& longo labore non assequeremur, esse, Christum S
cium & Adjutorem nobis adjungere, & in illius Ob
sequium omnia facere. Id iterum experti sunt Apo
stoli: qui cùm essent, teste Marco c. 6. v. 48. *Labo-
rantes in remigando, usque ad quartam vigiliam noctis,* plus
itineris non confecerunt, quàm, ut S. Joannes testatur
c. 6. v. 19. *Stadia viginti quinque, aut triginta.* Deinde
verò eodem teste v. 21. *Voluerunt eum accipere in navim*
(atque etiam receperunt) *Et statim navis fuit ad ter-
ram, in quam ibant.*

PUNCT. III. *Et cùm transfretàssent, venerunt in
terram Genesar. Et cùm cognovissent eum viri loci illius, mi-
serunt in universam regionem illam, & obtulerunt ei omnes
malè habentes: & rogabant eum, ut vel fimbriam vestimen-
eius tangerent. Et quicunque tetigerunt, salvi facti sunt.*
Matth. 14. v. 34. Stude & tu malè habentes, nempe
peccatores, vel ignorantiâ rerum sibi utilium labo-
rantes

rantes, ad Christum, atque ejus Amorem & Cognitionem adducere. Vestimentum Christi est Justitia Christi; hac enim Sacerdotes debent indui juxta regium Psalten: *Sacerdotes tui induantur Justitiam* Ps. 131. v. 9. Attingere autem vestimentum, est Imitatione ita accedere vicinum, ut etiam ad eum pertingat, præsertim ad Humilitatem illius, quæ est fimbria vestimenti, & ad Charitatem, quam etiam Psalmista per fimbrias aureas intelligit Ps. 44. v. 14. de interiori Animæ ornatu loquens: *Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intus, in Fimbriis aureis, circumamicta Varietatibus.* Denique considera, si Christi vestimentum attingere causa Salutis est, quantò magis Christum ipsum induere?

MEDITATIO CCXCIX.

Christus manifestat Mysterium Eucharistiæ. Joan. 6.

PUNCTUM I. Postquam Christus imminente die Paschatis, ut patet ex S. Joanne c. 6. v. 4. quinquies mille viros quinque panibus & duobus piscibus abundanter refecerat, & eadem nocte mare siccis pedibus transierat, usque dum naviculam, in medio mari jactatam, conscenderet: altera die, ut notavit S. Joannes v. 22. Judæi, *cùm invenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Respondit eis JESUS, & dixit: Amen, amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis Signa, sed quia manducàstis ex panibus, & saturati estis.* Joan. 6. v. 25. Considera, Christum interrogatum de modo & tempore, quo per interpo-

situm mare Capharnaum rediîsset, ubi tunc docebat in Synagoga, teste Joanne v. 60. sermonem à proposita quæstione divertisse; ne, si directè ad quæstionem responderet, seipsum laudare cogeretur manifestatione miraculosi transitûs. Sic non tantùm occasionem nos ipsos laudandi captare non debemus, sed neque oblatâ uti: potiùs præclarè gesta silentio tegenda sunt; quorum manifestatio plus contemptûs ob proditum defectum Prudentiæ, ac Humilitatis, quàm honoris & æstimationis parit, præter plura alia Spiritualia damna, consideratu digna.

Punct. II. Considera, an non, quemadmodum Judæi non propter Signa & Miracula quæsiêrunt Christum (pauci enim crediderunt in illum, ut Filium Dei, dicentes: *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* Joan. 6. v. 14.) sed quia sperabant, & optabant iterationem Miraculi de panibus; etiam tu simili ratione Christum quæras, non Amore ipsius, sed ex desiderio favorum & beneficiorum temporalium, ac transeuntis prosperitatis; & ideo quæras in prosperis, in adversis deseras? Examina ergo Intentionem tuam, quàm Sancta, syncera, & pura sit.

Punct. III. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in Vitam æternam.* Joan. v. 27. scilicet per Opera nostra bona temporale nihil quæramus, sed Vitam æternam; non laudem, non gratitudinem, non favorem hominum, non delectationem; sed Gratiam, & augmentum illius, & vel maximè ipsum Beneplacitum Dei, cujus Intentionem reliqua bona omnia sequuntur. Nota ergo hunc ultimum Finem esse quærendum cum exclusione prioris; sic enim utrumque, aliàs neutrum assequemur. Sicut autem

autem panis terrenus conservat vitam terrenam, sic ab eo, & ab ejus prodigiosa multiplicatione, in memoriam revocatâ, atque ad faciendam Fidem mox dicendorum adductâ, Christus transferre nititur Judæorum mentem ad Panem, qui de Cælo descendit, & qui confert Vitam Cælestem, scilicet, ut per Opera bona se disponant, ac præparent ad dignè sumendum Christum sub speciebus Panis in Eucharistia. Hic ergo sit finis etiam nostrorum bonorum Operum, ut nimirum ad Panem Eucharisticum dignè, & fructuosè sumendum per illa quotidie disponamur, & sic operemur Cibum, qui permanet in Vitam æternam, sive qui manet in suo effectu, nempe in Vita æterna, per Gratiam Sacramentalem nobis aliquando conferendâ.

MEDITATIO CCC.

Continuatio de eodem Mysterio.

PUNCTUM I. Cùm inter Opera bona ad dignè & fructuosè Christum in Eucharistia sumendum ille ipse requisivisset Fidem, & quærentibus: *Quid faciemus, ut operemur Opera DEI*, respondisset: *Hoc est Opus DEI, ut credatis in eum, quem misit ille.* Ipsi non contenti unica panis multiplicatione, & communis panis miraculosa in vulgus divisione, majúsque Miraculum de Cælo expetentes, dixerunt: *Quod ergo facis Signum, ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de Cælo dedit eis manducare. Dixit ergo eis JESUS: Amen, amen dico vobis: non Moyses dedit vobis pa-*

nem de Cælo: sed Pater meus dat vobis Panem de Cælo ve-rum. Panis enim DEI est, qui de Cælo descendit, & dat Vitam mundo &c. Ego sum Panis Vitæ. Joan. 6. v. 2[illegible] Considera ergo, quantò hic Panis sit præstantior Mannâ Mosaico: hoc enim precibus Mosis in aëre for-matum est, & Patres, qui manducaverunt Manna, mortui sunt. At Panis iste, de quo Christus locutus est, à Patre Cælesti ab æterno est genitus, descendit de Cælo, uniendo sibi Humanitatem in terra, & Fi-de viva manducatus solus sufficit, ad dandam Vitam æternam cuivis homini in toto mundo. Quantâ ergo æstimatione, Fide, desiderio, ac fame, quo devo-tionis gustu, præparatione, gratiarum actione, hic Cælestis ac Vivificus Panis manducandus est? Et quo modo tu illum manducas?

PUNCT. II. *Qui venit ad me, non esuriet, & qui cre-dit in me, non sitiet unquam.* Joan. v. 35. Tanta est vis hujus Panis, Fide Viva, & per Charitatem formâ manducati, ut extinguat omnem famem, ac sitim al-terius cibi, & potûs, id est, omne desiderium alterius rei, quæ non est DEVS, vel quæ non ordinatur ad DEVM. Fac, ut hunc fructum etiam in te experi-ris, ita omnem appetitûs Satietatem ex pia & fre-quenti Manducatione hujus Panis percipiendo, ut cunctarum aliarum rerum gustum & famem extin-guas.

PUNCT. III. *Caro mea verè est Cibus, & Sanguis meus verè est Potus. Qui manducat meam Carnem, & bi-bit meum Sanguinem, in me manet, & Ego in illo.* v. 56. Pen-pende igitur, quos effectus Cibi & Potûs verè con-neat, ac Animæ præstet Caro & Sanguis Christi. Un-de tuâ culpâ, & internâ stomachi infirmitate accidit

ſitam ſapidus, & Animæ acceptus Cibus, ac Potus in te non permaneat; vel effectus Cibi & Potûs ſaluberrimi in mente & Anima tua non producat: quia ſcilicet non ſumpſiſti vel cum debita diſpoſitione; vel non continuiſti te ab alijs rebus noxijs, parientibus nauſeam hujus ſuaviſſimi Cibi, & impedientibus ejus ſalubritatem, ac fructum. Modus autem & ratio debitæ diſpoſitionis, præcipuè eſt firma & Viva Fides; cujus defectu Judæi exiſtimantes, ſibi à Chriſto incredibilia & abſona dici, reclamârunt: *Durus eſt hic ſermo; & quis poteſt eum audire?* v. 61. *Ex hoc multi Diſcipulorum ejus abiêrunt retrò: & iam non cum illo ambulabant* v. 67. adeóque deſerebant Fidem in Chriſtum, tanquam in Filium Dei. Tu autem ad Chriſtum, ſub ſpeciebus Euchariſticis latitantem, cum Petro dic: *Domine, ad quem ibimus? Verba Vitæ æternæ habes. Et nos credimus & cognovimus, quia tu es Chriſtus Filius DEI.* v. 69. Unde quemadmodum credimus, Chriſtum propria Virtute Cælum conſcendiſſe, quod omnibus hominibus erat occluſum; ſic credimus, Omnipotentiâ ſuâ poſſe etiam ſub ſpecies Euchariſticas deſcendere, & ſuæ Divinitatis Spiritu carni, ſecundùm ſe inutili, virtutem Animas vivificandi tribuere. Ideo Chriſtus dixit v. 64. *Spiritus eſt, qui vivificat: caro non prodeſt quidquam*, ſcilicet ſe ſolâ; prodeſt tamen ut unita Perſonalitati Divinæ, & prout ſubſtat Verbis Chriſti, de quibus ipſe dixit v. 64. *Verba, quæ Ego locutus ſum vobis, Spiritus & Vita ſunt*: id eſt, Carni tribuunt virtutem Spiritualem, ut unita Divinitati per Verba Conſecrationis exiſtat ſub ſpeciebus Euchariſticis, verè quidem & realiter, inſtar tamen Spiritûs Animam vivificantis.

MEDITATIONES

De Vita & Gestis Christi

Tertio Anno Prædicationis.

MEDITATIO CCCI.

Christus defendit Apostolos, & arguit Pharisæos.

Matth. 15. v. 1. Marc. 7. v. 1.

PUNCTUM I. *Post hæc autem* (postquam scilicet Judæi Doctrinâ & Præcepto manducandi, & bibendi Corporis ac Sanguinis Christi per obstinatam di sensionem suam graviter alienati, & animo adversus ipsum commoti sunt) *Ambulabat JESUS in Galilæa, non enim volebat in Judæam ambulare* (adeóque Capharnao relicto, reliquam illam Galilææ regionem peregravit, intermittens tempore isto Paschali ascensum in Judæam, ubi sita erat Jerusalem, ad quam tunc solitus erat ascendere) *Quia quærebant eum Judæi interficere*, Principes nempe Sacerdotum, postquam ad illos Doctrina Christi Jerosolymam delata est, tanquam ad supremos Judices in Spiritualibus. Ita S. Joannes c. 7. v. 1. Ubi quæ deinde ab hoc mense, mirum à Martio usque in Septembrem gesta sunt, penitus reticet. Verbis autem relatis insinuat S. Evangelista Exemplum Christi, quo docet, etiam absque nostra culpa offensis ac commotis animo cedendum esse,

esse, nec esse magis exasperandos, ac concitandos, sed potius declinandam iram illorum: quo modo multæ lites & contentiones, inter familiaria colloquia exoriri solitæ, evitantur, & animorum Pax, & Concordia servatur. Eodem suo Exemplo docuit Christus, bonam etiam consuetudinem subinde interrumpendam esse, quando ea Proximo nostro occasio foret gravioris alicujus peccati. Docuit denique, Mansuetudine vincere fatalia odia, & ingratitudines mortem pro Pane Vitæ intentantium.

Punct. II. Cùm autem Christus non venisset Jerosolymam, *Accesserunt ad eum ab Jerosolymis Scribæ & Pharisæi* (ut novam ejus Doctrinam explorarent) *Dicentes: Quare Discipuli tui transgrediuntur Traditionem Seniorum? Non enim lavant manus suas, cùm panem manducant.* Matth. 15. v. 2. Ecce quia non invenerunt, quod in Christo reprehenderent circa Vitã & Doctrinam ejus, culpam objiciunt, in Discipulis quæsitam. Sed neque in his invenerunt, nisi quòd Judæorum more ante sumptionem cibi manus non lavarent (*Pharisæi enim & omnes Judæi, nisi crebrò laverint manus, non manducant, tenentes traditionem Seniorum.* Marc. 7. v. 3.) Sic adversarijs nostris studeamus nos reddere inculpabiles per notoriam vitæ Sanctitatem, ac Innocentiam, removendo omne scandalum, & omnem iustam occasionem de nobis sinistrè loquendi, ut ipsius Christi Ducis & Magistri nostri Honorem tueamur. Nihilominus semper reperient homines, quod saltem immeritò in nobis reprehendant; unde querelas & sermones hominum de nobis nunquam omnino effugere poterimus: neque id curare, aut desiderare debemus. Cæterùm Tu te ipsum inspice, quàm procul

absis ab Innocentia Apostolorum propter frequen
transgressiones Præceptorum DEI, & Regularu
quæ tamen non sunt meræ traditiones humanæ, s
per Potestatem, quæ à DEO est, à legitimis Super
ribus constitutæ. Desine verò imitari Judæos, r
prehendens minima in alijs, & committens mala lo
gè majora. Hoc autem ex querela Judæorum dice
ut saltem manus Conscientiæ tuæ laves, quando P
nem Eucharisticum manducas; ad hunc enim mandu
candum non externa, bene tamen interna Mundities
ab omni sorde est necessaria.

PUNCT. III. *Ipse autem respondens, ait illis: Qu
& vos transgredimini Mandatum DEI propter Traditio
nem vestram?* Matth. 15. v. 3. Tu quoque pari inc
centiâ judicijs & consilijs merè humanis, moribus
consuetudinibus hominum, imò proprio judicio,
voluntati, Divina Dogmata, Consilia, ac Mandat
frequenter postponis, & potiùs negligenda duci
quemadmodum Judæi Sacerdotes, & Scribæ, &
Pharisæi, Mandatum DEI de diligendis, & honoran
dis Parentibus, postponendum docuerunt Oblatio
nibus voluntarijs in Templo, quas in proprios usus
conversas per avaritiam suam præcipiebant præstan
das, etiamsi non rarò per illas succurrendum fuisse
gravi Parentum indigentiæ. Unde Christus decla
rans prædictam suam retorsionem ac responsionem
mox subjecit: *Nam DEVS dixit: Honora Patrem & Ma
trem &c. Vos autem dicitis: Quicunque dixerit Patri v
Matri: Munus quodcunque est ex me, tibi proderit: & no
honorificabit Patrem suum, aut Matrem suam* (Intellige
Is juxta vestram doctrinam rectè dicit, & facit) e
*irritum feciſtis Mandatum DEI propter traditionem ve
stram.*

MEDI

MEDITATIO CCCII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* Matth. 15. v. 7. Putabant enim in frequenti lotione manuum, & munditiâ externâ, aliisque observantijs consistere Honorem, & Cultum DEO debitum; nec tamen verebantur, prætextu Religionis erga DEUM, iniquis oblationum sibi faciendarum exactionibus cogere filios, ad necessariam sustentationem pauperibus Parentibus denegandam. Sic DEVM labijs tantùm honorant, qui in veste Religiosa, externa Observantia regulari, operibus Pœnitentiæ corporalibus, & alijs externis, putant consistere Perfectionem Religiosam; interea tamen destituti sunt Intentionis puritate, Devotionis fervore, proprij judicij ac voluntatis Abnegatione, passionum internarum Mortificatione &c.

PUNCT. II. *Non quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem &c.* Matth. v. 11. *De corde enim exeunt cogitationes malæ &c.* v. 19. Quidquid enim non est peccatum, hominem non coinquinat: quidquid verò hominem coinquinat, ex corde procedit, nempe ex consensu propriæ voluntatis. Ideo *Omni custodia serva cor tuum: quia ex ipso Vita procedit.* Prov. 4. v. 23. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* Prov. 22. v. 11. Nempe tunc rectè labijs honoratur DEVS, id est, per Opera bona externa, quando ea procedunt ex mundo corde; quia *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Eccl. 15. v. 9.

PUNCT.

Punct. III. *Tunc accedentes Discipuli, dixerunt* [illegible] *Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt* [illegible] *ille respondens, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus Cælestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum; cæcus autem, si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Matth. 15. v. 13. Itaque quæ judicia humana, quando non sunt conformia Divinæ Regulæ, sed sicut Zizania in bono semine, à Deo in probantur, minimè curanda sunt; ideo tunc nec scandalum, nec offensa hominum, nec siniſtri sermones, nec quidquam aliud timendum est. Sic Paulus dixit 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer.* Et ad Gal. 1. v. 10. *Si adhuc hominibus placerem, Christi Servus non essem.*

MEDITATIO CCCIII.

Filia Mulieris Syrophœnissæ à dæmonio liberatur. Matth. 15. v. 21. Marc. 7. v. 24.

Punctum I. *Et egressus inde* (ex Galilæa, ut declinaret iras, & odia Scribarum, & Pharisæorum, propter præcedentem Doctrinam concepta) *secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa* (Non quòd fuerit ex Cana Galilææ, sed quòd fuerit oriunda ex illis posteris Chanaan, qui habitabant in Phœnicia Syriæ, ubi erant urbes Tyrus & Sidon, ideóque S. Marco c. 7. v. 26. dicitur Syrophœnissa genere) *a finibus illis egressa clamavit, dicens ei: Miserere mei Domine, Fili David.* Matth. 15. v. 21. *At illa venit, & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.* v. 25. Ecce mulier

ista afflictionem filiæ pro sua habuit, & Beneficium filiæ præstandum, suum censuit. Ita Proximum diligere debemus, & ejus sive adversa, sive prospera pro nostris reputare; ob illa condolere, auxilium & patrocinium præstare; ob ista verò congaudere, & gratulari.

Punct. II. *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* v. 22. Vexamur à dæmonio, quando importunis tentationibus ab illo impetimur, præsertim contra Castitatem; ideo S. Marcus v. 25. *Spiritum immundum* dixit. Tunc ergo Divinum Auxilium implorandum, ut vel liberemur à tentatione, vel præservemur à lapsu: ideo indifferenter dicendum: *Miserere mei, Domine adjuva me.* Et quodvis eorum sufficiat nobis; nam sæpe prodest, nos à tentatione non liberari. Sic S. Paulus 2. Cor. 12. v. 7. scribit de seipso: *Ne magnitudo Revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet à me: & dixit mihi: sufficit tibi Gratia mea: nam Virtus in infirmitate perficitur.*

Punct. III. Considera imitandam Constantiam & Humilitatem supplicis Mulieris erga Christum: *Qui non respondit ei verbum.* v. 23. Et deinde: *Ipse autem respondens ait: Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt Domûs Israël* v. 24. *Non est bonum sumere panem Filiorum, & mittere canibus.* v. 26. Ipsa tamen mulier, neque responsi dilatione, neque ejusdem asperitate mota, nec rogare, nec humiliare se destitit, dicens: *Domine adjuva me: Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* v. 27. Vide nunc efficaciam constantis & humilis Orationis: *Respondens* JESUS

ait illi: O mulier, magna est Fides tua: fiat tibi, sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora. Ecce quantò melius hæc mulieri, non statim fuisse exauditam; ut sic magis exponeretur ad impetrandum Beneficium Confidentiâ, Humilitate, Fiduciâ, &c. Observa etiam, quod licèt hæc mulier fuerit orta ex maledicta stirpe, quæ Daniel c. 13. v. 56. impudico seni olim objecit, dicens: *Semen Chanaan, & non Juda, species decepit te:* licet etiam teste Marco, fuerit Gentilis; ipsa tamen exemplo suo docuerit nos, indignitatem, ut Oratio nostra exaudiatur, non debere nobis esse causam alicujus diffidentiæ, sed potius Humilitatis, & Fiduciæ, quas DEVS ad suam Misericordiam magis demonstrandam non obstante nostra indignitate, sit daturus, quid quid illum sumus rogaturi; modò, sicut Mulier à priùs de infidelitate sua est conversa ad veram Fidem in Christum (quem proinde Filium David profitebatur) & animo contrita ac humiliata est; ita etiam nos à peccatis nostris desistamus, & ex illis majoris Humilitatis ac Confidentiæ in Divinam Misericordiam occasionem sumamus. Et propterea Christus Mulieri generalibus verbis dixit: *Fiat tibi, sicut vis*, ut pateret, non tantùm ad sanitatem filiæ, sed ad quidvis aliud impetrandum valere Orationem, Humilitate, Fiduciâ, Perseverantiâ, vitæ emendatione &c.

MEDITATIO CCCIV.

Plures infirmi à variis languoribus sanantur. Matth. 15. v. 29. Marc. 7. v. 31.

PUNCTUM I. *Et cùm transisset inde JESUS* (Marc.

ait: *Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos*) *venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem sedebat ibi: & accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos: & projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos.* Matth. 15. v. 29. Qui alios vult curare à morbis animi; sedere debet in monte sublimis Perfectionis, ac Sanctitatis, quæ menti quietem, & à procellosi maris periculis securitatem præstat, & animum terrena omnia facit despicere, ac contemnere. Per turbas multas, ad Christum accedentes, intellige varios, etiam Religiosorum hominum Cætus, habentes secum multos varijs defectibus laborantes: pro his deprecandus est Christus, ut ab eo sanentur. Considera etiam, quàm sæpe utile sit, corporis vel animi defectu laborare: est enim occasio & causa ad Christum veniendi, seséque abijciendi, ac humiliandi.

Punct. II. Si vis curari ab infirmitatibus tuis, ad Christi pedes proijciaris; nempe in civili Corpore Christi, sive in Cætu Fidelium etiam infimis te supponendo, omnibus inferiorem te æstimando, & postponi optando propter imperfectiones, ac infirmitates tuas.

Punct. III. *Et adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas ejus, & exspuens tetigit linguam ejus: & suspiciens in Cælum ingemuit: & ait illi: Ephpheta: quod est: adaperire. Et statim apertæ sunt aures ejus, & solutum est vinculum linguæ ejus, & loquebatur rectè.* Marc. 7. v. 32. Considera modum & effectum curæ, homini surdo & muto adhibitæ. Sic, ut auribus, linguâ, & alijs sensibus rectè utaris,

utaris, recede ab hominum turbâ, qui tibi vel exem-
plum, vel occasionem mali usûs, vel usûs boni neg-
gendi, præbent; & recipe digitos auxiliantis Divi-
Manûs: nempe utere oblatis Auxilijs ac Medijs, qu-
tibi DEVS suppeditat. Opem enim & Auxilium D-
vinum denotari per digitum DEI, indicatur Exod.
v. 19. *Digitus DEI est hic.* Toties ergo DEVS dig-
tum ori, vel oculis, vel auribus tuis imponit, quoti-
ad rectum usum vel custodiam hujusmodi sensuum t-
excitat, & adjuvat infirmitatem tuam. Digito e-
tiam per sputum & salivam (quæ Sapientiam denot-
tat) madefacto, Christus linguam tuam tangit, u-
rectè loquaris, quoties eam regit, & movet, ut no-
nisi tardè, parcè & consideratè secundùm leges Div-
næ suæ Sapientiæ illam in verba solvas. Præter-
Exemplo suo ostendit, quomodo priùs sit in Cæl-
inspiciendum mentis elevatione, & gemitu, pro r-
recto linguæ impetrando. Denique aures & os ap-
rire jubet, quoties te excitat ad audiendum DEVM
tibi loquentem, vel ad loquendum DEO, aut pro
DEO.

MEDITATIO CCCV.

Septem panibus, & piscículis pauci quatuor millia virorum in deserto saturantur.

Matth. 15. v. 29. Marc. 8. v. 1.

PUNCTUM. I. Cùm turbæ grata Christi Conver-
tione, Miraculorum inspectione, & auditione Ve-
bi Divini per tres dies cum Christo impransæ ac inc-
na-

natæ manſiſſent, *JESVS convocatis Diſcipulis ſuis dixit: Miſereor turbæ, quia triduo jam perſeverant mecum, & non habent, quod manducent, & dimittere eos jejunos nolo, ne deficiant in via.* Matth. 15. v. 32. Ecce, quàm ſolicitus ſit Chriſtus pro ijs, qui conſtanter cum ipſo perſeverant, & ſuî curam ipſi relinquunt. Simus ergo nos ſoliciti pro Anima reficienda rerum Spiritualium conſtanti cura: de cæteris DEVS providebit. Ruborem verò nobis injiciat triduana turbæ cum Chriſto Perſeverantia, quibus ſæpe unicâ horâ cum Chriſto converſari tædioſum eſt, utpote non rarò Orationis horam vel abrumpentibus, vel omnino negligentibus, vel obiter & perfunctoriè exolventibus.

PUNCT. II. *Et dicunt ei Diſcipuli: Unde ergo nobis in deſerto panes tantos, ut ſaturemus turbam tantam?* Matth. 15. v. 33. Si memores fuiſſent Diſcipuli, antehac quinque panibus quinquies mille viros præter parvulos & mulieres à Chriſto in deſerto refectos fuiſſe, procul miſiſſent omnem ſolicitudinem. Sic memoriâ Divinæ erga nos Providentiæ ac Liberalitatis omnem inordinatam ſolicitudinem pellamus: & quò magis deficiunt media naturalia ac propriæ vires, eò magis confidamus DEO.

PUNCT. III. *Et accipiens ſeptem panes & piſces, & gratias agens, fregit, & dedit Diſcipulis ſuis, & Diſcipuli dederunt populo: & comederunt omnes, & ſaturati ſunt: & quod ſuperfuit de fragmentis, tulerunt ſeptem ſportas plenas. Erant autem, qui manducaverunt, quatuor millia hominum extra parvulos & mulieres.* Matth. v. 36. Si etiam nos pro exiguo, quod habemus, DEO agamus gratias, & DEI Benedictionem mereamur, quemadmodum Chriſtus, teſte Marco, piſciculos paucos benedixit,

semper abundabimus: cùm econtrario alij etiam multis, quæ habent, nunquam satientur. Ut hoc rectè agnosceremus, ideo altera jam vice paucos panes & pisces Christus miraculosè multiplicavit. Iterum verò reliquiarum multitudine, earúmque collectione, docemur, quomodo DEVS non tantùm ad sufficientiam, sed etiam ad abundantiam erga nos sit liberalis, & velit, ne Dona sua interire sinamus. Simus ergo & nos simili modo liberales erga DEVM, & non tantùm ex obligatione Præcepti debita, sed etiam supererogatoria libenter præstemus: nullásque Gratias, & Auxilia perire patiamur. Nota, parvulos & mulieres hîc in numero non haberi; id enim solùm merentur illi, qui sunt Masculæ & adultæ Virtutis, ut inter sequentes Christum numerentur: ideo dictum est: *Extra parvulos & mulieres.*

MEDITATIO CCCVI.

Pharisæi & Sadducæi signum è Cælo postulant. Matth. 16. v. 1. Marc. 8. v. 11.

PUNCTUM I. *Et dimissâ turbâ ascendit in navicula, & venit in Fines Magedan.* Matth. 15. v. ult. Marcus c. 8. v. 10. ait: *Venit in partes Dalmanutha:* quod vel est oppidum vicinum, vel est idem locus utroque nomine insignitus. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogaverunt eum, ut Signum de Cælo ostenderet eis.* Matth. 16. v. 1. Idem petiêrunt etiam alibi Matth. 12. v. 38. Existimabant enim, id Christum non posse, & ideo Miracula patrata posse contemni, tanquam ope dæmonis facta. An non aliorum egregia facta

facta & dicta ipse quoque apud alios studes extenuare, ac parvi pendere, vel in alios, tanquam in illorum Autores referre, veluti si hi, quibus suam laudem invides, ab alijs descripsissent, vel accepissent, quæ ipsi ex suo ediderunt? Pharisæos etiam imitantur, qui non contenti illis medijs Salutis & Perfectionis, quæ DEVS ipsis providit, alia & alia petunt, alia loca, alia officia &c. qui tamen potiùs uti deberent iis, quæ habent: cùm certum sit, quòd, si his non utantur, alijs æquè parùm sint usuri: sicut nec Judæi credidérunt, signis de Cælo ostensis, nempe visæ novæ Stellæ in Nativitate Christi, apertis Cælis & auditæ Cælesti voci in Baptismo Christi, obscurato Soli in Morte Christi.

PUNCT. II. *At ille respondens ait illis: Facto vespere dicitis: Serenum erit; rubicundum est enim Cælum. Et manè: Hodie tempestas; rutilat enim triste Cælum. Faciem ergo Cæli dijudicare nôstis; Signa autem temporum* (post quæ ex Vaticinijs Prophetarum Ego Messias venturus eram) *non potestis scire*? Simili reprehensione (quæ per interrogationem expressa fuit) dignus es, majorem industriam scientijs acquirendis, quàm Cælestium rerum cognitioni impendens; magisque curiosa, quàm utilia ad Salutem addiscens; magis callens sapientiam mundi, quàm Christi; magis intelligens modum augendi res temporales, quàm Virtutes.

PUNCT. III. *Et ingemiscens Spiritu, ait: Quid generatio ista Signum quærit? Amen dico vobis, si dabitur generationi isti Signum* (nisi Signum Jonæ prophetæ, per Christi Resurrectionem implendum. Matth. 12. v. 39. &c. 16. v. 5.) *Et dimittens eos, ascendit iterum navim, & abiit trans fretum.* Marc. 8. v. 12. Sic per cordis

duritiem & obstinationem, DEVM, Auxilium Divinum, Inspirationes internas &c. à nobis repellimus: sic gemitu digna est cœcitas nostra, dum sæpe non agnoscimus bona, quæ negligimus, & mala, quæ nobis conscisimus: agnosceremus autem, si oblatis Auxilijs uteremur. Christus, cùm videret miraculo Signo de Cælo opus non esse, illo abstinuit, & neque ad ostentandam suam Potentiam, neque ad amoliendam à se suspicionem alicujus impotentiæ ac infirmitatis, vel commercij cum dæmone in præcedentibus suis Miraculis, neque ad horum vilipensionem cavendam quidquam fecit; ut & nos nihil ageremus, vel ad æstimationem nostrî augendam, vel ad contemptum effugiendum.

MEDITATIO CCCVII.

Discipulorum diffidentia, & solicitudo inanis reprehensa.

Matth. 16. v. 5. Marc. 8. v. 14.

PUNCTUM I. *Et cùm venissent Discipuli ejus trans fretum, obliti sunt panes accipere: qui dixit illis: Intuemini & cavete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. At illi cogitabant intra se, dicentes: quia panes non accepimus.* Matth. 16. v. 5. Nimius amor & cura suî, ne quid unquam desit, quàm est contrarius Confidentiæ in DEVM? Unde de hac mox reprehensi, & ad Fiduciam ex memoria Divinæ Providentiæ & Bonitatis excitati sunt Discipuli à Christo: *Sciens autem JESVS dixit illis: Quid cogitatis intra vos modicæ fidei: quia panes non habetis?*

habetis? Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum in quinque millia hominum, & quot cophinos sumpsistis? neque septem panum in quatuor millia hominum, & quot sportas sumpsistis? v. 8. Revocemus ergo in memoriam nobis innumeras experientias Divinæ erga nos Providentiæ, & sepositâ nostrî curâ in omnibus nos illi committamus, & confidamus.

Punct. II. Considera alium effectum proprij amoris, & nimiæ curæ corporis: Excæcat enim & reddit inhabilem intellectum ad percipiendas veritates Spirituales, Animæ utiles ad Salutem & Perfectionem obtinendam: quia *Carnalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs.* 1. Cor. 2. v. 14. Et de hoc iterum reprehensi sunt Discipuli sequentibus verbis.

Punct. III. *Quare non intelligitis; quia non de pane dixi vobis: Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum? Tunc intellexerunt: quia non dixit, cavendum à fermento panum, sed à Doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.* v. 11. Considera, & malam doctrinam à Christo comparari fermento, & ab eodem etiam dictum esse Regnum Cælorum simile fermento Matth. 13. v. 33. adeóque etiam Cælestem Doctrinam, per quam opera nostra, quibus Cælum obtinemus, efformantur, fermento comparari. Ideo sicut Cælestis Doctrina, quæ nempe à Christo de Cælo allata est, præstat nobis sapidum Panem Vitæ, & opera nostra bona ac sapida, & ad Vitam æternam salubria reddit, adeóque amplectenda est; ita doctrina Pharisæorum ac Sadducæorum (intellige sapientiam Mundi & carnis) præstat oppositum, ut solùm vanitates Mundi, ac voluptates Carnis sapiant: ideo cavete vobis ab hoc fermento. Tale fermentum sunt etiam principia

& axiomata tepidorum, & malorum hominum: fic enim, ut S. Paulus scribit 1. Cor. 5. v. 6. *Modicum fermentum totam massam corrumpit*: ita idem scribit in eadem Epist. c. 15. v. 33. *Nolite seduci: corrumpunt bonos mores colloquia prava.*

MEDITATIO CCCVIII.

De Cæco Sanato.

Marc. 8. v. 22.

PUNCTUM I. *Et veniunt Bethsaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, ut illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum* (scilicet Bethsaidam.) Considera, quòd, sicut Marcus præcedenti capite 7. v. 33. de surdo & muto narravit, apprehensum eum esse de turba seorsum, ita etiam cæcum Christus eduxerit extra vicum Bethsaidam, quæ Latinè vertitur: *Locus effusionis.* Ad cæcitatem enim mentis curandam, & ad visum ejus acuendum, plurimùm conducit, vitare hominum consortia, ubi per inutiles confabulationes animus sese effundit, & ad contemplandum, ac contuendum Cælestia sese inhabilem, ac occæcatum reddit; unde de Anima à Deo Divino Lumine illustrandâ Oseæ. c. 2. v. 14. dicitur: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ei ad cor.* Recede ergo ab inutili hominum consortio, ad vacandum Contemplationi, & alijs exercitijs Spiritualibus.

PUNCT. II. *Et expuens in oculos eius, impositis manibus suis interrogavit eum, si quid videret. Et aspiciens, ait: Video homines, veluti arbores ambulantes.* Hoc est alterum medium ad oculos mentis illuminandos. Tum autem

autem Christus expuit in oculos nostros, quando facit, ut per agnitionem nostræ vilitatis, instar vilissimi sputi nos esse credamus; & quando vicissim alios magni æstimamus, ut videamus illos veluti arbores ambulantes. Quòd si ab alijs tamen ita magni æstimemur, eorum judicium non aliter curare debemus, quàm homo nanus ac Pygmæus curaret judicium dicti cæci. Scientes enim, nos in omnibus esse pusillos, non debemus cæco hominum judicio extolli, nec tantos nos credere, quanti à cæcis mortalibus esse dicimur: horum enim sermo est sicut umbra Solis, à tergo nostro occidentis; quæ brevis etiam staturæ humanæ longissimam, & vero longè majorem projicit & effingit imaginem, paulò post tamen cum Sole evanescentem.

Punct. III. *Deinde iterum imposuit manus super oculos ejus: & cæpit videre. Et restitutus est, ita ut clarè videret omnia.* Sic studeamus semper proficere in Cæleſti Sapientia, donec clarè videamus, & intueamur omnia, prout sunt, & non prout ab hominibus dicuntur, vel æstimantur; ab his enim præsentia ac temporalia magni fiunt, futura verò & æterna parvi.

MEDITATIO CCCIX.

Varia hominum de Christo judicia, & Petri Confessio.

Matth. 16. v. 13. Marc. 8. v. 27. Luc. 9. v. 18.

Punctum I. *Venit autem JESUS in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat Discipulos suos, dicens: quem dicunt homines esse Filium Hominis?* Matth. 16. v. 13.

sive: *Quem me dicunt esse homines?* Marc. 8. v. 27. In hac Christi interrogatione discimus, aliquo modo attendendum esse ad hominum de nobis sermones, ut saltem sinistrè de nobis loquendi illis causam nullam demus. *Devitantes hoc* (cum S. Paulo 2. Cor. 8. v. 20) *ne quis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur a nobis. Providemus enim Bona non solùm coram DEO, sed etiam coram hominibus.* Sic etiam Ecclesiasticus monet: *Curam habe de bono nomine.* c. 41. v. 15. Hæc cura maximè necessaria est ijs, qui in Communitate vivunt, & qui Saluti Proximi vacant; ne Communitas damnum, vel Proximus scandalum patiatur, & *ut non vituperetur ministerium nostrum* (2. Cor. 6. v. 3.) tanquam indigno commissum, aut malè & negligenter administratum.

Punct. III. *At illi dixerunt, alij Joannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Matth. 16. v. 14. Vides, quàm varia, & quàm erronea sint hominum judicia, & sermones; & quàm proinde parvi sint æstimandi, modò ipsi causam sinistræ suspicionis, vel sermonis non præbeamus? Notandum tamen est, quòd Apostoli non detulerint ad Christum etiam malos de ipso sermones: quòd sit potator vini, Transgressor Sabbati, Magus vel dæmonium habens, amicus Publicanorum, Peccator, Blasphemus, seductor turbæ &c. Etiamsi enim apud Christum nihil erat metuendum, apud alios tamen meritò timendum est, ne hujusmodi relationes vel contristent, vel alienent eum, de quo dicuntur.

Punct. III. *Dicit illis IESVS: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Filius DEI Vivi.* Matth. 16. v. 15. Considera, quam tu de

de Christo æstimationem habeas, & quid interrogatus ipsi posses, ac deberes respondere. Scilicet Tu es Christus Filius Dei Vivi, Dominus meus, & Deus meus, Redemptor, Pastor Bonus, Dux, Magister, Pater, Frater, Amicus fidelissimus, Hostia & Sacerdos, Medicus Animarum, Consolator, Panis Vitæ, Judex vivorum, & mortuorum. &c. Age, ut his omnibus titulis convenientes Affectus voluntatis correspondeant, Honor, Amor, Fiducia, Metus &c.

MEDITATIO CCCX.

Christus Petro Cœli Claves pollicetur.

Matth. 16. v. 17.

Punctum I. *Respondens autem JESUS, dixit ei: Beatus es Simon, Bar Jona* (id est, filius Joannis) *quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est.* Matth. 16. v. 17. Considera, quænam illæ sint Veritates, quas caro & sanguis revelat; imò quàm alienæ sint à Veritate, quæ testimonio carnis & sanguinis nituntur. Caro enim & sanguis non nisi mollia, sensibilia, transitoria, vilia, ac infima novit, & ea fallacia bona pro veris habet: Deus autem altiores, meliores, & firmiores Veritates revelat, quæ adversantur carni & sanguini. Nondum tamen Beati, qui audiunt Verbum Dei, revelantis has Veritates; sed tunc tandem sunt Beati, quando etiam custodiunt illud.

Punct. II. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo Claves Regni*

Cælorum: & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cælis. Matth. v. 18. Ecce quantum præmium synceræ confessioni Christus rependat! Quod enim antehac Christus Petro promiserat, teste Joanne c. 1. v. 42. *Tu vocaberis Cephas*, id modò implet, & imponit ipsi Nomen Cephæ, sive Petri: ne autem hoc Nomen frustra gerat, designat illum pro suo Successore & Vicario, cujus Auctoritati & Potestati innitatur universa Christi Ecclesia, veluti fundamento innititur totum ædificium: Potestatem verò promittit tantam, ut, quidquid ipse ligaverit, vel solverit in terra, hoc Christus ratum habeat in Cælis. Quantum ergo Præmium retribuet Christus ei, qui non solo verbo, sed opere, imitatione, & executione Doctrinæ, Mandatorum, & Consiliorum, imò Morte ipsa (sicut deinde Petrus sub Nerone) vel saltem continua suî Mortificatione Christum confitetur, & sedulò cavet, ne sit inter illos, de quibus S. Paulus ad Tit. 1. v. 16. *Confitentur, se nôsse DEVM, factis autem negant: cùm sint abominati, & incredibiles, & ad omne Opus bonum reprobi.* Considera etiam, si Christus vicissim tibi diceret, quis sis, manifestando tibi statum Animæ tuæ, quid tunc esset dicturus? an non meritò diceret? *Scio opera tua: quia nomen habes, quòd vivas, & mortuus es.* Apoc. 3. v. 1. Hoc autem non est, esse Petram, sed arundinem vento agitatam, inconstantem, & arefactam.

Punct. III. *Tunc præcepit Discipulis suis, ut nemini dicerent, quia ipse esset JESVS Christus.* v. 2. Ne scilicet, qui hanc attestationem suam brevi ipso facto in Christi Morte per fugam & desertionem erant retractaturi, futuræ

futuræ suæ attestationi post Christi Mortem fidem derogarent. Unde discimus etiam utilia ad Proximi Salutem non nisi opportuno tempore proferenda esse: item credita nobis arcana non ante tempus manifestanda, silentiique fidem petenti servandam esse. Similiter optare debemus, ne quam alij de nobis sublimem habent æstimationem, apud alios divulgent.

MEDITATIO CCCXI.

Christus Passionem suam Discipulis prænunciat.

Matth. 16. v. 21. Marc. 8. v. 31. Luc. 9. v. 22.

PUNCTUM I. *Exinde cæpit JESUS ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Jerosolymam, & multa pati à Senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere.* Matth. 16. v. 21. Supposita professione, & Fide Discipulorum, quòd ipse esset Filius DEI, voluit Christus ostendere illis, quanta esset passurus, & quòd tantam Dignitatem, ac Excellentiam Filij DEI non ob alium finem sustineret, quàm ut multa, & indigna pateretur. Sic honores, & honorata officia non ob alium finem à nobis admitti ac suscipi debent, quàm ut plus adversitatum & laborum sustineamus. Hoc modo S. Paulus 1. ad Timoth. 3. v. 1. dixit: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum Opus desiderat.* Nempe qui non honorem, sed muneris molestias, cruces, labores desiderat. Voluit etiam Christus Discipulis suis considerandum proponere, quantus ipse esset, & quanta tamen passurus esset, ut

tit, sicut nec ipse, ita nec nos à quantiscunque adversi eximi cuperemus, memores, non esse discipulum s per Magistrum, nec servum esse majorem Domin suo: ut proinde ejus Exemplo animati sequamur Ve stigia ejus.

Punct. II. *Et assumens eum Petrus, cæpit increpa re eum, dicens: Absit à te Domine, non erit tibi hoc. Qu conversus dixit Petro: Vade post me Satana, scandalum es mihi.* v. 22. Quod Petrus ex cæco & insipiente amo re e Christo dixit, hoc appetitus sensitivus, amor pro prius, & caro nostra dicit nobis, dehortans nos ab iis, quæ nos pati oportet pro Salute nostra; cui tamé nos Christi Imitatione acriter opponere debemus, pro Satana, & inimico ipsum proprium amorem haben tes: nam, *Qui amat Animam suam*, testante Christo, cap. 12. v. 25. apud Joann. *perdet eam.* Idcirco amori proprio, appetitui sensitivo, & carni reipsa dica mus: *Vade post me Satana, scandalum mihi es*: nec sina mus eam antecedere, & ducem agere. Attendamus, quanto desiderio patiendi Christus exarserit, qui ei dem resistentem non jam Petri, sed Satanæ nomine, compellat, & retrocedere jubet, quem paulò antè ad Apostolici culminis fastigium efferre decreverat.

Punct. III. *Quia non sapis ea, quæ DEI sunt, sed quæ hominum.* v. 23. Considera causam, cur pati hor reamus, esse defectum veræ & Deo conformis Sa pientiæ: insipientium enim hominum more tantum respicimus ad præsentia momentanea, & levia tribulationis nostræ, non autem ad æter num Gloriæ pondus, ad Divinum Beneplacitum &c.

MEDI-

MEDITATIO CCCXII.

Crux Christi sectatoribus quotidie tollenda.

Matth. 16. v. 24. Marc. 8. v. 34. Luc. 9. v. 23.

PUNCTUM I. *Tunc JESUS dixit Discipulis suis* (nempe postquam, quis esset, & quid tamen passurus esset, quámque vehementer pati desideraret, ipsis sufficienter declaraverat) *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Quamvis autem hæc Discipulis principaliter dixerit, utpote, qui ex instituto profitentur Sequelam Christi; non tamen dixit his solis: nam S. Marcus ait: *Et convocatâ turbâ cum Discipulis suis, dixit eis.* Et S. Lucas: *Dicebat autem ad omnes* (quis ergo solus vellet excipi?) *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie* (Nulla enim dies vacat sua cruce, & quotidie aliquid pati debemus) *Et sequatur me.* Videri poterat Optimus & Suavissimus Magister suis Discipulis valde arduam & asperam lectionem præscripsisse; sed considera, quomodo eam leniverit. Dixit 1. *Si quis vult* (non cogit, sed invitat) *post me venire* (præeundo per Exemplum suum suaviter trahit) dixit 2. *Abneget semetipsum.* Nempe ita seipsum tractet, & perversæ suæ voluntati ita in omnibus repugnet, quasi ipse non esset ipse, sed alius, cui adversaretur. Sed hoc ipsum est non tantùm abnegare, sed verè exuere veterem hominem, & Novum, imò Christum ipsum induere: ut verè dicere possis cum S. Paulo ad Gal. 2. v. 20. *Vivo autem jam non ego: vivit verò in me Christus.*

Christus. Quàm exiguum ergo est id, quod abnegas, & quod perdis! Quàm æstimandum autem & appetendum est id, quod exquiris, & quod hac tuî ipsius mutatione lucraris! Dixit 3. *Tollat crucem suam quotidie*, quam scilicet DEVS ipse juxta cujusque vires sapientissimè, providentissimè, & amantissimè divisit, selegit, imposuit, & ferre juvat. Addiditque: *Sequatur me*, Exemplo præeuntem, Cruci me affigi sinentem, ab ea, frustra Judæis omnibus me solicitantibus, & provocantibus, minimè descendentem, sed morientem in illa.

PUNCT. II. Considera, quanta sit necessitas, & quanta utilitas seipsum abnegandi, & crucem suam portandi: dicit enim Christus: *Amen, amen dico Vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joan. 12. v. 24. *Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. 16. v. 25. *Filius enim hominis venturus est in Gloria Patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundùm opera ejus*: nempe secundùm mensuram bonorum, quæ egit, & malorum, quæ pertulit continua crucis portatione.

PUNCT. III. Considera, quantum & quàm irreparabile sit damnum, volentis Animam suam Salvam facere, sive liberam à suî Abnegatione, ac crucis portatione, adeóque perdere eam. Iterum enim ipse Christus dicit: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro Anima sua?* Matth. v. 26. Audi itaque S. Augustinum Tract. 51. in Joannem: *Magna & mira sententia, quemadmodum*

sit hominis in Animam suam amor, ut pereat; odium, ne pereat. Si malè amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amâsti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

MEDITATIO CCCXIII.

De Transfiguratione Christi.

Matth. 17. v. 1. Marc. 9. v. 1. Luc. 9. v. 28.

PUNCTUM I. Quia Christus Discipulos suos ad abnegationem suî & portationem crucis adhortatus fuerat promissione Cælestis Gloriæ aliquando percipiendæ, & à quibusdam etiam in hac vita prælibandæ; dixerat enim apud Matth. c. 16. v. ult. *Amen dico vobis, sunt quidam de his stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium Hominis venientem in Regno suo*; ideo *Post dies sex* (non computatis diebus, quo hoc dixerat, & quo hoc impleverat, quos S. Lucas computabat, & proinde dicebat: *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo*) *assumit JESUS Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum* (qui communiter censetur fuisse mons Thabor in Galilæa, ex quo descendens ipse, & Discipuli, teste Marco c. 9. v. 29. *Prætergrediebantur*, id est, perambulabant reliquam *Galilæam*, donec venerunt Capharnaum) *Et transfiguratus est ante eos.* Matth. 17. v. 1. Considera, Christum non omnes Discipulos, sed tantùm illos tres duxisse in montem Thabor, quos secum assumpturus erat ad montem Oliveti: ut ostenderet, visiones, prægustationes Gaudiorum Cælestium, & Solatia Spiritualia, non omnibus Servis DEI communicari, sed illis, quibus vult, quando vult,

vult, & quantùm vult; unde hos extraordinarios Favores Deo committamus: nos contenti simus, Servos & Discipulos Christi nos esse, & communibus Beneficijs frui; specialibus verò Gratijs ac Favoribus qui magnis Dei Amicis conferri solent, indignos non censeamus: ideo non nisi ante eos transfiguratus est Christus, qui priùs *seorsum* de vulgari vitæ Sanctitate *in montem excelsum* sublimis Perfectionis ducti sunt: & qui ad majorem etiam Dominicæ Passionis in monte Oliveti communicationem & participationem tristitiæ disponendi & præparandi erant. Quemadmodum S. Paulus dicit: 2. Cor. 1. v. 5. *Quoniam sicut abundant Passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat Consolatio nostra.* Quòd si vis hanc abundare, vel debes, ut etiam illæ abundent.

Punct. II. *Et resplenduit Facies ejus, sicut Sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut Nix.* Matth. 17. 2. Splendor solaris est indicium Visionis Beatificæ, niveus candor totius Vestis tegentis corpus, designat Charitatis ab omni macula & obfuscatione puritatem, quâ Anima tanquam stola Gloriæ induitur. Considera ergo, quantum sit gaudium clarè videre Deum, & perfectissimè ac purissimè amare. Hoc gaudium in hac vita prælibare constanter potes: fac tantùm, ut etiam velis, constanter tibi procurando claram Cognitionem, & sincerum Amorem Dei, ex pertem omnis peccati, & maculæ.

Punct. III. *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes.* Matth. v. 3. *Et dicebant excessum ejus* (quo excessus ex hac nostra vita, & excessus illi Charitatis designatur, quâ majorem nemo habet, quàm qui ponebat Animam pro amicis & inimicis suis

suis) *Quem completurus erat in Jerusalem.* Luc. 9. v. 31. Sciebant enim, Christum desiderio desiderantem, complere illum in Jerusalem, de nulla alia re libentiùs & jucundiùs collocuturum. De hoc ergo frequenter meditare, & colloquere cum Christo: si enim ipsi, dum adhuc passibilis erat, de eo, adhuc peragendo & perpetiendo, jucundum fuit audire, & colloqui; quàm gratum erit audire & colloqui de eo jam peracto? Et quàm inde cor tuum ardens erit in via, sicut duorum Discipulorum, euntium in Emmaus, & de eodem argumento cum Christo colloquentium? Stude etiam talia, & tam Sancta Colloquia inter homines instituere, qualia vides institui ab hominibus Beatis in Gloria Cælesti; & cavere ea, quorum illi nollent esse Auditores, vel Collocutores.

MEDITATIO CCCXIV.

Continuatio ejusdem Historiæ.

PUNCTUM I. *Respondens autem Petrus dixit ad JESUM: Domine bonum est, nos hîc esse: si vis, faciamus hîc tria tabernacula, Tibi unum, Moysi unum, & Eliæ unum.* Matth. 17. v. 4. Addit S. Lucas c. 9. v. 33. *Nesciens, quid diceret.* Considera, quàm desiderium Petri manendi semper in monte Thabor, & contemplandi Christum Glorioſum, fuerit alienum à Vocatione S. Petri: ipse enim vocatus erat ad eundum in universam terram, & ad Conversionem Animarum, ad pascendas Oves Christi. Sic qui vocati sunt ad inserviendum Proximo per ministeria sive Spiritualia, sive temporalia, Vocationi suæ non satisfacerent, si per-

petuò & continuò Meditationi, Orationi, Lectioni Librorum Spiritualium, Vitæ nimirum Contemplativæ vellent vacare. Præterea nec illi satisfacerent Vocationi suæ, qui sine debita indifferentia in uno loco vellent tabernaculum facere, & sedem figere, ubi bonum ipsis est esse propter commoditates suas, quas ibidem reperiunt. Similiter noxio ac imprudenti desiderio cum S. Petro tenerentur, qui semper vellent sibi bene esse, nunquam malè: abundare Consolationibus in monte Thabor, non autem desolationibus in monte Oliveti: degere semper in prosperis, nunquam subire adversa. Unde qui hoc peteret, verè is esset *Nesciens, quid diceret*

Punct. II. Considera, etsi Petrus non alteri, nisi Christo, Moysi, & Eliæ, tabernacula se facere vele dixerit; quia tamen etiam sibi duxit bonum esse ibi habitare, constat, intentionem illius non fuisse adeò puram & simplicem, quin etiam ipse communi tecto frui, & eadem tabernacula in suam commoditatem struere voluerit. Examina similiter etiam tuas intentiones, & invenies, quòd ea opera, quæ unicè in Dei, vel certi alicujus Sancti Honorem te peragere dicis, & credis, non ex adeò pura & simplici intentione proficiscantur, & quòd plerumque etiam tuam commoditatem, recreationem, honorem &c. pro fine, si non primario, certè secundario habeas.

Punct. III. Considera, Petro hîc nullam incidisse curam & cogitationem, quòd panes non haberent, & alia ad sustentationem in monte permanentibus necessaria; sicut tamen aliàs ipse, cæteriquè Discipuli, teste Matth. c. 16. v. 7. *Cogitabant intra se dicen-*

dicentes: quia panes non accepimus. Qui enim Cæleſtia ac Spiritualia Gaudia guſtârunt, nec curant, nec æſtimant ampliùs corporalia. Guſtato Spiritu deſipit omnis caro. Igitur procura tibi guſtum rerum Spiritualium, & tunc non tantùm rerum ſuperfluarum, ſed etiam neceſſariarum penuriam facilè tolerabis: certè amore perpetuæ Converſationis cum Chriſto in Cæleſti Gloria illam patienter, & cum magno tuo merito feres. O quàm bonum erit ibi eſſe! Si enim Viſio intuitiva Humanitatis Chriſti Glorioſæ tanta voluptate replevit animum S. Petri; quid faciet Viſio intuitiva Divinitatis perpetua? Si Chriſtus unicâ guttâ Cæleſtis Gloriæ S Petrum ita inebriavit; quid faciet Beatis, quando *Torrente Voluptatis ſuæ potabit eos?* Pſ. 35. v. 9.

MEDITATIO CCCXV.

Continuatio ejuſdem Hiſtoriæ.

PUNCTUM I. *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.* Matth. 17. v. 5. Hæc ſolet eſſe viciſſitudo & alternatio apud electos DEI Servos, ut modò Solatijs & Gaudijs Spiritualibus affluant, & mox iterum adverſitatum, deſolationum, ac tentationum nube obumbrentur; ſicut tamen Chriſti Facies, inſtar Solis reſplendens, nubem interpoſitam illuſtravit, ut eſſet nubes lucida, ac ſerena; & ſicut nubes hæc umbram ac lucis attemperationem, non tenebras, nec pluviam peperit; ſic adverſitatum, deſolationum, & tentationum nubes, quia memoriâ præcedentium Gaudiorum Spiritualium, Cæleſti Illuſtra-

tione, & Sereno ac Amico DEI Vultu, quo Servos suos clementer respicit, lucida redditur, nec tenebras in intellectu, nec lacrymarum tristem pluviam in voluntate parit; sed gratam umbram, ac lucis attemperationem efficit, ne continua prosperitas & mentis voluptas, superbiæ vel amoris proprij æstu, vel aliis suâ vehementiâ, vel continuatione nimia electos DEI Servos lædat.

PUNCT. II. *Et ecce vox de nube dicens: Hic est Filius meus Dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Matth. v. 5. His verbis Cælestis Pater Filium suum proponit in Exemplum (ideo dicit, se sibi in eo complacuisse, tanquam in Speculo & Imagine sua, ac Perfectionum suarum, omniúmque Virtutum) & in Magistrum: ideo etiam dicit: *Ipsum audite*, auscultando & obsequendo ejus Sanctissimæ Doctrinæ. Si itaque Paternæ voci obediamus, ipse etiam in nobis sibi complacebit, tanquam in imagine sua, quia & ipsi erimus Divinæ consortes Naturæ, & perfecti, sicut Pater noster Cælestis perfectus est, à quo ipsa etiam nostra Perfectio procedet, quæ proinde in eum rursus, tanquam in Auctorem, referenda erit.

PUNCT. III. *Et audientes Discipuli ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit JESUS, & tetigit eos; dixitque eis: surgite & nolite timere. Levantes autem oculos suos neminem viderunt, nisi solum JESUM. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis JESUS, dicens: nemini dixeritis Visionem, donec Filius Hominis à mortuis resurgat.* Matth. v. 6. Sic Cælestes Illustrationes, & singulares DEI Favores recipiendi sunt, ut inde non elati, sed humiles & timidi reddamur: útque oculos nostros è terrenis rebus levantes, secluso omni alio hu-

mano

mano respectu, in Christum solum, tanquam in Ideam omnis Sanctitatis convertamus, non respicientes, quid alij faciant; & ut denique occultemus hujusmodi specialia Beneficia, ad nostrum Profectum Spiritualem, non ad ostentationem nobis collata. Satis nobis sit, ista omnia manifestanda esse in Resurrectione, quando Christus in nobis, tanquam in Membris suis, resurget à mortuis.

MEDITATIO CCCXVI.

De Energumeno liberato.

Matth. 17. v. 14. Marc. 9. v. 13. Luc. 9. v. 37.

PUNCTUM. I. *Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa.* Luc. 9. v. 37. *Et veniens ad Discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & Scribas conquirentes cum illis* (Græcè: *Disputantes*: an scilicet ipsorum Magister esset Messias; quandoquidem in ipsius potestate non potuissent expellere dæmonium ex homine ipsis oblato) *Et confestim omnis populus videns JESVM, stupefactus est* (propter repentinum, & opportunum ejus adventum, quem non nisi ex Prophetico Spiritu accidisse agnoverant) *Et expaverunt* (propter dictam causam, & propter suspicionem, ne etiam Prophetico Spiritu cognovisset dubios eorum sermones de illo) *Et occurrentes salutabant eum.* Marc. 9. v. 18. Hinc disce non imitandos, sed Christi Exemplo patienter ferendos esse, qui de nobis absentibus malè sentiunt, & siniſtrè loquuntur; præsentibus verò blandiuntur accurrentes, & salutantes, & quasi sibi gratulantes de nostra

præsentia, & familiaritate. Tu ergo de absente nihil loquaris, quod præsente non audeas, vel cujus notitiam timeas ad illum pervenire: cum præsentibus verò syncerè, & non politicè agas. Qui autem aliter tecum agunt, id genus hominum patienter feras, uti Christus tulit, pro Potestate tamen sua ad correctionem & emendationem illorum ipsis dicens: *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?* Marc. v. 18. Atque ex his verbis discе, etiam acres reprehensiones à Christi Vicarijs, sive Superioribus, æquanimiter suscipere, propter nullius aversionem locum mutare, sed constanter unumquemque supportare, & cum illo versari.

Punct. II. *Et interrogavit eos: Quid inter vos conquiritis? Et respondens unus de turba dixit: Magister, attuli filium meum ad te, habentem Spiritum mutum, qui, ubicunque eum apprehenderit, allidit eum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit; & dixi Discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt &c. Et interrogavit patrem ejus: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia, & frequenter eum in ignem, & in aquas misit, ut eum perderet.* Marc. v. 15. Vide, quanto, & quàm diuturno dæmon hominem odio prosequatur. Quod autem fecit huic filio ab infantia in corpore, id longè magis homini in Anima ejus ab infantia completa, & ad peccandum apta facere nititur, quantum à Deo ipsi permittitur. Agnosce itaque ingens Dei Beneficium, si non tantùm non quoad corpus, sed (quod multò majus est) neque quoad Animam hoc ipsi est permissum: si nimirum ab infantia bene & piè fuisti educatus; si à gravibus tentationibus, periculis, occasionibus, peccatis, indomitis passionibus fuisti præservatus,

ſervatus, ne multiplici lapſu alliſus in terram, jure Cæli excideres, adeóque ſpumares irâ, ſtrideres blasphemiâ, areſceres acediâ, frigeres in aqua, Charitate extincta, arderes luxuriæ igne. Et hoc ſit tibi incitamento, ut reliquam vitam innocentiſſimè tranſigas, & conſtanti odio infenſiſſimum hoſtem perſequaris, agendo omnia, quæ circa propriam, vel Proximi Animam ipſi ingrata, ac moleſta poſſunt accidere.

PUNCT. III. *Si quid potes, adjuva nos, miſeratus noſtrî. JESUS autem ait illi: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et continuò exclamans pater pueri, cum lacrymis aiebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Marc. v. 21. Ecce! quàm ſuaviter hominis illius dubiam fidem Chriſtus firmaverit, & cum Pœnitentiæ lacrymis emendaverit. Dubitationem de Chriſti Potentia: *Si quid potes*: corrigit per retorſionem, ſuaviter exprobrantem hæſitationem in Fide: *Si potes credere.* Deinde injecit deſiderium oppoſitæ Virtutis rem petitam promittendo, & declarando vim omnia per illam efficiendi: *Omnia poſſibilia ſunt credenti*: qua ratione etiam excitavit in illo deſiderium proficiendi in illa Virtute, & recipiendi Auxilia, ac media ad hujusmodi profectum: *Adjuva incredulitatem meam.* Hac ſuavitate, & hac arte ſive erga ſubditos, ſive erga æquales utendum eſt, ad quoſcunque Proximi defectus in illo emendandos, ut nimirum ſuaviter tales de ſuis defectibus admoneamus, & ad eorum agnitionem inducamus; ut oppoſitarum Virtutum deſiderium, & in illis proficiendi ſtudium excitemus; ut denique confidentiam & amorem erga nos ingeneremus, ut Proximus etiam cupiat à nobis adjuvari,

corrigi, & emendari in suis defectibus, paratúsque sit auxilia ac media acceptare.

MEDITATIO CCCXVII.

Continuatio eiusdem Historiæ.

PUNCTUM I. *Et cùm videret JESUS concurrentem turbam* (cujus non plausum, sed Fidem & obstinationis emendationem intendebat) *comminatus est Spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi: exi ab eo: & ampliùs ne introëas.* Marc. 9. v. 24. Hoc præcepto, & comminatione ejectus est à Christo ex homine Spiritus immundus, surdus, & mutus. Haud leviores pœnas, & mala Christus non tam Spiritui immundo, quàm tibi ipsi comminatur tum in hac vita, tum in altera, si munditiem Conscientiæ tibi non procures; si ad Divinas & humanas admonitiones obsurdescas; si Superiori & Patri Spirituali statum Animæ tuæ per silentium tegas. Consideratâ hac Christi comminatione & imperio, quod hactenus non satìs perpendisti, exibit à te Spiritus immundus, *surdus*, & mutus. Non tamen satìs est, ut solùm exeat; sed eadem consideratione curandum est, ut ampliùs ne introëat: ne fiant novissima peiora prioribus propter ingratitudinem, & desperationem constantis emendationis.

PUNCT. II. *Et exclamans, & multùm discerpens eum, exiit ab eo, & factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent: quia mortuus est.* Marc. v. 25. Sic, quando ex Anima pellitur immundus, surdus, ac mutus Spiritus, qui ab infantia, vel per longam consuetudinem stabilè

stabile domicilium propter habitus malos habuit, reclamante, & reluctante nostra corrupta natura, exclamat quidem, & multùm discerpit nos; sed hoc clamore, sicut Christus, terreri non debemus, quin antiquum hospitem serio & constanti decreto expellamus, & nos ipsos per internam ac externam Mortificationem mortuis similes faciamus; ut in vero sensu etiam dici possit: *Quia mortuus est.*

Punct. III. *JESVS autem tenens manum ejus, elevavit eum, & surrexit.* Marc. v. 26. Sic à peccatis, malis consuetudinibus, & habitibus per vires naturales & proprias ad Vitam Spiritualem & ad operationes Vitæ Spiritualis surgere non possemus, nisi Deus manum nostram teneret, & apprehenderet per Gratiam, nec per subtractum auxilium Gratiæ retraheret. Quemadmodum verò nemo vitam corporalem sibi adimit, spe miraculosæ Resuscitationis; ita nec Spiritualem sibi quisquam auferat, cùm æquè parùm suis viribus & conatu ad eandem resurgere queat; & præterea per ipsam Animæ mortem se indignum reddat gratuita Resuscitatione Divina.

MEDITATIO CCCXVIII.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Punctum I. *Tunc accesserunt Discipuli ad JESVM secretò, & dixerunt: Quare nos non potuimus ejicere illum? Dixit illis JESVS: propter incredulitatem vestram.* Matth. 17. v. 18. Sic postquam cum turba in procuranda Salute Proximi versati sumus, familiari ad Deum regressu ab eadem identidem nos subducere

debemus frequenti animi Recollectione, mentis pe
Examen discussione, nostríque per Meditationem
cognitione, & investigatione causarum impedien
tium Proximi Salutem, ac Conversionem: quas p
tebit non tam ex parte Proximi, quàm ex nostra
tenere; sicut ex Discipulorum exigua Fide, & Fidu
cia accidit, ut nequirent eijcere malignum, & mutu
Spiritum.

Punct. II. *Dixit illis JESVS: propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis: si habueritis Fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Matth. 17. v. 19
Per Fidem, ut patet, intelligitur hîc Fiducia, seu
Confidentia in Deum, quæ tam efficax ad Conver
sionem Proximi à Christo asseritur, ut, etiamsi ille
ratione suæ perversitatis sit similis homini muto, pe
simè à diabolo habito, & ipsius Conversio nobis si
tã difficilis, quàm montis transportatio, tamẽ per Divi
nam Gratiam & Auxilium tam facilis futura sit, quàm
si solo verbo montem aliò transferre concessum effet.
Debet autem ista nostra Fides esse parva, sicut gra
num sinapis, scilicet per Humilitatem, & Diffiden
tiam de nostris viribus; & simul efficax, per usum me
diorum: sicut granum sinapis Solis & Cælestium ra
diorum influxibus (quibus æquè indiget, quàm nos
indigemus Auxilijs Divinis) cooperando, nihil ex
parte sua negligit, ut in arborem excrescat. Erit
autem Fides nostra talis, si de nullius hominis Salute
& emendatione desperemus, Deo confisi. Similem
Fiduciam habere debemus ad eijciendum ex Anima
nostra quemcunque Spiritum malignum, & consue
tudinem vitiosam, quamvis radicatam.

Punct.

Punct. III. *Hoc autem genus non eiicitur, nisi per Orationem & Jejunium.* Matth. 17. v. 20. Scilicet hominis peccatoris Conversio, vel nostrî ipsorum emendatio non efficaciter procuratur sine his duobus (ad quæ assumenda non nisi firma Fiducia inducit) nempe sine Oratione impetrante specialia Auxilia, & intellectum nostrum illustrante, ut videat, aliisque proponat proportionata media, ac motiva; & sine Mortificatione, quæ est Jejunium & Abstinentia ab omni affectu intemperante & immoderato ad creaturas, vel etiam corporis qualiscunque afflictatio. Unde pro Conversione Animarum privatæ instructioni, & admonitioni adjungenda est Oratio, & pœnalium Operum usurpatio.

MEDITATIO CCCXIX.

Christus iterum Apostolis Passionem suam prænunciat.

Matth. 17. v. 21. Marc. 9. v. 29. Luc. 9. v. 44.

Punctum I. *Et inde profecti prætergrediebantur Galilæam* (id est, festinantes transibant Galilæam, in qua teste Matthæo versabantur) *Docebat autem Discipulos suos, & dicebat illis: quoniam Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum, & occisus tertia die resurget.* Marc. 9. v. 29 Hoc Vaticinium eorum, quæ passurus erat, Christus Discipulis suis sæpius repetiit, ut eorum eventu eò minùs scandalizarentur, sed potiùs ad Imitationem incitarentur tum ipsi Apostoli, tum nos, qui illud eramus lecturi, vel meditaturi. Nam etiam nos in manus hominum tradimur, cùm

Deus

Deus adversantes, malè de nobis sentientes, sinistrè loquentes, contradicentes, apertè vel occultè persequentes nobis immittit. Ab ipsis verò occidimur, cùm mortificamur, & nobis ipsis moriendi occasio præbetur. Post hæc tamen tertia die, id est, brevi resurgemus ad Æternam & Beatam Vitam, cujus Spe & memoriâ leviter omnia feruntur. Hoc Vaticinio itaque & Christi Exemplo ad ejus Imitationem accendamur.

Punct. II. *At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos, ut non sentirent illud: & timebant eum interrogare de hoc verbo.* Joan. 9. v. 45. Quamvis enim haud multò antè idem prædixerit illis Christus, illud tamen propter sublimitatem, arduitatem, & animi excæcationem, quódque hæc omnia pugnarent cum principijs Mundi & Carnis, non intellexerunt. Idem & ob eandem causam contingit nobis, ut non intelligamus, quàm utile, necessarium, ac meritorium sit, tradi in manus hominum, occidi &c. Itaque sequamur illud monitum S. Pauli Philipp. 2. v. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo JESV*: nec timeamus, Christum interrogare, & petere, ut nobis det sensum eundem, ut sapiamus ea, quæ Dei sunt, & non, quæ sunt hominum.

Punct. III. *Et contristati sunt vehementer.* Matth. 17. v. 23. Hæc tristitia ex ignorantia prædicta originem traxit. Inde etiam omnis nostra tristitia profluit. Itaque potiùs sentiamus cum S. Jacobo in Epist. Canon. c. 1. v. 2. *Omne gaudium existimate Fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis: scientes, quod probatio Fidei vestræ Patientiam operatur: Patientia autem Opus perfectum habet.*

MEDI-

MEDITATIO CCCXX.

Didrachma pro Christo solvitur.

Matth. 17. v. 23.

PUNCTUM I. *Et cùm venisset Capharnaum, accessèrunt, qui didrachma accipiebant* (id est, Collectores tributi Cæsari à Judæis pendendi) *ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non solvit didrachma? Ait: etiam.* Ex assertione Petri constat, etiam Christum solitum esse solvere tributum, pro consueto subjectionis signo pendendum. Si ergo Filius DEI, Rex Regum, & Dominus Dominantium, homini gentili, & inimico DEI externa tributi pensione se submittere voluit, quo tamen in omnibus superior erat; quantò magìs nos nostris Majoribus, etiamsi, excepto officio, in reliquis omnibus illos superare videamur, debitæ Obedientiæ, Observantiæ, Timoris, & Amoris tributum pendere debemus? unde S. Petrus Epist. 1. c. 2. v. 13. Fideles adhortatur: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEUM: sive Regi, quasi præcellenti: sive Ducibus, tanquam ab eo missis &c. Subditi estote in omni timore Dominis, non tantùm bonis, & modestis, sed etiam dyscolis.* Imò etiam illis, quibus subditi non sumus, submissionis signa exhibenda sunt, hortante Paulo, Rom. 12. v. 10. *Charitate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes.* Disce quoque à Christo, nolle eximi à communibus oneribus, nullóque exemptionis, vel singularitatis privilegio uti.

PUNCT. II. *Et cùm intràsset in domum, prævenit eum JESUS, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à qui-*

à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an a alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi JESUS: Ergo liberi sunt filij. Ex quo inferendum Christus Petro reluquebat, multò magis se liberum esse, tanquam multò minùs serviliter subjectum, quàm sint filij; & tu quam Filium ejus, à quo omnis Potestas in homines derivatur. *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle & aperto ore ejus invenies staterem: illum sumens, da pro me, & te.* Sic, præsertim in Religiosa Communitate, exactæ Observantiæ omnium Regularum, & Ordinationum, quamvis non obligantium sub peccato, exemplum præstandum est, & omne transgressionis, etiam falsò tantùm apparentis, scandalum vitandum, idque vel maximè ab ipsis Superioribus; quos proinde ut caveret Christus, mox primi piscis capturâ, & insigni Miraculo id impedire voluit.

Punct. III. Considera, quemadmodum Christus pro Petro Cæsari solvit tributum, ita eundem Cælestem Patri pro nobis solvisse pretium debitæ Satisfactionis pro nostris peccatis. Perpende itaque, quantò hoc sit Beneficium & Pretium majus illo; & quid pro eo rependere debeas. Stude etiam Deo non tantùm pro te, sed etiam pro Proximo tributum debitæ Gratitudinis pro Beneficijs, ac debitæ Satisfactionis pro peccatis persolvere. Cogita insuper piscationem illam materialem S. Petri, symbolum & figuram esse Piscationis Spiritualis, quâ Piscatores hominum cum S. Petro effecti in Piscibus suis Spiritualibus invenium Staterem, quem Deo pro suorum & alienorum peccatorum Satisfactione persolvant. Sic enim scribit S. Jacobus in Epist. c. 5. v. 20. *Qui converti fecerit peccatorem*

catorem ab errore viæ suæ, salvabit Animam ejus à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Sic etiam Animæ, ex Stagno ignis ardentis extractæ, in ore suo Staterem continent, quem Oratione sua, & Patrocinio apud DEVM exhibent.

MEDITATIO CCCXXI.

Discipuli de Primatu contendunt.

Matth. 18. v. 1. Marc. 9. v. 32. Luc. 9. v. 46.

PUNCTUM I. *Intravit autem cogitatio in eos, quis eorum major esset. At JESUS videns cogitationes illorum &c.* Luc. 9. v. 46. *Cùm domi essent, interrogavit eos: quid in via tractabatis? At illi tacebant. Siquidem in via inter se disputaverant, quis eorum major esset.* Marc. 9. v. 32. Ter Discipuli de Primatu contendisse leguntur: primò locis citatis; tum apud Matthæum c. 20. v. 20. denique apud Lucam c. 22. v. 24. Unde patet, quomodo etiam viri Perfectionis studiosi sibi cavere, & frequenter pugnare debeant contra superbiam, & eminendi appetitum. Inprimis ergo cùm quasi à longè irrepere tentat cogitatio eminendi super alios, mox occludendus est aditus; qui si concessus illi aliquando sit, mox æmulationem, dissensionem, & contentionem parit. Itaque post hæc sic denuo expellenda est. Injiciendus primò est pudor de ipsa superbia; quemadmodum Christus Discipulis iniecit, dum ostendit ipsis, se cogitationes eorum vidisse, & contentionem audivisse, & de hac ipsa tamen quæsivit, non quasi ignorans, sed quasi turpitudinem exprobrans. Unde mox puduit Discipulos, nec ausi sunt respondere; nam

nam etiam superbi agnoscunt turpitudinem superbiæ, pudétque ipsos, se tales videri: quia verò Divinos oculos evitare non possunt, ideo saltem coram Deo confundantur, & suîmet ipsos pudeat.

Punct. II. *In illa hora accesserunt Discipuli ad JESVM* (utpote quos teste Marco *residens vocavit*) *dicentes: Quis putas, major est in Regno Cælorum?* Quia puduit Discipulos ad interrogationem Christi respondere, idcirco transferunt quæstionem. Ex hac tamen optimus Magister occasionem sumit, alio medio cogitationem ambitiosam è cordibus Discipulorum ejiciendi. Respondet enim apud Marc. c. 9. v. 34. *Si quis vult primus esse: erit* (sive studeat esse) *Omnium novissimus & minister.* Itaque in contrarium nitendum est, & appetitus excellentiæ appetitu & studio Abjectionis ac Humiliationis vincendus. Ut verò hujus difficultatem mitigaret Christus, exemplo parvuli, comminatione periculi ac damni, promissione Præmij faciliorem ac amabiliorem reddit: *Et advocans JESVS parvulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. Quicunque ergo humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic est major in Regno Cælorum.* Matth. 18. v. 2. Intuere itaque exemplum parvulorum, tam qui ætate, quàm qui per Virtutem & Humilitatem parvuli sunt. Perpende commi-nationem; quia superbi sinuntur labi in gravia peccata, quæ damnationem inducunt. Observa Præmij promissionem, quia Humilitati commensurantur Auxilia Gratiarum ad cæteras Virtutes; his verò commensuratur magnitudo Gloriæ in Regno Cælorum.

Punct. III. *Et ait illis: Quicunque susceperit pa-*

rum istum in Nomine meo, me recipit: & quicunque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam qui minor est inter vos omnes, hic major est. Luc. 9. v. 48. Ecce novum incitamentum ad Humilitatem, & ad appetitum contemptûs: nempe summum Christi, ac Patris Cælestis Beneplacitum, ac Amor erga hominem per veram Humilitatem parvulum; qui propterea tantò major apparet in oculis Dei, quantò minor est in oculis suis. Ideo quidquid tali fit, id Christus sibi æstimat factum; quidquid autem Christus sibi æstimat factum, id etiam sibi æstimat factum Cælestis Pater. Non ergo tibi sit satìs, quòd executus sis illud S. Pauli monitum: *Malitia parvuli estote* 1. Cor. 14. v. 20. si scilicet te humiliter subjecisti Deo, sub gravi peccato præcipienti, qui omnium infimus Humilitatis gradus est: aut si tantùm te subjecisti Deo, sub veniali solùm præcipienti, qui paulò altior gradus est; ita tamen uterque necessarius, ut meritò Christus dixerit: *Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum*: donec scilicet conversi, Pœnitentiam & Satisfactionem humili ac contrito corde præstiteritis. Sed insuper necesse est, ut, sicut parvuli agnoscunt se parvulos esse, & tales etiam haberi volunt; ideóque sibi minima vestimenta dari, aliáque ejusmodi staturæ suæ accommodata tribui volunt: ita juxta Christi Doctrinam: *Si quis vult Primus esse, erit omnium Novissimus, & Minister*: id est, minimus ac novissimus haberi, minima officia ac ministeria sibi committi, & minima sibi dari cupiat. Cùm enim Christus ipse factus sit *Novissimus virorum*, teste Isa. c. 53. v. 3. *Et Abjectio plebis* Ps. 21. v. 7. Si tu vis minimo major esse, vis esse major Christo. Ne ita-

que servus sit major Domino, & discipulus sit supra Magistrum, ita tecum statue: Quia tertius est modus Humilitatis absolutissimæ, decet, ut priores duos jam adeptus, etiamsi nullo superaddito Laus Dei par foret, ad majorem tamen Imitationem Christi eligam potiùs cum eo Paupere, Spreto, & Illuso, Pauperiem, Contemptum, & Insipientiæ titulum amplecti, quàm opes, honores, & Sapientiæ æstimationem. Ita S. Ignatius, ut refertur in Libello Exercitiorum, secum statuit. Et hoc modo Christus inter Discipulos sustulit disputationem, qua contendebant, *Quis eorum major esset*: nempe ut per appetitum Contrarij, qui vult Primus esse, sit omnium novissimus, & Minister.

MEDITATIO CCCXXII.

Signa facientes in Christi Nomine non prohibendi.

Marc. 9. v. 37. Luc. 9. v. 49.

PUNCTUM I. *Respondit ei Joannes, dicens: Magister vidimus quendam, in Nomine tuo ejicientem dæmonia, qui non sequitur nos* (id est, te nobiscum, unde Lucas dicit: *Qui non sequitur nobiscum*) *& prohibuimus eum. JESUS autem ait: Nolite prohibere eum.* Ex eo, quòd Christus parvulum ætate & Humilitate benevolè suscipi voluerit, Joannes occasionem sumpsit, interrogandi & reponendi, an pariter recipiendus sit is, vel an non potiùs rectè ab eis factum sit, quòd ipsi Discipuli non admiserint ad Prædicationem Evangelij, & dæmoniorum ejectionem, eum, qui à Christo non erat cum

cum illis ad hoc Officium vocatus, eò quòd talis videatur derogare Auctoritati Christi : cùm ejus injussu, & ab eo non missus prædicet, & dæmonia ejiciat. Laudandus & imitandus est S. Joannes, quòd etiam ad operationem, apparenter bonam, Magistri sui judicium ac directionem requisierit: nam sub specie boni, ut modò Joanni contigit, sæpe decipimur, & putamus, nos bene agere, quando non bene agimus. Itaque etiam in bonis nostris actionibus (saltem quas non certò constat bonas esse, sive quoad substantiam, sive circumstantiam) Patrum Spiritualium, & Superiorum Consilium & Ductum requiramus: & velut parvuli, non discernentes bonum, & malum, dirigi à Sapientioribus velimus; & sic cum S. Joanne, qui Consilium Christi requisivit, & ex præcedenti Adhortatione Christi ad Humilitatem profecit, studeamus effici, sicut parvuli.

Punct. II. Considera, S. Joannem ex occasione commendatæ à Christo Humilitatis incepisse dubitare, an non contra Humilitatem peccaverint, prohibendo alterum à Dæmonum ejectione, Christi Nomine facta. Nam sub prætextu Zeli pro Christi Gloria irrepsit intentio propriæ gloriæ, ne ipsi Christum sequentes minùs æstimarentur, & à populo frequentarentur, ac invocarentur, si etiam alius eadem Potestate in dæmones uteretur. Examina ergo semper tuas intentiones, an non cum Intentione Gloriæ Divinæ irrepat propriæ gloriæ, aut commodi intentio, & ab hac stude illam puram ac liberam reddere.

Punct. III. Aliâ adhuc superbiâ laborabant Discipuli Christi : qui, quamvis alius idem faceret, quod ipsi, tamen minoris æstimabant, & contemne-

bant ipsius actionem, quia non idem vitæ institutum sequebatur. Similis superbiæ te reum facis, si aliorum Sæcularium, aut Religiosorum Doctrinam, & actiones contemnas, minoris æstimes, æmuleris, vel impedias per invidiam: si verò unicè DEI Gloriam quæras, gaudebis & laudabis, quando etiam alij DEI Gloriam procurant.

MEDITATIO CCCXXIII.

Prosecutio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Nemo est enim, qui faciat virtutem in Nomine meo, & possit citò malè loqui de me.* Marc. 9. v. 38. Hæc est prima ratio, quare Discipuli non prohibeant eijcientem dæmonia in Nomine Christi: quia de tali non præsumendum est, quòd Christi Gloriæ aliquis sit detracturus, vel non perseveraturus in Christi Prædicatione. Vis & tu signum aliquod habere Perseverantiæ in Divino Servitio? exerce te continuò in Virtutibus in Nomine Christi, sive ex sincera Intentione solius Gloriæ Christi. Et cùm nemo repente fiat pessimus, & malè de DEO sentiat, loquatur, vel agat; invigila tibi, ne paulatim deficias; vel si defecisti, metu ulterioris defectionis ad Virtutum studium de novo te excita.

PUNCT. II. *Qui non est adversum vos, pro vobis est.* Marc. 9. v. 39. Altera hæc ratio est. Quia, qui, sicut vos, in Nomine meo dæmonia eijcit, & idem prædicat, ille pro vobis operatur, & vestram Intentionem Gloriæ meæ propagandæ promovet: ideo non tantùm non prohibendus est, sed fovendus, & amandus

Accen-

Accende similiter in te Amorem erga alios Religiosos, qui etiamsi non sequantur tuum institutum, tamen eadem est illorum Intentio, idem Studium Cultûs & Gloriæ Divinæ. Imò hæc sit principalis ratio amandi omnes Servos Dei, quia eundem Devm colunt. Hoc sit etiam tuum argumentum de omnibus bene sentiendi, ut, si non videas aliquem adversùs Devm agentem, illum pro Deo agere, & tibi in ejusdem Cultu consentire præsumas.

Punct. III. *Quisquis enim potum dederit vobis, calicem aquæ in Nomine meo, quia Christi estis: Amen dico vobis, non perdet Mercedem suam.* Marc. 9. v. 40 Hæc tertia ratio, non prohibendi pellentem dæmonia in Nomine Christi desumpta est per argumentationem à minori ad majus: quia, si non prohibendus, sed præmio dignus est, qui vobis aut alteri homini præstat beneficium corporale, quantumvìs leve, in Nomine Christi; multò magìs, qui præstat Beneficium Spirituale, pellendo dæmonem inimicum Animæ, & ejus ejectione Salutem Animæ procurando. Hoc argumento inducaris, ut nullum Opus bonum, quamvìs leve, negligas, utpote dignum Mercede æterna: útque observes modum, quo opus in se leve, reddatur dignum Cælestî Præmio, faciendo nimirum illud in Nomine Christi, & ex pura Intentione, non ut ipse nomen & æstimationem acquiras. Eodem argumento à minori ad majus utere ad Beneficia Spiritualia Proximo conferenda.

)(o)(

MEDITATIO CCCXXIV.

De Scandalo nemini dando.

Matth. 18. v. 6. Marc. 9. v. 41.

PUNCTUM I. *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. v. 6. Sicut Christus antè promiserat susceptionem parvuli præmiandam, velut sibi & Patri suo Cælesti factam; ita per oppositum minatus est, scandalum parvulo datum puniendum, non morte tantùm temporali submersionis in aqua, quæ longè levior esset; sed æternâ, quæ tacitè hîc opponitur temporali. Ratio autem tanti supplicij est, tum magnitudo Amoris erga eum, qui scandalizatur; tum gravitas damni, quod per scandalum infertur. Ex hac comminatione ergo perpende, quanto præmio digna sit parvulorum in Doctrina Christiana, literis, & bonis moribus instructio, verbo & exemplo præstita. Verè enim talis, *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno Cælorum.* Quia autem DEVS non tantùm ætate parvulos, sed omnes homines diligit, ideo eadem est ratio boni & mali exempli ad præmium vel supplicium gravissimum promerendum. Itaque *luceat Lux vestra omnibus, qui in domo sunt, ut videant Opera vestra Bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Matth. 5. v. 16.

PUNCT. II. *Væ mundo à scandalis. Necesse est enim, ut veniant scandala.* v. 7. Agnosce inprimis Beneficium eorum, qui à DEO ex mundo hoc, periculis & variis scanda-

scandalis pleno, ad Statum Religiosum vocati sunt, ubi Sodales præclaris Virtutum exemplis ad Perfectionem se mutuò impellunt. Deinde si necesse est, ut veniant scandala, & si neque Status Religiosus penitus immunis est, te ipsum firmo proposito contra ea præmuni, & dic (cum vera tamen Humilitate) *Si omnes scandalizati fuerint: sed non ego.* Marc. 14. v. 29. Firmissimum etiam contra scandala præsidium tibi sint Exempla Christi & Sanctorum, perfectorúmque hominum: utique enim malis exemplis prævalebunt bona, præsertim Christi, optimi Magistri & Ducis, qui est Via, Veritas, & Vita.

Punct. III. *Veruntamen væ homini, per quem scandalum venit.* v. 7. Etiamsi enim necesse sit, ut veniant scandala, de nullo tamen homine necesse est, ut per illum veniant. Ne ergo tu sis homo ille: præsertim quia ratione Vocationis tuæ obligaris, non solùm Saluti & Perfectioni propriæ Animæ cum Divina Gratia vacare, sed cum eadem impensè in Salutem & Perfectionem Proximorum incumbere. Considera etiam officium tuum, quo erga Proximum fungeris: considera vinculum Charitatis, quo ad bona exempla Fratribus danda obligaris. Noli ergo esse Satanas in Religione. Noli perdere Animam pretioso Christi Sanguine emptam. Vide, quanta pæna te maneret, si per te scandalum veniret.

MEDITATIO CCCXXV.

Propriæ Manûs, Pedis, Oculi Scandala resecanda. Marc. 9. v. 42.

PUNCTUM I. *Et si scandalizaverit te manus tua, abscide illam: bonum est tibi, debilem intrare in Vitam, quam duas manus habentem ire in Gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Marc. 9. v. 42. Idem de pede altero amputando, & de oculo eruendo sub ejusdem pœnæ, ijsdem verbis ter repetitæ, comminatione ibidem dicitur. Sensus autem horum verborum est, quòd aliquis potiùs deberet velle carere alterutro horum membrorum, quàm ex incauto illius usu, peccandi occasionem sumere. Et quòd homo per diligentem custodiam sensuum istorum, atque per hoc, quod ijs ad bonum tantùm & non ad malum utatur, moraliter ijsdem privare se debeat, ut sic tantùm unum oculum, manum, pedem censeatur habere. Observa autem, quàm necessaria sit hæc Spiritualis membrorum amputatio, cùm ijs, qui illam intermittunt, tam gravis pœnæ periculum intentetur. Tanta nimirum est illius necessitas, ut si ea omittatur, infallibile sequatur periculũ certi lapsûs in peccatũ mortale, quod per neglectam externorum sensuum custodiã incurritur. Hanc adhibe, & noxium Membrum amputâsti; ac Gehennæ certum periculum evasisti.

PUNCT. II. Per prædicta membra Corporis adverte designari etiam quædam quasi membra Animæ. Intellectus enim & Phantasia per oculum; affectiones &

& inclinationes voluntatis per pedem; actiones potentiarum, Voluntatis imperium exequentium, per manum designantur. Hæc omnia continuæ Mortificationis cultro putanda sunt. Intellectus inhibendus à judicijs temerarijs, subijciendus veritatibus Fidei, directioni Superiorum, & Ducum Spiritualium. Voluntas Divinis, & Superiorum placitis conformanda. Potentiæ cæteræ ab omni actione illicita, vel periculosa inhibendæ.

Punct. III. Considera, vermem non morientem esse continuam & perpetuam tristitiam de amissis Bonis, & Felicitate æterna; nomine ignis inextinguibilis comprehendi omnem pænam sensûs, eámque esse æternam. Hanc duplicem pænam damni & sensûs compara cum quacunque delectatione scandalum præbentis membri, ut veritas verborum Christi pateat; maximè verò ex eo, quòd delectatio sit momentanea, pæna verò æterna, eò quòd ignis Inferni non habeat vim corrumpendi, sed quasi conservandi, sicut sal vulneribus insparsus simul cruciat, & à putredine servat; éstque proinde ignis instar salis, quo damnati velut victimæ Divinæ Justitiæ asperguntur: quemadmodum Levit. 2. v. 13. victimæ sale aspergi jubentur. Quam similitudinem Christus l. c. subjunctis verbis expressit apud Marcum: *Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.* v. 48.

MEDITATIO CCCXXVI.

Mundus Sale Sapientiæ, Doctrinæ, ac Sanctitatis condiendus.

Marc. 9. v. 48.

PUNCTUM I. *Bonum est Sal.* Marc. 9. v. 48. Occasione Salis naturalis, Victimis aspergendi, Christus sermonem transfert ad Salem moraliter acceptum, atque Discipulos post contentionem de primatu ad talem perfectionem Virtutis, & Cælestis Sapientiæ adhortatur, quâ etiam alios perficere & condire possint. Considera itaque multiplicem utilitatem Salis, præsertim quòd aspersâ acrimoniâ cibos condiat, ac sapidos reddat: deinde quòd à putredine servet carnem. Applica mox similitudinem, quòd nempe Apostoli, & eorum in Vita Christiana sectatores, acrimoniâ sive perfectione Virtutis & Cælestis Sapientiæ, etiam alios perficere & Cælestia sapere, exemplo suo docere debeant, atque à putredine peccati servare incorruptos.

PUNCT. II. *Quòd si Sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis Sal.* Marc. l. c. Nempe si Vos, qui alijs exempla Virtutum præbere debetis, imperfecti ac tepidi, & sine acrimonia Virtutum sitis, quomodo alios in Virtutibus Humilitatis, Charitatis, Mansuetudinis &c. perficietis? quomodo persuadebitis alijs Humilitatem, si primatum ambiatis? quomodo Charitatem, Mansuetudinem, Pacem; si per æmulationem contenditis &c? Itaque *habete in vobis Sal*, scilicet internas Virtutes in gradu perfecto, ut etiam exte-

exteriùs earundem exempla Proximis præbere, eósque ad illarum imitationem excitare possitis.

Punct. III. *Et Pacem habete inter vos.* Ibid. Non enim sufficit per Virtutes internas rectè quempiam se habere ad seipsum, nisi in communitate degens, per Concordiam & Pacem rectè etiam se habeat ad Fratres & Sodales suos: unde ab omni æmulatione, contentione, dissensione, infestatione abstinendum. Quemadmodum S. Paulus Romanos in Epistola. c. 12. adhortatur: *Charitate Fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes &c. Idipsum invicem sentientes. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus Pacem habentes: non vos ipsos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ.*

MEDITATIO CCCXXVII.

Nemo, etsi humilis & abjectus, despiciendus. Matth. 18. v. 10.

Punctum I. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.* Postquam Christus parvulos propter Humilitatem suam imitandos, & cum Charitate suscipiendos; nullúmque illis scandalum præbendum docuerat, monuit etiam Discipulos, ne ullum talem contemnerent quacunque ratione, sed Salutis illorum curam æquè libenter susciperent, quàm aliorum, qui in hoc mundo magni, nobiles, divites, sapientes, potentes &c. videntur: imò hos illis sive ætate, sive propria de se, ac aliorum de illis æstimatione, parvulis quodammodo postponendos: id quod Christus Patris

su

sui Cælestis, & proprio Exemplo videtur docuisse, dum Luc. 10. v. 21. inquit: *Confitear tibi Pater, Domine Cæli & Terræ, quòd abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelâsti ea parvulis.* Et Matth. 19. v. 14. *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire; talium enim Regnum Cælorum.* Neque verò eos tantùm Christus hîc intellexit, quos ex corporis humilitate parvos & pusillos dicimus, sed illos maximè, qui ob humilis & abjecti statûs conditionem in oculis hominum parvi esse consueverunt: hos enim quantum præ reliquis Christus curaverit, patet ex delectu pauperum, ac humilium Discipulorum, & Auditorum, quorum electionem inter mirabilia sua numeravit Matth. 11. v. 5. *Cæci vident, claudi ambulant &c. pauperes evangelizantur.* Ne ergo contemnas unum ex his pusillis; sed humilibus, & coram mundo contemptibilibus operam tuam libenter impendas, instruendo in Catechesi, docendo in scholis, concionando in cathedris ignobilioribus, invisendo in hospitalibus, vel domibus vilioribus, juvando privatis colloquijs, aures dando in Confessionalibus &c. Quòd si ista officij tui non sint, stude saltem, ut ipse per Humilitatem & contemptum tuî ipsius inter parvulos numereris, quandoquidem à DEO tanti fiunt, ut eos contemni prohibeat, & alijs præferat; ut perpendit S. Paulus 1. Cor. 1. v. 26. scribens: *Videte enim Vocationem vestram Fratres, quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEVS, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit DEVS, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEVS, & ea, quæ non sunt; ut ea, quæ sunt, destrueret. &c.* Hæc & tu elige, & gaude, vel opta inter ea eligi.

PUNCT.

PUNCT. II. *Dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cælis semper vident Faciem Patris mei, qui in Cælis est.* Matth. 18. v. 10. Hanc rationem reddit Christus, cur nemo, quantumvìs pusillus, humilis ac vilis sit contemnendus: quia Cæleſtes Principes, qui cum Rege Angelorum regnant in Cælo, & ante Faciem ejus adſtant, non contemnunt illos, nec dedignantur eorum curam, ac miniſteria: quia amant illos, velut Conſervos, & Clientes ſuos, ac præſtita his obſequia velut ſibi facta æſtimant, & patrocinijs ſuis remunerantur tanquam potentes, & chari Amici DEI, quem vident, & in quo vident omnia, quæcunque Clientibus ſuis bene vel malè fiunt.

PUNCT. III. *Venit enim Filius hominis ſalvare, quod periêrat.* Ibid. Hanc alteram rationem adducit Chriſtus, cur minimus non ſit contemnendus: quia ipſe æqualiter pro omnibus mortuus eſt, & omnes vult Salvos fieri; adeóque Exemplum Chriſti, & Pretium pro omnibus expenſum Infiniti Valoris facere debet, & movere, ut nemo contemnatur; ſed æqualiter omnes æſtimentur, diligantur, & adjuventur.

MEDITATIO CCCXXVIII.

De Ove perdita.

Matth. 18. v. 12.

PUNCTUM I. *Quid vobis videtur? Si fuerint alicui centum oves, & erraverit una ex eis: nonne relinquit nonaginta novem in montibus, & vadit quærere eam, quæ erravit?* Confirmat Chriſtus hac ſimilitudine verba proximè præcedentia, nimirum; *Venit Filius hominis*

ſalvare,

salvare, quod perierat. Et, *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.* Docet autem, quòd is, cui pascendæ, vel regendæ commissæ sunt Oves Christi, tantam unius cujusque seorsim, támque diligentem curam gerere debeat, quantam adhibet pro omnibus simul, adeóque pro singulis summam: quòd si autem tanta est adhibenda ab eo, qui non solùm unicam, sed centum oves habet; quid faciendum est illi, qui tantùm unam habet, adeóque quid faciendum pro propria Anima? Quàm citò, & quàm diligenter quærenda est per Pœnitentiam, Satisfactionem, Emendationem, si erravit?

Punct. II. *Et si contigerit, ut inveniat eam; amen dico vobis, quia gaudet super eam magis, quàm super nonaginta novem, quæ non erraverunt.* v. 13. Duplex autem pro persuadenda prædicta diligentia hîc considerandum est gaudium; nempe gaudium de emendatione proprij erroris, & gaudium de conversione peccatoris. Utrumque gaudium considerandum est secundùm statum vitæ præsentis, & secundùm statum vitæ venturæ, ubi erit maximum & æternum, tum de ove inventa, tum de ipsa inventione gaudium.

Punct. III. *Sic non est Voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cælis est, ut pereat unus de pusillis istis.* v. 14. Sic, nempe propter talem Voluntatem, quâ vult singulis adhiberi summam curam, & propter Gaudium ac Complacentiam, quam habet de Conversione cujuscunque hominis magis arduâ, quàm sit Perseverantia in bono, non vult Deus, ut pereat; sed vult, ne pereat unus de pusillis. Hæc ergo Voluntas, hoc Gaudium, hoc Beneplacitum Divinum te impellat ad summam curam propriæ, & alienæ Salutis, atque

ad vitæ

ad vitæ emendationem, ut reparetur Cæleſtis Patris diſplicentia de commiſſa offenſa Divina. Hinc etiam creſcat Fiducia Auxilij Divini, à DEO Paterna ac promptiſſima Voluntate conferendi, qui ſic unumquemque curat, ac ſi ſolum curet; & Filium ſuum Unigenitum dedit, ut relictis nonaginta novem Ovibus in Montibus, id eſt, longè majori numero Angelorum in Cælo, quæreret Ovem, quæ erravit, ſcilicet Genus Humanum, quod errore peccati ex Cæleſtibus ac Paradiſi paſcuis abductum eſt.

MEDITATIO CCCXXIX.

De Correctione Fraterna.

Matth. 18.

PUNCTUM I. *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es Fratrem tuum.* Matth. 18. v. 15. Doctrinæ de non præbendo ſcandalo annectit Chriſtus Correctionem Fraternam, tanquam actum Charitatis, ſcandalo ad peccatum inducenti quodammodo contrarium: modum verò corrigendi iſtum præſcribit. Ut, etiamſi aliquis in te, id eſt, adversùm te peccaverit, ac te offenderit, ipſi non mox offenſam exprobres publicè, eúmque confundas, non cum illo contendas, non calumnieris, non vindictam ſumas, non rancorem in animo geras, nec offenſam tacitè animo foveas: ſed pacatè & amanter culpæ gravitatem, & juſti doloris rationem, cum veniæ paratæ ſignificatione ſine dolo & ira exponas. Talis enim meliùs agit, quàm qui tegit altum mente dolorem.

Quòd

Quòd si autem illi, qui te offendit, hæc Fraterna Correctio & mansueta Charitas exhibenda est; quanto magis alteri, qui non in te, sed coram te, & in conspectu tuo peccatum, absque tua offensione admisit? Præmium hujus Fraternæ Correctionis ingens est, si lucreris Animam infinito Pretio à Christo Sapientissimo rerum æstimatore emptam, & si animum Fratris tui per lucrum stabili amicitia tibi adjungas.

Punct. II. *Si autem te non audiérit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum.* v. 16. Alterum hoc est in Correctione Fraterna observandum, ut, etiamsi alterius delictum ad alios sit referendum, tamen non referatur ad plures, quàm necesse sit, ne diffametur: referatur autem ad illos, qui vel ratione suæ prudentiæ, vel amicitiæ, vel quacunque alia ratione juvare possunt, ne media efficaciora, & suaviora negligantur.

Punct. III. *Quòd si non audiérit eos, dic Ecclesiæ* v. 17. Id est, illi, qui Ecclesiam repræsentat, nempe Rectori illius communitatis, cujus membrum est, qui peccavit. Cùm enim Deus hominibus in alios potestatem dederit, tum quoad Forum Conscientiæ, ut v. 18. dicitur: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo*: Tum quoad Forum externum; ideo Deo in ordine ad Correctionem Proximi cooperari debemus, ejúsque peccata in hunc finem manifestare Superiori: ipse vero manifestatus debet hanc Correctionem tam à manifestante, quàm à Superiore lubenti & grato animo recipere, tanquam à Deo præscriptam. Vide ergo an non sæpe ex respectu humano hoc medium Correctionis

rectionis Fraternæ neglexeris, vel iniquè ab alijs tibi præstitum tuleris. An etiam præscriptum ordinem servaveris tunc, quando ille erat adhibendus; quando nimirum spes erat, eum ad emendationem profuturum: nam sæpe hic ordo locum non habet, & magis expedit immediatè Superiori delictum Subditi manifestare; quod præsertim in Religiosis Familijs locum habet, ubi Subditi à Superioribus modo paterno reguntur, eorúmque directioni se penitus commiserunt, & ab illis magis, quàm ab æqualibus corrigi malunt.

MEDITATIO CCCXXX.

Continuatio eiusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Si autem Ecclesiam non audiêrit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Matth. 18. v. 17. Ecce quam graviter Christus aversetur, & veluti noxios, vitandos denunciet eos, qui Superioribus non obediunt, atque eorum Correctionem ac Disciplinam recusant, & proinde periculo se exponunt, ut veluti membrum noxium ac incurabile separentur, abscindantur, & ab Ecclesia, sive Communitate aliqua Religiosa eijciantur. Tu itaque audi Disciplinam Patris tui; illos verò, qui eidem aures suas occludunt, velut noxios devita, & ab eorum imitatione, velut à superstitione ac errore Gentilium, & velut à Publicanorum rapinis ac fraudibus abhorresce.

PUNCT. II. *Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petiêrint, fiet illis à Patre meo, qui in Cælis est.* v. 19. Tanta vis est

consensionis ac dissensionis; quia enim, quidquid Proximo à nobis fit, id Christo fit; & quidquid Christo fit, id Patri Cælesti fit, ideo consensio vel dissensio cum Proximo, est consensio vel dissensio cum Patre, qui proinde consentit, vel dissentit petitioni nostræ prout nos cum ipso consenserimus, vel dissenserimus ab illo.

PUNCT. III. *Vbi enim sunt duo vel tres congregati in Nomine meo, ibi sum in medio eorum.* v. 20. Tam liberalis & certæ promissionis factæ illis, qui in Nomine Christi, id est, propter Christum, & Amore Christi congregati, & animis conjuncti sunt, fidelissimè implendæ, ratio est Assistentia, Conjunctio, & Cooperatio ipsius Christi; ille enim orantibus se jungit, & cum ipsis, ac pro ipsis orat Patrem suum, qui in Cælis est. Pater autem nihil potest negare Filio. Nunquam ergo ulla dissensione, vel aversione à Fratre Conjunctionem hanc dissolvas. Perpende etiam felicitatem eorum, qui propter Christum Mundum deseruerunt & sub ejus Vexillo in eandem Vitæ Societatem congregati sunt; qui simul Orationi, Meditationi, Conscientiæ discussioni vacant, Merita & Orationes communicant; inter quos proinde semper medius versatur Christus, & corda illorum ardentia reddit, haud aliter, quàm duorum Discipulorum in Emmaus euntium, qui eum ardorem experti, Luc. 24. v. 32. testantur his verbis: *Nónne Cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?*

MED

MEDITATIO CCCXXXI.

Offensæ, & injuriæ condonandæ.

Matth. 18. v. 21.

PUNCTUM I. *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me Frater meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dicit illi JESVS: Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Postquam audiverat Petrus Christum dicentem: *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum* (admonendo nimirum de errore & culpa, & veniam illi offerendo) interrogavit, quoties sic offensam peccanti in se Fratri dimittere deberet: an sufficeret septies? Christus autem septenarium numerum multis septenis vicibus multiplicans, indicare voluit, septenario numero sine fine multiplicato, semper dimittendum Fratri peccanti ac offendenti. Verùm tu prima statim vice in iram prorumpis, vindictam cogitas, aut sumis, & animum aversum diu geris. Vel saltem pauculis vicibus multiplicatâ offensâ irritari te sinis, & ferre diutiùs offensam recusas, ac implacabilis evadis.

PUNCT. II. *Ideo assimilatum est Regnum Cælorum* (DEVS nempe, sive Rex Cælorum; ponitur enim Regnum pro Rege) *homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cùm cæpisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta* (efficiunt tot Attica talenta sex milliones auri; Hebraica verò centum viginti milliones aureorum) *cùm autem non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus ejus venundari,*

& Vxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Procidens autem servus ille orabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. Hac Parabola proponit Christus Petro Exemplum misericordis DEI, cujus unica offensa, utpote Majestatis infinitæ, quamvis sit tantùm venialis, est debitum incomparabiliter majus quacunque multitudine offensarum unius hominis adversùs alium hominem; adeò, ut neque pro ullo peccato mortali, & secundùm valde probabilem sententiam Theologorum, neque pro ullo veniali, DEO ab homine de condigno & ad æqualitatem læsionis quantâcunque Pœnitentiâ satisfieri possit. Et tamen DEVS omnibus, ac singulis hominibus omnia peccata, quantumcunque sint gravia ac numerosa, toties dimittit, quoties peccator per Sacramentum Confessionis, vel per veram ac perfectam Contritionem veniam rogat. Imitare ergo DEVM, innumera peccata toties tibi condonantem, quorum singula graviora sunt omnibus offensis simul sumptis, quæ adversùm te committuntur.

PUNCT. III. *Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens: Redde, quod debes. Et procidens conservus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum.* Patientiam & veniam Proximus sive Conservus noster rogat, quotiescunque illatæ offensæ eum coram DEO pœnitet, vel si ipse non rogat, Christus pro eo rogat, dicens Matth. 5. v. 44. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calum-*

mniantibus

mniantibus vos: ut sitis Filij Patris vestri, qui in Cælis est: qui Solem suum oriri facit super bonos & malos. Noli ergo imitari hunc crudelem Conservum, ne homines, & Angeli ac Beati in Cælo, videntes tuam animi aversionem &c, imitentur Conservos illos, de quibus Christus in Parabola ait, illos ipsos homines, & Angelos designans: *Videntes autem Conservi ejus, quæ fiebant, contristati sunt valde: & venerunt, & narraverunt Domino suo omnia, quæ facta fuerant.* Alioquin DEVS imitabitur Regem illum, de quo pergit Parabola: *Tunc vocavit illum Dominus suus, & ait illi: Serve nequam: omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me: nónne ergo oportuit & te misereri Conservi tui: sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quoad usque redderet universum debitum. Sic & Pater meus Cælestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque Fratri suo de cordibus vestris.* Ipsa enim immisericordia, & implacabilis animi aversio, aut ira erit peccatum dignum æternâ pœnâ: vel etiam erit causa subtractionis Auxiliorum, sine quibus homo in similia peccata prioribus, & in impœnitentiam labi sinatur.

MEDITATIO CCCXXXII.

Christus è Galilæa Jerosolymam ad Festum Scenopegiæ discedit.

Joan. 7. v. 2.

PUNCTUM I. *Erat autem in proximo Dies Festus Judæorum Scenopegia* (id est, Festum Tabernaculorum, quo ex Præcepto Divino Levit. 23. per septem dies sub publicis tabernaculis habitantes celebrabant memoriam

moriam quadraginta annorum peregrinationis, & commorationis sub tabernaculis, ac Divinæ Protectionis) *Dixerunt autem ad eum fratres ejus* (nempe Consanguinei, ex Miraculis Christi cupientes inclarescere, quamvis nondum crederent, illum esse Christum; qua de causa etiam ita audacter cum illo loquebantur) *Transi hinc, & vade in Judæam, ut & Discipuli tui* (quos Jerosolymis habebat, & ibidem habiturus erat) *videant opera tua, quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse. Si hæc facis, manifesta teipsum Mundo.* Quod isti Consanguinei dixerunt Christo, hoc congenitus nobis appetitus honoris, & amor proprius dicere solet, ut ex Doctrina & Operibus nostris Bonis publica ostentatione vanam gloriam, laudem, & famam quæramus. Sed isti Consanguinei, & carnis, ac sanguinis cognati, consiliarij audiendi non sunt, quia tantùm habent sapientiam Mundi; ideo respondit eis Christus: *Non potest Mundus odisse vos: me autem odit, quia testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt.* v. 7. Christi autem Sapientia aliud suadet Matth. 6. v. 1. *Attendite, ne Justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in Cælis est.* Præterea ne pareas prædictis Consiliarijs, quando ad plausibiliores Cathedras, & officia quærenda tibi in animo dicunt: *Transi hinc, & vade.* Sed esto contentus loco & officio, quamdiu non venit tempus mutationis, à Superioribus imperatæ.

Punct. II. *Dixit ergo eis JESUS: Tempus meum nondum advenit, tempus autem vestrum semper est paratum. Non potest Mundus odisse vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera ejus mala sunt. Vos ascendite*

ascendite ad Diem Festum hunc, Ego autem non ascèndo ad Diem Festum istum. Quia Judæi jam cæperant insidiari, ac moliri necem Christo, mortis autem tempus à Cælesti Patre definitum primùm post sex menses à Festo Tabernaculorum, quod mense Septembri celebrabatur, futurum erat; ideo Christus ad evitandas insidias, quas ante Festum, vel initio primi diei sibi struendas noverat, noluit cum ascendentibus Consanguineis opportunitate temporis uti, partim ut omnia tempore convenienti, & à Patre constituto faceret, nósque illum in temporis & ordinis discreta observatione imitaremur: partim ut non vi repellendo, sed declinando, Mansuetudinis ac Charitatis exemplum præberet: partim ut à Consanguineorum ac mundanorum hominum familiari conversatione ac societate abstinendum doceret. Itaque his dixit: *Vos ascendite ad Diem Festum hunc: Ego autem non ascendo ad Diem Festum istum*, scilicet nunc, & vobiscum; sed exspectabat adhuc per tres dies, quibus interea in alias partes Galilææ pergebat: quapropter Joannes hîcversu 1. scripserat: *Post hæc autem ambulabat JESUS in Galilæam* (id est: per Galilæam: vel ut Græcè habetur: in Galilæa) *non enim volebat in Judæam ambulare; quia quærebant eum Judæi interficere.*

Punct. III. *Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Ut autem ascenderunt Fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad Diem Festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* v. 10. Sic aliqua Opera Bona pro nostro, vel Proximi majori bono præstat occultè fieri: ex. gr. Si Proximo scandalum, vel nobis periculum vanæ gloriæ, aut aliud damnum inde oriretur. Itaque in Operibus Bonis etiam ad circumstantias temporis, & modi attende.

Præterea observa, simili modo Christum ac Deum per Gratiam suam Sanctificantem, vel Auxiliantem, sæpe in Animam nostram non manifestè, sed quasi occulto venire; quia id melius sæpe est & utilius.

MEDITATIO CCCXXXIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Luc. 9. v. 51.

PUNCTUM. I. *Factum est autem, dum complerentur dies assumptionis ejus, & ipse faciem suam firmavit, ut iret in Jerusalem. Et misit nuncios ante conspectum suum: & euntes intraverunt in civitatem Samaritanorum, ut parare illi.* Describit hîc S. Lucas tempus, & ipsam profectionem in urbem Jerosolymam per Samariam, cujus profectionis etiam mentionem facit S. Matthæus c. 19. v. 1. & S. Marcus. c. 10. v. 32. Nempe cùm complerentur, & jam ad ultimos sex menses pervenissent dies Prædicationis Christi, post quos crucifigendus, & deinde in Cælum assumendus erat, obfirmavit animum, & vultu spiravit generositatem, quâ urbem Jerosolymam, tanquam locum imminentis Passionis suæ (ubi teste Joan. c. 7. v. 10. *Quærebant eum Judæi interficere*) cum Discipulis suis adibat, quámque etiam gressûs celeritate prodebat, ut Marcus indicat c. 10. v. 32. *Erant autem in via ascendentes Jerosolymam, & præcedebat illos JESUS, & stupebant, & sequentes timebant. Et assumens iterum Duodecim, cæpit illis dicere quæ essent ei eventura.* Sic quò magis vitæ fini appropinquamus, eò firmiori animi proposito, constantiâ, alacritate, Cælesti Jerusalem appropinquare, &

lios Virtutis ſtudio, ac adverſa patiendi deſiderio, præire & ſuperare debemus, atque ad hoc ipſum ſine remiſſione animi nos frequenter & conſtanter excitare, & faciem obfirmare, atque opere ipſo deſiderium noſtrum demonſtrare.

Punct. II. Conſidera, quoties & quales nuncios Deus tibi miſerit, volens per Gratias ſpeciales, & extraordinarias Animam tuam ſubire, & locum ſibi parari. Hujusmodi nuncij ſunt externæ admonitiones per homines, & per Libros, internæ Inſpirationes, Beneficia, adverſa, promiſſiones, comminationes &c. Quoties autem hujusmodi nuncijs repulſam dediſti, & Samaritanis acceſſiſti, de quibus ſcripſit Luc. 9. v. 53. *Et non receperunt eum, quia facies ejus erat euntis in Jeruſalem?* Samaritani quidem (utique non illi, qui ante duos annos in urbe Sichar Joan. 4. v. 40. *Rogaverunt eum, ut ibi maneret*) ideo Chriſtum non receperunt, quia videbant eum cum ſuis pergere Jeroſolymam Adorationis causâ; quod ægrè ferebant propter controverſiam cum Judæis, cujus olim deciſionem mulier Samaritana à Chriſto rogabat Joan. l. c. v. 20. dicens: *Patres noſtri in monte hoc adoraverunt, & vos dicitis: quia Jeroſolymis eſt locus, ubi adorare oportet.* Tu autem alias tuas cauſas examina, quare Deum toties ad te mittentem nuncios, non recipias: illas proinde remove.

Punct. III. *Cùm vidiſſent autem Diſcipuli ejus Jacobus & Joannes, dixerunt: Domine, vis: Dicimus, ut ignis deſcendat de Cælo, & conſumat illos? Et converſus increpavit illos, dicens: Neſcitis, cujus Spiritûs eſtis. Filius hominis non venit Animas perdere, ſed ſalvare. Et abiêrunt in aliud caſtellum.* Luc. 9. v. 54. An non & tu ſæpe contra

alios moveris Zelo Honoris Divini vindicandi, sed non secundùm Scientiam, & Discretionem? Sæpe enim volumus aliorum delicta graviter puniri, & illos severè haberi, & nostra volumus nobis indulgeri. Spiritus Christi non est Spiritus Eliæ, ignem è Cælo evocantis, sed est Spiritus Mansuetudinis. Nimius rigor perdit Animas; Clementia salvat. Disce à Christo, quia Mitis est. Disce repulsam patienter ferre. Disce cedere tibi adversantibus, quos vincere, aut cogere, aut de quibus vindictam sumere possis.

MEDITATIO CCCXXXIV.

Decem Viri Leprosi in itinere sanantur. Luc. 17. v. 11.

PUNCTUM I. *Et factum est, dum irent in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt à longè: & levaverunt vocem, dicentes: JESV Præceptor miserere nostrî.* Considera, quod lepra est corpori, id peccatum esse animo; nam per peccatum longè receditur à DEO, & DEVS longè recedit à peccatore, desinens inhabitare ejus animum per Gratiam (quâ DEVS, qui Charitas est, diffunditur in cordibus nostris) & assistere per auxilia Gratiæ actualis. Unde necesse est levare vocem, & ex Corde perfectè Contrito cum magno Devotionis conatu clamare: *JESV Præceptor miserere.* Imò & peccata venialia Animæ lepra sunt; quemadmodum enim hæc, sic non

omnis

omnis lepra corpori fatalis est. Sicut ergo fugimus lepram, & homines leprosos, sic fugias peccata, & homines, ad peccandum inducentes; & cave, ne in alios malo tuo exemplo hanc peccati lepram transfundas, aut contagioso oris halitu illis affles per loquelam: sed DEI Præsentiâ, & pio, ac Religioso hominum Cætu te indignum æstimans, ac velut à longè stans, Veniam & Misericordiam DEI Præceptoris tui inclama; quia Cor Contritum & Humiliatum non despiciet.

PUNCT. II. *Quos ut vidit, dixit: ite, ostendite vos Sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt.* V. 14. Sic promptus, & paratus est DEVS mundare à lepra Animæ, sed per media præscripta. Sicut enim Levit. 14. corporis leprâ infecti ad Sacerdotes accedere jubebantur, ut mundi aliunde effecti, hominum consortio ab ipsis restituerentur, & mundi declararentur; ita leprâ Animæ infecti, Sacerdotibus se per Confessionem peccatorum ostendere debent, ut ab ipsis non tantùm mundi declarentur, sed etiam efficiantur: quamvis, si perfectam priùs Contritionem elicuerint, & ipsi, dum eunt, ac propositum adeundi habent, mundentur. Magni ergo æstimes, & ingenti fructu usurpes hoc lepræ remedium, toties tibi necessarium. Confessario, & Patri Spirituali Conscientiam tuam candidè ostendas, tentationes, vitiosos habitus, pravas inclinationes manifestes, ut perfectè à lepra saneris, nec in eam recidas, aut vestigia retineas.

PUNCT. III. *Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans DEVM; & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens:*

&

& hic erat Samaritanus. Respondens autem JESUS dixit: Nónne decem mundati sunt, & novem ubi sunt? Non est inventus, qui rediret, & daret Gloriam DEO, nisi hic alienigena? v. 15. Sic sæpe, qui Beneficijs Divinis priùs maximè erant indigni, deinde agnita sua indignitate, a Beneficientiâ Divinâ maximè fiunt grati; revertuntur ad DEUM per emendationem, cadunt in faciem per Humilitatem prostrati ad pedes. Ab his, & a Samaritano disce Gratitudinem pro frequenti emundatione à lepra Animæ, ac pro innumeris alijs Beneficijs: agnosce & detestare tuam ingratitudinem. A Christo verò disce patienter ferre hominum ingratitudinem pro beneficijs à te collatis, nec propterea intermitte illis benefacere.

MEDITATIO CCCXXXV.

Christus in Templo Maledictis carpitur à Judæis. Joan. 7. v. 11.

PUNCTUM I. *Judæi ergo quærebant eum in Die Festo, & dicebant: Ubi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo.* Joan. 7. v. 11. Quærebant autem eum, non ut audirent illius Doctrinam, sed ut interficerent: unde cùm postea in Templo apparuisset, dicebant quidam ex Jerosolymis: *Nónne hic est, quem quærunt interficere?* v. 25. Sic multi Christiani quærunt JESUM *Die Festo*, scilicet, ut eum graviùs peccando interficiant, sibimetipsis crucifigentes Filium DEI. Itaque tu ex opposito diligentiùs quære JESUM Diebus Festis, majori Devotione eos peragendo, & reparando injurias ab alijs inferri solitas. Et singulis Festis cura, ut renovetur,

vetur, resurgat, & vivat in te Christus. Quemadmodum hortatur nos pius Thomas Kemp. lib. 1. c. 19. Circa principalia Festa renovanda sunt bona Exercitia, & Sanctorum Suffragia ferventiùs imploranda. De Festo in Festum proponere debemus, quasi tunc de hoc sæculo migraturi, & ad æternum Festum perventuri. Ideóque solicitè nos præparare debemus in devotis temporibus, & devotiùs conversari, atque omnem Observantiam strictiùs custodire.

Punct. II. *Quidam enim dicebant: quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo* (illum palàm laudando) *propter metum Judæorum.* v. 12. Sic nec tu ab omnibus laudari desideres; sed contra te prolatas querelas, murmurationes, detractiones &c. patienter sustineas, & ex animo remittas. De nemine verò malè loquaris; nec propter respectum humanum omittas honorificè de alijs loqui: quidquid enim feceris uni ex minimis, Christo feceris.

Punct. III. *Jam autem Die Festo mediante* (id est, quarto die, ex quo Festum Scenopegiæ cæperat, & Christus Jerosolymam pervenerat, occultè ibidem degens; adeóque Festo media ex parte jam peracto: duraverat enim octo diebus, ex quibus per septem dies in tabernaculis habitare debebant Judæi, ut patet ex Levit. c. 23. v. 36. ubi dicitur: *Septẽ diebus offeretis Holocausta Domino: dies quoque octavus erit celeberrimus atque sanctissimus &c.* Et v. 42. *Et habitabitis in umbraculis septem diebus*) *ascendit JESUS in Templum, & docebat.* Sicut prioribus diebus Christus dedit Exemplum Mansuetudinis, & Charitatis, cedendo & parcendo suis hostibus: ita posterioribus dedit Exemplum Fortitudinis

titudinis, Zeli animarum, sedulitatis ac industriæ in docendi munere, quamvis auditores essent ingrati, inimici, incapaces, & contumaces, contemnens proprium periculum, oblocutiones, impugnationes, &c.

MEDITATIO CCCXXXVI

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 7. v. 15.

PUNCTUM I. *Et mirabantur Judæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Respondit eis JESUS, & dixit: Mea Doctrina non est mea, sed ejus, qui me misit.* v. 15. Ex admiratione hac, & ex notitia, quòd Christus litteras non didicerit, colligitur, Christum pro illiterato, & indocto antehac habitum esse. Noli ergo sciens videri, te ipsum jactare, vel ostentare; noli laudem, ac æstimationem apud alios aucupari; sed si quid scis, vel si quid in te laudabile est Scientiæ, Virtutis &c, id non tibi, sed DEO adscribe; proinde nihil emolumenti tibi appetas, sed soli DEO.

PUNCT. II. *Si quis voluerit Voluntatem ejus facere, cognoscet de Doctrina, utrum ex DEO sit, an Ego à me ipso loquar.* v. 17. Tali animo & desiderio agnoscendi & faciendi Voluntatem DEI, verba Salutis audias, legas, & mediteris, non ex curiositate, aut vanitate, aut alio fine. Sic enim fructum & Cælestium Rerum intelligentiam percipies. Et *Quoniam in malevolam Animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim Sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu,*

tu, & corripietur à superveniente iniquitate. Sap. 1. v. 4. Ideo tu studeas, semper Voluntatem Dei facere, ut cognoscas de Doctrina Christi, quòd non sit ab Humana ejus Natura excogitata, sed à Deo infusa, & revelata, & propterea omnis Fides & Obedientia ipsi debeatur.

Punct. III. *Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit Gloriam ejus, qui misit eum, hic verax est, & injustitia* (qualem mihi tanquam violatori Sabbati affingitis) *in illo non est.* v. 18. Ecce, qui sibi, vel ingenio, aut talentis suis aliquid attribuit, ille non sincerè quærit Gloriam Dei. Qui autem hanc sincerè & unicè quærit, sicut Christus quæsivit, ille ab omni fallacia, hypocrisi, & peccato immunis est. Sic ergo te ab his immunem redde.

MEDITATIO CCCXXXVII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 7. v. 19.

Punctum I. *Nónne Moyses dedit vobis Legem: & nemo ex vobis facit Legem?* Hoc primum argumentum est, quo Christus Judæis, de violato Sabbato per sanationem Paralytici Joan. c. 5. se arguentibus, demonstrat, immeritò illos sibi indignari, & necem machinari; quia enim, inquit, nemo ex vobis facit Legem Moysis, *Quid me quæritis interficere*, tanquam Legis violatorem? Sic quia ipsi in multis offendimus omnes, & non est homo, qui non peccet; immeritò succensemus aliorum defectibus, immeritò in ijs supportandis sumus difficiles, & eos graviter reprehendi,

di, aut puniri optamus. Reflectamus potiùs oculos ad nos ipsos, & dispiciamus, quoties etiam nos ipsi Leges Divinas, humanas, vel Ordinis Regulas transgrediamur; & serium concipiamus propositum servandi deinceps omnes leges, sive sub gravi, sive sub levi, sive sub nullo peccato obligantes.

Punct. II. *Respondit turba, & dixit: dæmonium habes* (id est, tu loqueris, velut dæmonium habens, à quo ad insaniendum, vel calumniandum nos, impelleris) *Quis te quærit interficere?* Falsò hoc negantibus (ut patet ex versu 25. ubi dicunt: *Nonne hic est, quem quærunt interficere?*) alterum argumentum injustæ erga se iræ, & odio Christus opposuit: *Et dixit eis: Unum Opus feci, & omnes miramini* (scilicet sanationem Paralytici die Sabbati) *Propterea* (subintelligo sic contra vos argumentor) *Moyses dedit vobis Circumcisionem, non quia ex Moyse est, sed ex Patribus, & in Sabbatho circumciditis hominem. Si Circumcisionem accipit homo in Sabbato, ut non solvatur Lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in Sabbato,* dans illi Salutem totius corporis & animæ solo verbo; cùm tamen Circumcisio non ita necessaria sit toti corpori, & longè majori labore peragatur? Sic sæpe aliorum actiones carpimus, reprehendimus, contemnimus, aversamur, quæ longè magis excusari, & in bonam partem accipi possent, quàm nostræ actiones. Sic etiam ea, quæ rectè & laudabiliter gesta sunt, in malum vertimus, & interpretamur. Noli ergo imitari Judæos. Patere autem patienter, si idem tibi quod Christo, eveniat, ac rectè à te facta vel dicta perperam accipiantur.

Punct. III. *Nolite judicare secundùm faciem: sed*

justum Judicium judicate. v. 24. Omne enim Judicium, quod tantùm est secundùm faciem, seu externam quandam apparentiam, & quod non est secundùm sufficientem evidentiam, in genere moris, quando est in præjudicium debitæ de Proximo existimationis & honoris, temerarium, adeóque injustum est. Itaque noli judicare secundùm faciem; sive enim judicium verum, sive falsum sit, injustum est. Sed potiùs vel suspende tuum assensum, vel bene de Proximo sentias, & in bonam partem ejus actiones trahas, ut justum judicium judices. Ausculta S. Bernardo Serm. 40. in Cant. dicenti: *Cave alienæ conversationis esse aut curiosus explorator, aut temerarius judex. Etiamsi perperam actum quid deprehendas, nec sic judices Proximum; magìs autem excusa. Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Quòd si omnino dissimulationem rei certitudo recusat, suade nihilominus ipse tibi, & dicito apud temetipsum: Vehemens fuit nimis tentatio. Quid de me illa feciſſet, si accepiſſet in me similiter potestatem?*

MEDITATIO CCCXXXVIII.

Judæi frustra Christum student comprehendere Joan. 7. v. 32.

PUNCTUM I. *Miserunt Principes & Pharisæi Ministros, ut apprehenderent eum. Dixit ergo eis JESUS: Adhuc modicum tempus vobiscum sum, & vado ad eum, qui misit me* (scilicet ad Patrem Cælestem per mortem, post sex menses mihi inferendam; totidem enim mensibus à Festo Tabernaculorum, quod Septembri per

octo dies celebrabatur, distabat ultimum Pascha, in Martium incidens, quo Christus erat crucifigendus) *Quæretis me, & non invenietis* (quia ex Sepulchro, ubi me deponetis post Mortem, Vivus resurgam) *Et ubi Ego sum* (nunc per Divinitatem meam, tunc autem etiam per Humanitatem, quâ in Cælum ascendam) *vos non potestis venire.* Joan. 7. v. 32. Considera, quòd, cùm durante Tabernaculorum Festo Christus coram conferta multitudine se Filium Dei multis verbis & Signis contestatus esset, & Pharisæis suam incredulitatem palàm exprobrâsset, isti odio & invidiâ propter applausum plurium ei credentium, eúmque sequentium flagrantes, miserint Ministros, ut apprehenderent illum: Ipse verò, non obstante tam hostili voluntate, ingratitudine, & incredulitate, edocuerit Ministros, & his mediantibus eos, qui miserunt, de præcipuis Fidei mysterijs, scilicet de Morte, Resurrectione, & Ascensione sua in Cælum, brevì futuris. Quamvìs autem obscurè fuerit locutus, (unde non intelligentes *Dixerunt Iudæi ad semetipsos: quò hic iturus est, quia non inveniemus eum? Nunquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quæretis me, & non invenietis: & ubi Ego sum, vos non potestis venire?*) facilè tamen potuissent petere ulteriorem declarationem, si non apud semetipsos tantùm verborum sensum perquirere voluissent. Unde patet, quanta Charitate, & quàm constanti Zelo Christus etiam inimicorum, & ingratorum, ac ex sua instructione nihil proficientium hominum Salutem procuraverit; ne & tu ulla hujusmodi ratione in cura Animarum, & Charitate Proximi te impediri sineres. Patet etiam, quomodo in dubijs non

non nosmetipsos, sed alios Sapientiores consulere debeamus; & quomodo DEVS subinde det auxilia Gratiæ actualis, quasi inchoata, ac imperfecta, ut ea in nobis perfici curemus. Denique illis verbis Christi: *Modicum tempus vobiscum sum: & vado ad eum, qui misit me*: ad cogitandam vitæ tuæ brevitatem, & desiderandam, ac adeundam Cælestem Patriam, temet excita.

PUNCT. II. *In novissimo autem die magno Festivitatis* (scilicet octavo Scenopegiæ, sive Festi Tabernaculorum, qui celeberrimus erat Judæis) *stabat IESVS, & clamabat: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Joan. 7. v. 37. Audi itaque Christum, Festis præcipuè diebus te invitantem ad bibendum ejus Eucharisticum Sanguinem. Restingue sitim tuæ Salutis, & Justitiæ, hauriendo de Fontibus Salvatoris Aquam Vivam Gratiæ Sanctificantis, tibi per Vulnera & Merita Christi in eorum Meditatione, Veneratione, Invocatione, applicatione, ac cooperatione propinandam, & diffundendam in corde tuo.

PUNCT. III. *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura* (non ijsdem verbis, sed parientibus eundem sensum, passim promittens Gratiam, & Dona Spiritûs Sancti sub fontium & fluminum metaphora) *flumina de ventre ejus fluent Aquæ Vivæ.* Joan. 7. v. 38. Id est, de corde ejus redundabit Aqua Viva Gratiæ & Donorum Spiritûs Sancti, sive cum magna abundantia in corde diffundetur. Unde Joël c. 2. v. 28. vaticinans dixit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, &c. Sed & super servos meos, & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum.* Et Isa. c. 44. v. 3. *Effundam enim Aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam Spiritum*

meum super semen tuum, & Benedictionem meam super stirpem tuam. Fides autem in Christum, cui tantus affluxus Gratiarum promittitur, debet per Charitatem operari, & impellere ad vitam, Christi Doctrinæ omnino conformandam, ne sit talis, sicut eorum qui (ut S. Paulus Tit. 1. v. 16. ait) *Confitentur, se nôsse DEVM, factis autem negant.* Considera etiam, tunc verè impleri id, quòd Christus his verbis promisit: *Flumina de Ventre ejus fluent Aquæ Vivæ*: quando ex redundantia cordis nostri Cælestis Gratiæ affluentiam etiam in Proximum derivamus.

MEDITATIO CCCXXXIX.

Christus Adulteræ peccata condonat.

Joan. 8. v. 1.

PUNCTUM I. *IESVS autem perrexit in montem Oliveti, & diluculo iterum venit in Templum.* Sic quærendum quietum ac opportunum tempus, & locus ad Orationem devotè, attentè, & absque distractionibus peragendam; sique per diem alijs officijs Charitatis, negotijsque necessarijs fuit impedita, nocte supplenda est, ut cubitum non concedas, præscripto Orationis pensо non persoluto. Christus eundem montem Oliveti primò Devotionis & Orationis lacrymis, deinde Sudore Sanguineo perfudit, denique ex eodem Æternam Gloriam adivit. Sic orando, & patiendo ad Cælestem Gloriam pervenitur; Oratio enim Patientiam, Patientia Gloriam consequitur.

PUNCT. II. *Et diluculò iterum venit ad Templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos.* V. 2. Et

tam matutino adventu Christi, ex situ stabili ac firmo, quo ad docendum utebatur, ex prævisa etiam Auditorum suorum incapacitate, malevolentiâ, contradicendi temeritate, ingratitudine &c. disce, quantâ in officijs Charitatis erga Proximum diligentiâ, constantiâ, tolerantiâ adversorum versari debeas. Quàm matutinus etiam debeas esse in audienda Sapientia Æterni Patris, tempore matutinæ Meditationis sedentis & docentis, ut dicitur Proverb. 8. v. 17. *Qui manè vigilant ad me, invenient me.*

Punct. III. *Adducunt autem Scribæ & Pharisæi mulierem, in adulterio deprehensam, & statuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magister, mulier hæc modò deprehensa est in adulterio. In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent accusare eum.* v. 3. Si enim contradiceret Moysi, accusaturi eum erant, veluti non solius Sabbati, sed etiam aliarum Legum Mosaicarum violatorem: si consentiret, objecturi erant contradictionem, & inconsequentiam propriæ Doctrinæ de Misericordia. Sic & nobis hujusmodi homines patienter ferendi, sed non imitandi sunt, qui, quidquid dicatur, in sinistram partem interpretantur; qui fraudulenter, & insidiosè agunt. Christi potiùs imitanda Prudentia, non statim pandentis sua de alijs judicia, nec statim condemnantis, nec temerè dantis occasionem, sinistrè de se cogitandi, & loquendi.

MEDITATIO CCCXL.

Continuatio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *IESVS autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.* Joan. 8. v. 6. Quemadmodum Christus se tentantibus Judæis non respondit, sed inclinato corpore scribens illos divertit; sic cùm tentatione impugnaris, animum inclina, téque ipsum coram DEO humilia, & scriptione, vel lectione, aut alia utili actione te occupa, ut tentatio cesset, nec per otium aditus maneat apertus. Specialiter verò tentationem siniſtri de aliorum hominum vitâ judicij, aut contemptûs, vince propriorum defectuum & peccatorum consideratione; quemadmodum Christus digito formans litteras in terra, miraculosè produxit in oculis singulorum Pharisæorum & Scribarum visionem, quâ quisque sua peccata legebat. Roga Christum, ut etiam in terra Cordis tui, & in Conscientia tua tibi peccata tua describat, & dic cum Job. c. 13. v. 23. *Quantas habeo iniquitates, & peccata; scelera mea, & delicta mea ostende mihi.*

PUNCT. II. *Cùm ergo perseverarent, interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrùm, primus in illam lapidem mittat.* Ecce, quàm tardè Christus, & quàm cautè interrogantibus in causa alieni criminis responderit; hîc enim locum habet illud Eccl. 32. v. 11. *Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Verùm quàm liberè tu loqueris, & sententiam fers de Proximi defectibus? Corrige hanc tuam in judicandis alijs licentiam; Et cùm nec tu sine pecca-

to

to sis, ne audeas lapidis loco aspera in Proximum tuum verba jactare, aut durè eum habere. Nam hunc saltem Misericordiæ fructum vult DEVS, ut ex peccatis nostris reportemus; Misericordes enim Misericordiam consequentur.

PUNCT. III. *Et iterum se inclinans, scribebat in terra. Audientes autem* (id est, per scripturam loquenti, & cuivis sua occulta peccata detegenti, aurem mentis præbentes) *unus post unum exibant, incipientes à Senioribus, & remansit solus JESVS* (ex illis personis spectantibus ad hoc judicium; nam extra has mansit etiam reliquus populus) *& mulier in medio* (populi manentis) *stans.* Confusi enim Pharisæi & Scribæ timebant, ne à Christo publicè proderentur, ac nominarentur, & peccatorum, quæ quisque legebat, palàm rei proclamarentur. Cogita, quanta sit futura confusio & pudor, quando in extremo die Judicij omnia nostra occulta peccata in omnium Intellectibus scripta manifestabuntur, & quando non poterimus declinare infamiam. Itaque Christo scribendi materiam nullam præbeas; nam, ut DEVM alloquens Jeremias c. 17. v. 13. inquit: *Omnes, qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum.*

MEDITATIO CCCXLI.

Christus se asserit Lucem Mundi, & Filium DEI. Joan. 8.

PUNCTUM I. *Iterum ergo locutus est ei JESVS dicens:*

Ego sum Lux Mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris; sed habebit Lumen Vitæ. Joan. 8. v. 12. Postquam Scribæ & Pharisæi, Christi in Templo docentis Sermonem, quæstione ex Mosaica Lege desumptâ de adultera muliere lapidandâ, captiosè interruperant, Christus sermonem suum resumens iterum locutus est, dicens, se esse Lucem Mundi; quemadmodum enim Sol lucis suæ radios diffundit per totum Mundum ad illuminandos omnium oculos; ita aiebat Christus, Veritate suæ Doctrinæ, & Sanctissimæ Vitæ suæ Exemplis illuminari omnium hominum mentes; ideo S. Joannes c. 1. v. 9. de ipso testatus est: *Erat Lux vera, quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc Mundum.* Nam ante Christi adventum homines plurimas & ad Salutem utilissimas veritates vel omnino ignorabant, vel obscurissimè cognoscebant, ac volut in tenebris sedebant. In Cantico autem & Vaticinio Zachariæ S. Lucas c. 1. v. 79. de Christo hæc verba refert: *Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.* Joannes Baptista in Evangelio Joan. c. 5. v. 35. Solùm dicitur *Lucerna ardens & lucens.* Et c. 1. v. 8. expresè de illo habetur: *Hic venit, ut testimonium perhiberet de Lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille Lux, sed ut testimonium perhiberet de Lumine.* Sed Christus, Sol Justitiæ, verè fuit *Lux Mundi*; & licèt ipse Matth. 5. v. 14. etiam Discipulis suis dixerit: *Vos estis Lux Mundi*; illi tamen solùm, velut stellæ participantes de Luce solari, Lux Mundi dici merebantur, quatenus scilicet Christi Doctrinam, & Vitæ Sanctitatem per totum Mundum prædicando dispergebant. Tu ergo omnes tuas actiones Doctrinæ & Exemplo Christi conforma. Ipse enim

enim teste Kempensi Doctore lib. 1. c. 1. promisit & dixit: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit Lumen Vitæ*: nempe Lumen Gratiæ, quo obtinetur Vita Æterna, & Lumen Gloriæ, quo possidetur Vita Æterna.

PUNCT. II. *Dixerunt ergo ei Pharisæi: Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Respondit JESUS, & dixit eis: Et si Ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum, quia scio, unde venio, & quò vado. Vos autem nescitis, unde venio, aut quò vado. Vos secundùm carnem judicatis. Ego non judico quemquam* (supple: secundùm carnem, scilicet nec me, nec alium) *Et si judico Ego, judicium meum verum est, quia solus non sum, sed Ego, & qui misit me, Pater.* Visus est Christus Pharisæis, appellando se Lucem Mundi, seipsum vanè laudâsse, & testimonium ejus non esse legitimum, eò quòd de seipso testanti fides non debeatur. Ostendit itaque Christus, suum testimonium nec vanum, sed necessarium; nec falsum sed certum, adeóque etiam legitimum esse. Necesse enim erat ad Salutem hominum, ut Christus ab ipsis agnosceretur; non poterat autem ab ipsis agnosci, quia tantùm secundùm carnem, id est, secundùm sensus externos, & carnis ac depravati judicij prudentiam judicabant, latentem Christi Divinitatem non percipientes. Ideo debebat seipsum illis manifestare, Et quia ipse de se habebat certam Scientiam, quòd à DEO exiisset, & iterum ad DEVM in Cælum, tanquam locum sibi debitum rediturus esset, utpote Filius DEI; & quia ipse non secundùm carnem judicabat, atque judicium ejus cum Patris Cælestis judicio consentiebat; idcirco testimonium

illius erat omnino certissimum. Hinc disce à contrario causam, cur nos homines, nec nos ipsos laudare debeamus, nec laudem appetere: quia nos ipsi (idem sentiendum est de ijs, qui nos laudant) secundùm carnem judicamus; & alia de nobis sunt judicia Dei, alia nostra, vel hominum.

Punct. III. Circa verba prædicta, *Sciò, unde venio, & quò vado*, à Christo prolata, considera & tu unde venias, & quò vadas. Nimirum memento, o homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris: e terra venis, & in terram redibis; sed quò interea Anima vadat, nescis. Confide tamen in verbis Christi, ita suos consolantis Joan. 14. v. 2. *Vado parare vobis locum. Et si abiêro, & præparavero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum Ego & vos sitis. Et quò Ego vado, scitis, & viam scitis &c. Ego sum Via, Veritas, & Vita.* Itaque hanc viam, Christum videlicet præeuntem, sequere: & sic eò vades, quò Christus.

MEDITATIO CCCXLII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 8.

Punctum I. *Dicit ergo iterum eis JESUS: Ego vado* (scilicet ad Patrem meum) *& quæretis me* (id est, propter incredulitatem vestram quæretis vobis adhuc Messiam, qui tamen Ego ipse sum; adeóque meipsum adhuc quæretis, quia non cognovistis) *& in peccato vestro moriemini &c.* (Si nempe perseverabitis in peccato infidelitatis, morte æterna moriemini) *Et dicebat*

bat eis: Vos de deorsum estis, Ego de supernis sum. Vos de Mundo hoc estis, Ego non sum de hoc Mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia Ego sum (id est, quia secundùm Naturam meam Divinam necessariò, & à me ipso existo) *moriemini in peccato vestro.* Joan. 8. v. 21. Observa, quæ sit causa, cur in neganda vero Messiæ fide Judæi fuerint tam obstinati. Eam his verbis Christus illis ipsis insinuat: quia, inquit, sicut de terra estis procreati, ita prorsus terrenis affectibus erga divitias, honores, & voluptates Mundi hujus estis dediti; ideo de Salute vestra, & de necessaria in Christum Fide parùm soliciti estis. Et quia Ego, sicut è Cælo descendi in Mundum, ita etiam de Cælo loquor, & de Existentia mea, quam habeo à Patre meo in Cælo, quò vos terrena sapientes animo vestro non pertingitis; ideo in peccato vestro moriemini. Vide itaque, in quanto periculo mortis æternæ constituti sint omnes illi, qui simili modo, sicut Judæi, de Mundo hoc sunt. Cave ergo, ne etiam, postquam Mundum deseruisti, de Mundo hoc sis, animo illi adhærens, & tantùm terrena sapiens.

Punct. II. *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia Ego sum, & à meipso facio nihil: sed sicut docuit me Pater, hæc loquor.* Joan. 8. v. 28. Hoc impletum est, quando Christus fuit in Cruce exaltatus: tunc enim inquit Matthæus c. 27. v. 54. *Centurio, & qui cum eo erant, viso terræ motu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius DEI erat iste.* Adverte, quòd Christus ignominiosam Crucifixionem suam vocet Exaltationem: quia ignominia, confusio, contemptus in hoc Mundo est vera Exaltatio apud Deum; quantò

quantò enim hîc quis plùs humiliatur, tantò in Cælo magìs exaltatur. Expende etiam, quòd, licèt Judæis ante Exaltationem Christi in Cruce plurimis & maximis Miraculis comprobatum fuerit, ipsum esse Filium DEI, tamen primùm credituros prævidens & prædixerit: *Cùm exaltaveritis Filium hominis.* Prodigia enim, quæ in Crucifixione contigerunt, vim suam movendi ad Fidem acceperunt à Fortitudine, Constantiâ, Generositate, Dilectione inimicorum, quando pro Crucifigentibus se orabat, & à plena sui in manus Cælestis Patris Traditione. Quando enim *Clamans voce magna JESVS ait: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum.* Luc. 23. v. 46. Tunc (ut S. Marcus c. 15. v. 39. testatur) *Videns Centurio, quiex adverso stabat, quia sic clamans expirâsset, ait: Verè hic Homo Filius DEI erat.* Sic Filium DEI Adoptivum te ostendes, quando Christo confixus fueris Crucì; ut loquitur Apostolus Galat. 2. v. 19. & cum infracta animi Fortitudine, Constantiâ, Resignatione in paternas DEI manus, omnia sustinueris. Sic etiam præclara facta & dicta tua ad aliorum conversionem, & vitæ emendationem valebunt, si Virtus tua adversorum perpessione fuerit probata.

PUNCT. III. *Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Joan. 8. v. 29. Licèt enim Christus fuerit missus à Patre, dum iste ab æterno genitum cum Humana Natura conjunxit, & in terra illum degere voluit; manet tamen per eandem Naturam Divinam Filio suo conjunctissimus Pater. Quam conjunctionem Christus hîc probat Judæis per summam Voluntatum conjunctionem, vi cujus etiam, ut homo, inquit: *Quæ placita*

placita sunt ei, facio semper. Hæc si similiter semper feceris, te rursum Filium DEI Adoptivum, & obsequentissimum demonstrabis; ac vicissim Patris Cælestis continuam Assistentiam experieris, ut in omni actione, & functione tecum sit, & non relinquat te solum.

MEDITATIO CCCXLIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Joan. 8.

PUNCTUM I. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si Veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Joan. 8. v. 46. Ut Judæi Christo, asserenti se Filium DEI, Fidem darent, Veracitatem suam illis probavit Vitæ suæ Innocentiâ, quâ omne peccatum, adeóque etiam Mendacium semper aversatus est: probata autem Veracitate exprobrat illis obstinatum in præbenda sibi Fide animum. O si & tu ita innocenter inter homines viveres, ut nemo te posset peccati arguere! si autem peccas, vis scire, quis te arguat? Arguet te DEVS. Ideo inquit Ps. 49. v. 21. *Existimâsti iniquè, quòd ero tuî similis: arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Arguet te etiam propria Conscientia. Arguet te Angelus Custos, & Dæmon accusans. Arguent te omnes, qui te observant. Nam, ut admonet Thomas Kempensis l. 1. c. 25. n. 5. Sicut oculus tuus alios considerat, sic iterum ab alijs notaris. Itaque sic omnem Christianam & Religiosam Disciplinam observa, ut securus in Conscientia tua dicere audeas, præsertim in articulo Mortis: Quis arguet me de peccato? Nihilominus

lominus tamen memor tuæ infirmitatis, DEVM depre-
care: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tu*
corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum.
Ps. 6. v. 1.

PUNCT. II. *Qui ex DEO est, verba DEI aud*
Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis. Joan.
v. 47. Ecce novam causam, quare Judæi sine fructu
& Fidei assensu audiverint, quando Christus ipse se
Filium DEI testatus est: quia nimirum propter *sua* pec-
cata amissâ Gratiâ desiêrunt esse consortes Divinæ
Naturæ, & Filij Adoptivi Patris Cælestis. Signum
itaque mali statûs est, si Verbum Divinum, & Cæle-
stes Doctrinas sine gustu, & sine fructu audias, legas,
& mediteris: hoc enim idem est, ac non audire; sicut
Judæi non audiêrunt, quamvis sonum Christi loquen-
tis perceperint. At bonum signum est, si gustum &
fructum ex prædictis modis audiendi DEVM loquen-
tem capias, & si per Inspirationes, ac Illustrationes
mentis DEVS tibi frequenter ad cor loquatur, & tu
illi auscultes.

PUNCT. III. *Responderunt ergo Judæi, & dixerunt:*
Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmo-
nium habes? Respondit JESVS: Ego dæmonium non habeo:
sed honorifico Patrem meum, & vos inhonorâstis me. Ego
autem non quæro Gloriam meam. Est, qui quærat, & judi-
cet. Joan. 8. v. 48. Considera, quare Christus tam le-
niter & mansuetè duplicem ignominiosam contume-
liam tulerit, quando Judæi illum appellârunt Sama-
ritanum, sive Schismaticum; & familiarem Diaboli,
cui ejectionem Dæmonum inferiorum, & alia Chri-
sti Miracula adscribebant. Nempe quia ipse non
quæsivit, nec curavit Gloriam suam, sed hujus cu-
ram

ram Patri suo committebat, & eidem sciebat cordi esse. Hac propriæ gloriæ curâ abjectâ, & in DEVM translatâ, facilè feres omnem contemptum; & ingens acquires augmentum meritorum tuorum, si cum veritate in omnibus actionibus tuis dicere possis: Non quæro gloriam meam: sed honorifico Patrem meum, omnia in ipsius Honorem peragendo.

MEDITATIO CCCXLIV.

Christus in Sabbato Cæcum Natum videndi facultate donat. Joan. 9. v. 1.

PUNCTUM I. *Et præteriens vidit hominem cæcum à Nativitate: & interrogaverunt eum Discipuli ejus: Rabbi, quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur? Respondit JESUS: Neque hic peccavit, neque parentes ejus: Sed ut manifestentur Opera DEI.* Postquam Christus à suo Jerosolymam adventu sæpius docuit in Templo, & Judæis peccata sua exprobravit, præsertim quòd non crederent in Filium DEI, quem se esse frequenter per totum Caput septimum & octavum Joannis contestatus est, tantâ in illum irâ exarserunt Judæi, ut lapidibus eum obruissent, nisi abscondisset se (id est, invisibilem se reddidisset) & exivisset de Templo, ut recensuit S. Joannes in fine Capitis octavi. Mox itaque in ipso egressu è Templo, præteriens (id est, transiens per eam viam) vidit hominem cæcum à nativitate: Discipuli verò, quia dubitabant, an non propter peccata ab illo commissa, & à DEO ante ejus nativitatem prævisa, cæcitate punitus esset; interrogaverunt Christum, quisnam peccâsset? an cæcus ipse, vel an parentes

parentes ejus? Quibus Christus respondit: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestentur Opera DEI in illo.* Noli ergo aliorum adversa statim peccatis eorum temerè adscribere. Quia tamen Discipulis etè supposuerunt, DEVM frequenter immittere adversa propter peccata, ideo, si tu fortè adversis premaris, inquire in teipsum; an non meritò propter peccata tua hæc patiaris; & propter hæc libenter sustine adversa: peccata autem inposterum præcave. Quia verò per quævis adversa immissa intenditur Gloria DEI; propter hanc suscipe, & sustine illa lubenti & hilari animo, ut vel ex hoc augeatur Gloria DEI.

PUNCT. II. *Me oportet operari Opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* v. 4. Quod Christus de Operibus Miraculosis dixit, id tibi constitutum habe de Operibus tuis Bonis & Meritorijs, tantùm in die vitæ, non autem nocte mortis à te ponendis. *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.* Eccl. 14. v. 14. *Ante obitum tuum operare Justitiam: quoniam non est apud Inferos invenire cibum.* v. 17. *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos* (quæ scilicet meritoriè acquirantur) *quò tu properas.* Eccl. 9. v. 10.

PUNCT. III. *Hæc cùm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & linivit lutum super oculos ejus, & dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur missus) Abiit ergo, & lavit, & venit videns.* Joan. 9. v. 6. Hoc remedium cæcitatis corporalis, signum est remedij, quo pellitur cœcitas Spiritualis; lutum enim & sputum positum super oculos est agnitio propriæ vilitatis

tis, quòd homo secundùm corpus sit lutum, ex quo formatus est. Unde Ecclesia admonet: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem revertêris*: & secundùm Animam sit sputum, excrementitio scilicet multiplicis peccati fætore abominabile. Ideo de homine nondum lethali frigore rigente, sed tepido Christus dixit: Apoc. 3. v. 16. *Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus: utinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Ne tamen hoc lutum & sputum super oculos positum, per pusillanimitatem, vel desperationem, tandem mentis oculos nimiâ sui diffidentiâ excæcet, ijdem abluendi sunt aquâ, ex piscina *Siloë* haustâ, cujus nominis interpretatio apposita, Christum à Cælesti Patre *Missum* designat, oculos mentis illuminantem undâ Sanguinis (quæ omne peccati sputum abstergit, & auxilia Gratiæ promeretur) atque boni Exempli ac Cælestis suæ Doctrinæ Luce lumen oculorum illustrius reddentem.

MEDITATIO CCCXLV.

Continuatio ejusdem Argumenti.

PUNCTUM I. *Itaque vicini, & qui viderant eum priùs, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. Alij autem: Nequaquam; sed similis est ei. &c.* Joan. 9. v. 8. *Dicebant ergo ex Pharisæis quidam: Non est hic homo à* DEO, *qui Sabbatum non custodit.* v. 16. *Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hæc Signa facere?* Ibid. Sic quidam aliorum egregia facta semper enervant, &

finistris sermonibus res laudabiliter gestas, vituperis- que in dubium, vel in contemptum trahunt. An non etiam tu es ex illis? Si reus es, emenda perversum hunc morem; & id potius cura, ut, quia de te quoque dici potest: *Quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus.* Apoc. 3. v. 18. vicini & domestici te velut in alium hominem mutatum aspiciant, nempe velut illuminatum à Deo, Virtutibus divitem, & Gratiâ, instar Vestis Nuptialis, vestitum.

Punct. II. *Responderunt eis parentes ejus, & dixerunt: Scimus; Quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: quomodo autem nunc videat, nescimus: aut quis ejus aperuit oculos, nos nescimus: Ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur. Hæc dixerunt parentes ejus, quoniam timuerunt Judæos.* v. 20. Sic datur aliud genus hominum, non quidem malè de alijs, sed neque bene loquentium, quamvis necessitas, veritas, & gratitudo istud exigeret; sic respectus humanus claudit ora laudantium. Unde specialis modus detrahendi honorem alijs est, laudare remisse. Tu syncerè alios lauda: & gratus agnosce ac prædica Benefactores tuos. Considera etiam, quòd licèt communiter non expediat, ut quis de se loquatur: quando tamen id cedit in alterius laudem, & de se quis confitetur suam cæcitatem, vel alios defectus, is de se loquitur, ut ætatem habens.

Punct. III. *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta est.* v. 17. & v. 30. *Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est; Quia vos nescitis, unde sit, & aperuit meos oculos: scimus autem, quia peccatores DEVS non audit: sed si quis DEI cultor est, & Voluntatem ejus faciat hunc

hunc exaudit. A sæculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset Hic à DEO, non posset facere quidquam. Hujusmodi homines imitandi sunt, qui de alijs & honorificè loquuntur, & malè loquentibus ac sentientibus se audent opponere, Proximíque honorem tueri, etiam coram potentioribus, & nocere valentibus. Disce etiam à cæco illo modum efficaciter orandi, & impetrandi omnia à DEO. Si enim vis, ut DEVS faciat secundùm voluntatem tuam, tu priùs exequere Voluntatem DEI.

MEDITATIO CCCXLVI.

Christus Ostium Ovilis, & Pastor Ovium. Ioan. 10. v. 9.

PUNCTUM I. *Ego sum Ostium, per me si quis introierit, salvabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet.* Joan. 10. v. 9. Quia Judæi propter publicam Christi Professionem cæcum ab illo sanatum Synagogâ excluserunt, pessimè id ab illis factum esse Christus ostendit, eò quòd Professio Christi omnino necessaria sit, ut quis in Ecclesiam DEI, velut ovis in ovile intret; unde Christus se Ostium appellat, per quod ingredientibus Salus Animæ promittitur; ad quam obtinendam Anima per Christum ubique invenit sua pascua, sive ingrediatur ad Quietem & Contemplationem, sive egrediatur ad Operationem & executionem Boni Operis: sive ingrediatur ad DEVM, sive egrediatur ad Proximum. Considera itaque, qualia pascua in Ecclesia, & præsertim in Religiosa Familia inveniantur, quibus Animæ Vita, & Salus con-

servari, augeri, & nutriri potest: ejusmodi sunt Ora-
tio, Meditatio, Conscientiæ discussio, Lectio, & au-
ditio Verbi Divini, Missæ Sacrificium, Sacramento-
rum frequentia, functiones in utilitatem corporalem
vel Spiritualem Proximi susceptæ &c. Inquire, an
quoties, qua fame ac desiderio ingrediaris, & egredia-
ris ad hæc pascua.

Punct. II. *Ego sum Pastor Bonus.* Joan. 10. v. 11.
Non tantùm Ostium ovilis, sed etiam Pastorem Bo-
num se dicit, idque probat 1. ex Amore erga oves:
Bonus Pastor Animam suam dat pro ovibus suis. v. 11. *Ani-
mam meam pono pro ovibus meis.* v. 15. *Ego veni, ut Vitam
habeant, & abundantiùs habeant.* v. 10. Idem probat 2.
ex provida cura erga singulas oves seorsim, qui-
Proprias oves vocat nominatim, & educit eas, scilicet ad
pascua. Hanc Providentiam indicavit etiam v. 14.
dicens: *Ego sum Pastor Bonus, & cognosco meas.* 3. Pro-
bat ex fideli Custodia, quam præstat ovibus Pastor
Bonus: *Cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit*, ut con-
tra lupum venientem eas tueatur. *Mercenarius autem
& qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit
oves, & fugit.* v. 12. Triplex hæc probatio Boni Pasto-
ris in animis Ovium excitare debet magnum Amo-
rem, ut vitam sibi servatam in ejus usum impendant,
& magnam Fiduciam de Providentiâ erga se in parti-
culari, & de protectione tempore tentationis, quan-
do Optimus Pastor videt lupum venientem: Non
enim fugiet, nec nos deseret.

Punct. III. *Et oves illum sequuntur, quia sciunt vo-
cem ejus. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab
eo, quia non noverunt vocem alienorum.* v. 4. Postquam
perpendisti, quàm bene probaverit Christus se Bo-
num

num Pastorem esse, & quomodo se talem erga te exhibuerit; considera nunc officium bonæ Oviculæ in duobus consistere 1. ut præeuntem per Imitationem sequatur. 2. ut Vocem, Doctrinam, & Monita ejus audiat, agnoscat, & exequatur. Alienos autem, sive dæmones, sive homines, abducentes ab Exemplo & Doctrina Christi, fugiat.

MEDITATIO CCCXLVII.

De Electione, & Missione septuaginta Discipulorum. Luc. 10. v. 1.

PUNCTUM I. *Posthæc autem designavit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quo erat ipse venturus.* Luc. 10. v. 1. Cùm tantùm sex menses Vitæ Christo supererent, & proinde diu in eodem loco morari non posset, pro Conversione Judææ elegit sibi omnino LXXII. Discipulos, qui animos populi Judaici disponerent, & præpararent ad Christum, & ejus adventum, Doctrinámque suscipiendam: Sicuti idem Lucas cap. præcedenti refert, initio Prædicationis maximè pro Galilæa duodecim Apostolos electos, & cum ijsdem monitis ac præceptis hinc inde binos præmissos esse. Considera itaque ingens Beneficium tum illis obveniens, qui pro Conversione, & Salute aliorum eliguntur, & designantur per specialia Dona & Gratias, quibus tanto muneri idonei reddantur: tum illis, ad quos hujusmodi nuncij à Christo præmittuntur. Unde pro hoc Beneficio etiam rogari vult, dicens: *Rogate ergo Dominum messis, ut mittat Operarios in*

messem suam. Luc. 10. v. 2. Utrumque hoc Beneficium tibi præstitum est; quia & ipse Vocatione ad hujusmodi Statum designatus es, & per multos nuncios ad Christi adventum, & Evangelicam Doctrinam præparatus: & adhuc frequenter mittit DEVS nuncios, qui animum tuum disponant ac præparent, antequam ipse in Oratione tibi ad cor loquatur, per Gratiam suam ingrediatur, vel per Sacram Communionem suscipiatur. Cura, ut semper dignus & paratus sis, sic venientem recipere.

PUNCT. II. *Reversi sunt autem Septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subjiciuntur nobis in Nomine tuo.* Luc. 10. v. 17. Et ait illis: *Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur: gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in Cælis.* v. 20. Quia enim nihil prodest homini, si mundum universum lucretur, Animæ verò suæ detrimentum patiatur: ideo non tam de subjectione & expulsione dæmonum ex corporibus & animabus hominum lætandum est, quàm si ipse homo suas passiones, & suum appetitum rationi subjiciat, & ratio subjecta sit DEO, ut nomen ejus scribatur in Cælo, in Libro Prædestinatorum, sive in Mente DEI. Deinde etiam considera, si dæmonia in Nomine Christi subjecta fuerunt hominibus; quantò magis homo propter Christum subjiciatur homini, vice & Nomine Christi imperanti? Et quantò magis subjiciatur DEO imperanti, vel prohibenti? Denique si non est gaudendum, quia Spiritus subjiciuntur nobis; quantò minùs est gaudendum, si homines subjiciuntur nobis? Ne ergo cupias ulli homini præesse, sed tantùm subesse.

PUNCT. III. *Et conversus ad Discipulos suos dixit:*

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, quòd multi Prophetæ & Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt; & audire, quæ auditis, & non audierunt. v. 24. Loco vani gaudij Discipulorum aliam lætandi causam ostendit Christus, ob quam Regibus & Prophetis ipsos beatiores pronunciat. Ea enim, quæ vident, aut viderunt Reges, aut periculosa sunt; ut patet ex 2. Reg. 11. v. 2. quando David *Vidit mulierem se lavantem, quæ erat pulchra valde*: aut vana; unde idem Rex precatus est DEVM Ps. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Ea autem, quæ viderunt Prophetæ, & propter quæ etiam *Videntes* appellabantur, fuerunt aut longè posita, aut parùm sæpe utilia ad propriam illorum Salutem, aut solùm ænigmatica, umbræ scilicet & Figuræ Mysteriorum Christi. Verùm Discipuli Christi viderunt oculis corporis Humanitatem Christi, ejus sanctissimos Mores, Virtutes, Mysteria, Miracula: auribus exceperunt illius Sanctissima Dogmata, Monita, Consilia, Præcepta, & *Verba Vitæ Æternæ.* Oculis autem, & auditu mentis datum est ipsis nôsse hæc Mysteria. Quia verò oculis facta visio parùm prodest, & sine hac plùs prodest mente concepta, testante Christo: *Beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Joan. 20. v. 29. ideo agnosce tuam Beatitudinem, qui, quæ Discipuli viderunt & audiverunt sensibus corporis, ea clarissimè vidisti, & audivisti sensu mentis. Si tamen hac Beatitudine frui vis, recordare illius, quod alibi Christus dixit: *Beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud.* Luc. 11. v. 25. Unde S. Jacobus in Epist. c. 1. v. 22. ait: *Estote autem factores Verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* Quòd si etiam corporalis

visionis & auditionis Beatitudinem participare desideras, memento, quàm multa, & præclara Virtutum Christi Ectypa videris, & adhuc videas, præsertim in Statu Religioso, & quàm multa auditu percoperis: quæ si opere exequaris, in hac, & in altera Vita Beatus eris.

Annotatio.

Hucusque series Evangelicæ Historiæ creditur esse certa. Sequens verò est solummodo probabilis.

MEDITATIO CCCXLVIII.

Christus hortatur ad Doctrinam & Perfectionem Evangelicam.

Matth. 11. v. 25.

PUNCTUM I. *In illo tempore respondens IESVS dixit* (S. Lucas c. 10. v. 21. ait: *In ipsa hora*, quâ scilicet electi septuaginta duo Discipuli ad Christum ex Prædicatione reversi sunt) *Confiteor tibi Pater, Domine Cæli & Terræ, quia abscondisti hæc à Sapientibus, & prudentibus* (qui scilicet Mundo, & sibi per superbiam tales videbantur) *& revelâsti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Matth. 11. v. 25. Ecce! Pater Cælestis laudatur à Christo, non tantùm, quia Divina Mysteria revelavit parvulis, scilicet humilibus Apostolis, & plebeijs hominibus; sed etiam, quia eadem abscondit à superbis sapientibus, & prudentibus. Sic etiam B. Virgo in Cantico *Magnificat* Luc. 1. v. 52. laudat DEVM, quia *Deposuit potentes de sede, & exaltavit Humiles.* Semper enim *DEVS superbis resistit; Humi-*

libus

libus autem dat Gratiam. 1. Pet. 5. v. 5. & Jacobi 4. v. 6. Concinit etiam Psalmista Ps. 135. v. 6. *DEVS Humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Et Christus ipse Luc. 18. v. 14. testatur: *Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Hinc cognosce, quantùm Divinis favoribus obsit superbia, ac prosit Humilitas; & quomodo Deus in hoc ipso laudandus sit, quoniam sic fuit placitum ante ipsum, cum superbis & Humilibus inæqualiter agere. Specialem autem rationem dat Christus Matth. loc. cit. v. 27. cur superbis Divina Mysteria de se, & de Patre suo Cælesti sint abscondita: quia, inquit, *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Id est; Nihil valet sapientia & prudentia humana ad cognoscendum Objecta Divina & Supernaturalia; ideo S. Paulus 2. Cor. 3. v. 5. scribit: *Quòd non sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Hanc itaque insufficientiam proprij Intellectûs quia superbi non agnoscunt, ideo relinquuntur in sua ignorantia: contra Humilibus, & de se non alta sapientibus revelantur Divina Mysteria. Attende, ne superbia etiam tibi causa sit, ut rariùs Divinas Illustrationes accipias, & Divina sine gustu & fructu mediteris.

Punct. II. Ut Christus paratum se ostendat, quòd velit Cælestia Mysteria revelare, & in suam Disciplinam omnes hactenus Mundo & peccatis servientes recipere, his verbis illos invitat Matth. 11. v. 28. *Venite ad me omnes, qui laboratis* (quibuscunque animi morbis) *& onerati estis* (quantalibet gravitate & onere peccatorum: vel qui labores & onera pro servitute peccati & Mundi sustinetis) *& Ego reficiam vos.*

(perditas & fractas vires reparando medicamentis & Solatijs Spiritualibus, leviúsque jugum vobis imponendo) *Tollite Jugum meum super vos* (Legem & Disciplinam Evangelicam) *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Peccatores enim & mundani homines gravissimam servitutem serviunt pro fallacibus & vitijs, ac transitorijs voluptatibus; & pro his maximas molestias, ac Conscientiæ remorsus subeunt; Lex autem Evangelica, & Studium Perfectionis Christianæ Jugum quidem appellatur & onus; sed per auxilia Gratiæ, Quietem animi, & Solatia Spiritualia fit Suave & leve. Compara itaque inter se Jugum Christi, & Jugum, quod Diabolus ac Mundus Servis suis imponunt, & videbis, istos longè graviora pati sine vero gaudio, lucro aut præmio; imò cum magno suo damno & interitu.

Punct. III. *Et discite à me: quia Mitis sum, & Humilis corde: & invenietis requiem Animabus vestris.* Matth. 11. v. 29. Hæ duæ Virtutes, quando ex corde procedunt, experientiâ docent, quàm suave sit Jugum Christi, & leve onus, & quanta animus quiete ex illis perfruatur. Vicissim expende, quas animi acerbitates, tristitias, turbationes &c. patiantur iracundi, & superbi.

MEDITATIO CCCXLIX.

Christus Legisperito se tentanti respondet. Luc. 10. v. 25.

Punctum I. *Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid faciendo Vitam Æternam*

Æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est? Quomodo legis? Luc. 10. v. 25. Fraudulenter, & insidiosè interroganti Christus mansuetè & syncerè respondet, & docet modum consequendi Vitam Æternam, eúmque in duobus constituit, scilicet in observatione Legis quoad substantiam, & quoad modum; ut scilicet nihil omittatur ex eis, quæ ad modum observandæ Legis spectant; idcirco non tantùm quærit: *In Lege quid scriptum est?* sed etiam: *Quomodo legis?* Et quia Legisperitus diligenter observavit particulas modum statuentes, scil. *Ex toto corde*: &: *Ex omni mente tua.* Ideo concludit Christus v. 28. *Hoc fac, & vives.* Imitare Christi Mansuetudinem & synceram Charitatem erga aversos à te, minúsque syncéros homines; & exequere ea, quæ Christus syncerè respondit.

Punct. II. *Ille respondens dixit: Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & Proximum tuum, sicut teipsum.* v. 27. Unde considera, nihil esse amandum præter Deum, aut non nisi propter Deum; &, ut totus ac omnis Amor noster in Deum feratur, nec Proximum propter aliam causam esse amandum; adeóque ad Deum omnes operationes cordis, seu voluntatis rationalis, ac animæ sensitivæ, potentiarúmque tam à Corpore dependentium, quàm non dependentium, esse referendas, ut omnes conformentur Divino Beneplacito, & unicè ad Dei Honorem, velut ad Finem Ultimum tendant. *Hoc fac, & vives.*

Punct. III. *Ille autem volens justificare seipsum* (vel enim Christi responsione subitò immutatus est, ut

seriò

serio & ex amore Justificationis suæ nunc quæreret; vel quærendo voluit videri amans & cupidus Justificationis suæ) *dixit ad JESVM: Et quis est meus Proximus?* De hoc enim inter Judæos erat controversia. Aliqui ex illo Levitici c. 19. v. 18. *Diliges Amicum tuum sicut teipsum*, colligebant, solum Amicum dici *Proximum*, & præcipi diligendum: unde omnes infideles & gentiles inferebant odio habendos. Non sic tu vocabulum generale *Proximi* restringas ad privatos Amicos, Consanguineos, Populares, benefactores, adulatores &c. Nec alios à dilectione excludas, præsertim eos, qui te offenderunt.

MEDITATIO CCCL.

De Samaritano ab Jerusalem in Jericho descendente. Luc. 10. v. 30.

PUNCTUM I. *Suscipiens autem JESVS dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum: & plagis impositis abiérunt, semivivo relicto.* Luc. 10. v. 30. Hæc est vera Idea hominis, à statu Gratiæ (qui est *Visio Pacis*, per nomen *Jerusalem* significata) recedentis, & in mortale peccatum sese demittentis, per *Jericho*, quæ Vox *Lunam* denotat, expressum. Stultus enim peccator, ut Luna mutatur. Latrones autem sunt dæmones, vel homines, qui in peccatum induxerunt, per quod homo privatur Gratiâ, sive Veste Nuptiali Animæ, & omnibus Habitibus Supernaturalibus, ac Bonorum Operum meritis: & ita Animæ suæ viribus ex plaga peccati destituitur, ut à morte æternæ damna-

damnationis, veluti semivivus seipsum eripere non possit. Abstine ergo ab hoc de Jerusalem in Jericho descensu. Nescis enim, an Divinus Samaritanus, Christus Jesvs te miseraturus, tibique occursurus sit; præterquam quòd per se gravis sit jactura, tanta bona Animæ amittere.

Punct. II. *Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eâdem viâ. Et viso illo præterivit. Et similiter Levita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit.* v. 31. Hîc gravis indicatur Ratio absterrens à prædicto descensu in lethale peccatum: facilè enim fieri potest, ut Sacerdos & occasio confitendi peccatum prætereat. Ne verò etiam Tu hanc Sacerdotis & Levitæ inclementiam imiteris, promptè ac benignè obeas officium Confessarij, & quocunque modo ad Conversionem peccatoris juvare studeas. Præterea cave, ne uni tantùm hanc opem, ac operam impendas; cùm verò plures alios eâdem indigentes, & cum morte Animæ luctantes videris, eos ex laboris tædio, vel humano respectu, vel fastidio quodam prætereas. Noli denique de aliorum hominum ope, vel auxilio in adversis multùm confidere; cùm illi videntes, & non juvantes, prætereant, qui maximè deberent misereri, ac opem ferre.

Punct. III. *Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum Misericordiâ motus est.* v. 33. Disce ab hoc Samaritano benefacere etiam illis, qui inimicitiâ & odio te prosequuntur: Judæi enim (qualis erat is, qui in latrones incidit) summè oderant Samaritanos, tanquam à fide sua alienos. Observa etiam, quàm sæpe illorum misericordiâ & beneficentiâ indigeamus, à quibus minimè sperabamus; imò

imò quibuscum nobis dissensio, vel inimicitia intercedebat: unde nemo est contemnendus, vel offendendus. Præterea cura, ne tibi eveniat idem, quod Judæis; & sicut Samaritanus leprosus cum aliis novem Judæis à lepra mundatus, eos gratitudine superavit Luc. 17. v. 17. & sicut iste superavit Sacerdotem & Levitam Misericordiâ; sic te ijsdem, vel aliis Virtutibus superent Sæculares, quibus nec fides, nec educatio tantum præsidij dedit ad Virtutem, quantum tibi.

MEDITATIO CCCLI.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Luc. 10. v. 34.

PUNCTUM I. *Et appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum, & vinum, & imponens illum in jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit.* Luc. 10. v. 34. Iste misericors Samaritanus est Figura, & Typus Christi, de Cælo appropiantis Humano Generi, propter peccatum originale, & deinde frequenter etiam propter peccata actualia, omnibus Bonis supernaturalibus spoliato, & plagis impositis semivivo relicto. Nam Christus Prædicatione Pœnitentiæ, & Divinæ Justitiæ (cui etiam acerbissima Passione satisfecit) comminatione vinum infudit in vulnera peccatorum cum oleo Misericordiæ, quam ipse Generi Humano exhibuit, & quam etiam pœnitentibus promisit: deinde alligavit vulnera, saluberrimis præceptis ea restringens, & vinculis Charitatis obligans: præterea imposuit in jumentum suum; Ut tale enim

tracta-

tractavit, & tractari voluit Carnem & Corpus suum, dum in stabulo illud collocavit, flagris subjecit, & in Cruce tandem immolavit. Ideo Isaias. c. 63. v. 9. ait: *In Dilectione sua, & in Indulgentia sua ipse redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos.* Duxit quoque in stabulum, id est, in hospitium, ubi viatores divertunt, & quiescunt, quódque omnibus patet, nempe in Ecclesiam, ubi ipse eorum, quorum Anima vulnerata est, curam gerit, & alios, ut eandem gerant, constituit. Quantum huic misericordissimo Samaritano Charitatis & Gratitudinis debes? Quanto studio etiam illum imitaberis? Si Superior es, infunde in vulnera Subditorum vinum & oleum, id est, Severitatem & Clementiam. Si non es Superior, saltem Correctione Fraterna timorem Justitiæ, & spem Misericordiæ Divinæ vulneratis infunde; & peccata, ac defectus aliorum supportans, vel etiam in corpore tuo expians, quasi jumento impone; atque sic curam Proximi habe.

Punct. II. *Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcunque supererogaveris, ego, cùm rediêro, reddam tibi.* v. 35. Duobus denarijs designatur plenus numerus Præmiorum tum Cælestium, tum terrestrium; vel tum Spiritualium, tum corporalium Bonorum. Quanta hæc sunt Præmia, reddenda pro debitis officijs Charitatis erga Proximum! Ultra hæc officia, propter Opera Supererogatoria: *Quodcunque supererogaveris*: promittitur adhuc amplior Remuneratio præstanda à Christo, cùm rediêrit in extremo die Judicij, quando reddet unicuique juxta Opera sua.

Punct. III. *Quis horum videtur tibi Proximus fuisse*

fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit Misericordiam in illum. Et ait illi JESUS: *Vade, & tu fac similiter.* v. 36. Hæc est responsio ad illam quæstionem Legisperiti: *Quis est meus Proximus?* Misericordia enim Samaritani erga incidentem in latrones, de qua Christus in Parabola aliud non expressit, quàm (*Homo quidam*) ab ipso Legisperito agnita ut laudabilis, fatis testata est, omnem hominem esse nostrum Proximum. Et quia per illum Samaritanum Christus ipse præfiguratur; si Christus Filius DEI unumquemque hominem peccato originali, vel actuali vulneratum pro Proximo suo habuit, an non consequens est, à nobis etiam quemvis hominem ut Proximum habendum, & amandum esse? *Vade* ergo, *& tu fac similiter.* Et motivum Amoris aliud non require, quàm quia est *Homo quidam* similitudine Naturæ, ab eodem Patre Cælesti per Creationem, & ab eodem Redemptore per Sanguinis profusionem tibi conjunctissimus: etiamsi nec sit Nobilis, nec Dives, nec Pulcher, nec Doctus, nec Beneficus; neque aliud Amoris epitheton addi sibi mereatur.

MEDITATIO CCCLII.

Martha & Magdalena Christum hospitio excipiunt. Luc. 10. v. 38.

PUNCTUM I. *Factum est autem, dum irent* (Judæam peragrando) *& ipse intravit in quoddam castellum* (Bethaniam) *& mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat Verbum illius.*

Disce

Disce à Christo, cùm Sæculares invisis, vel apud illos divertis, eosdem pijs Colloquijs ædificare. Disce à Martha Christum hospitio cordis tui excipere, Amore enim illum attraxit; si etiam amaveris, veniet, & mansionem apud te faciet: uti Joan. 14. v. 23. promisit. Disce à Maria Magdalena vacuum tempus Spiritualibus Exercitationibus impendere, & ab occupationibus alijs non necessarijs te subtrahere. Disce ab illa semper ultimum locum tenere, & in Mystico Christi Corpore humilibus ac infimis te conjungere.

Punct. II. *Martha autem satagebat circa frequens ministerium: quæ stetit, & ait: Domine non est tibi curæ, quòd Soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet.* v. 40. Laudanda est, & imitanda diligentia Marthæ in functionibus Vitæ Activæ, in utilitatem Proximi sive Spiritualem, sive temporalem & corporalem ordinatis; sed vitanda est nimia solicitudo, & neglectus Rerum Spiritualium, sive Vitæ Contemplativæ: hæc enim est illa Soror, quæ te *adjuvet*: ideo Christus Marthæ respondit: *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima*, quorum solicitudo animum turbans non est necessaria. Itaque Martha debet juvare Mariam, & Maria Martham.

Punct. III. *Porrò unum est necessarium. Maria optimam Partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* v. 42. Illud unum necessarium, quò omnis cura, & solicitudo convertenda est, & propter quod omnes curæ animum turbantes, amputandæ sunt, consistit in procuratione Beneplaciti Divini, & inde obtinendæ Salutis Æternæ, quæ procuratio partim habetur per operationes Vitæ Activæ, partim per operationes Vitæ Contemplativæ, quæ sunt optima pars, nunquam

auferenda; quia in Cælo cessante Vita Activa, quæ nunc Contemplationi, velut altera pars, moderatè miscenda est, non cessabit. Itaque hîc Contemplatio præferenda quidem est Vitæ Activæ, sed non sequeranda à toto, cujus est optima Pars.

MEDITATIO CCCLIII.

De eadem Martha, & Magdalena mysticè acceptis.

PUNCTUM I. Considera verba, in primo Puncto præcedentis Meditationis relata, in sensu mystico & accommodatitio de Christi ingressu in hunc mundum ad Martham & Mariam, id est, ad Ecclesiam militantem, & ad MARIAM Virginem in Cælos assumptam intelligi: ideóque in Missa Festi Assumptionis legitur hoc ipsum Evangelium. Itaque oculis mentis aspice B. Virginem in Throno inferiori post Christum, & sic quasi ad pedes Filij sui in Cælis considentem, & audientem Verbum illius, quo scilicet Christus æterna Sapientia Patris communicat Gloriosissimæ Matri Thesauros Scientiæ & Sapientiæ suæ. Perpende, & gratulare Matri ingens hoc Gaudium, quod Glorioſa cum Filio Glorioso per novam istam, nec amplius dissolvendam conversationem habebit. Hoc est Præmium illius, quia Evangelicam Christi Doctrinam, & Verbum ejus, secum in terra degentis, attentissimè audiebat, & observando custodiebat, implebátque illud S. Lucæ testimonium: *Et Mater ejus conservabat omnia Verba hæc in corde suo.* C. 2. V. 51. Hoc jus gaudij desiderio tenebatur S. Paulus, cupiens dis-

solvi

solvi, & esse cum Christo. Ejusdem Spe 1. Thessal. 4. v. 16. solatur nos dicens: *Et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.* Sic ergo cum Maria ad Christi pedes sedebunt, *& Verba Vitæ Æternæ* audient, qui in terra audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud: qui scilicet ritè percipiunt & exequuntur Christi Evangelicam Doctrinam, Præcepta, Consilia, Monita, internas Inspirationes &c, & ita per omnia B. Virginem sibi imitandam proponunt in terris.

Punct. II. Considera, Ecclesiam militantem præsentiâ in Cælos Assumptæ Virginis destitutam, de sua solitudine modestè conquerentem dicere: *Domine, non est tibi curæ, quòd Soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet.* Luc. 10. v. 40. Perpende, quomodo Christus annuat huic querelæ, & Matrem in Cælesti Solio secum considentem, simul constituat Adjutricem Ecclesiæ militantis, conferendo illi summam Potentiam, & Misericordiam, quæ licèt in terra fuerit maxima, ex clarissima tamen Visione Misericordiæ Divinæ, ad Imitationem sibi propositæ, suo modo quoad intensionem, & extensionem in immensum excrescit. Itaque tu omnem minùs rectè ordinatam solicitudinem, & animi turbationem depone, & assume magnam Fiduciam, quòd nec in vita, nec in morte Maria te solum sit derelictura, quin te adjuvet, & adsit tibi in omnibus actionibus, & in omnibus necessitatibus; modò etiam tu coopereris impetratis auxilijs Gratiæ, & sic adjuves Mariam.

Punct. III. *Maria optimam Partem elegit, quæ non auferetur ab ea,* v. 42. Considera, quomodo inter co-

hæredes Christi Glorioſiſſimæ Matri optima Pars attributa ſit, ita ut portio Cæleſtium Bonorum & Gaudiorum, quæ illi obtigit, plurimùm excedat omnium aliorum SS. Angelorum, & hominum, in unum etiam collatas portiones; nam tali modo etiam omnes ſuperavit Gratiâ. Unde de illa dicitur Proverb. 31. v. 29. *Multæ filiæ congregaverunt divitias, Tu ſupergreſſa es universas.* Optimam ergo Partem elegit MARIA, quia ſemper optimam elegit Operationem meritoriam, & eandem optimo modo operata eſt, & ideo ad ſummam etiam Sanctitatem, & plenitudinem Gratiæ, & inde ad ſummam Gloriam in Cælis pervenit, quæ nunquam auferetur ab ea. Unde licèt Maria Magdalena forſan timuerit, ne juberetur à Chriſto ſurgere, & juvare Sororem Martham, MARIA tamen Gloriosa penitus ſecura, & certa Partis ſuæ ſibi nunquam auferendæ, eâdem per totam æternitatem beatiſſimè fruitur. Talia Gaudia, procul miſſis vilibus terræ ſolatijs, & talem Partem nunquam tollendam tibi elige, & eandem ſimili modo operandi, ſemper perfectiore, promerere, æmulans Chariſmata meliora. Itaque imitare electionem prudentiſſimam, & gratulare MARIÆ optimam Partem, nunquam auferendam.

MEDITATIO CCCLIV.

Chriſtus modum orandi Diſcipulos docet. Luc. 11. v. 1.

PUNCTUM I. *Et factum eſt: cùm eſſet in quodam loco orans, ut ceſſavit, dixit unus ex Diſcipulis ejus ad eum: Domine,*

Domine, doce nos orare, ſicut docuit & Joannes Diſcipulos ſuos. Luc. 11. v. 1. Sine dubio externâ Reverentiâ, & Devotione Chriſtus deſiderium iniecit rectè orandi; & quia hoc ſpeciale Bonum eſt, ſuperans vires hominis naturales; ideo meritò à Chriſto Diſcipulus quidam id rogavit. Unde patet, quantùm Reverentia, & Devotio externa orantis, ſerviat ad Devotionem in alijs excitandam; & unde hoc ipſum Donum petendum ſit: præterea inde elucet, quàm diligenter ipſi Orationi præmittenda ſit inſtructio ad bene orandum, quæ fit per ipſam præparationem ad orandum, hortante Eccleſiaſtico c. 18. v. 23. *Ante Orationem præpara Animam tuam: & noli eſſe, quaſi homo, qui tentat DEVM.*

Punct. II. *Et ait illis: Cùm oratis, dicite: Pater, Sanctificetur Nomen tuum. &c.* v. 2. Pleniùs hanc orandi formulam refert Matthæus c. 6. v. 9. ubi diſtinctè exprimit Petitionem tertiam, & ſeptimam, à S. Luca in prima, & ſexta incluſam, quam formulam Chriſtus vel bis tradidit, vel S. Matthæus eam per anticipationem, loco tamen opportuno, retulit. Hinc ergo conſidera puncta, quæ à Deo petenda ſunt, & in quibus omnia Bona Spiritualia & corporalia, æterna, ac ac temporalia includuntur.

Punct. III. Diſce præterea ex Parabola à v. 5. relatâ, modum in Oratione tenendum. 1. ut cum Confidentia. 2. cum Perſeverantia. 3 cum Efficacia Devs oretur. Primum fiet conſideratione, quòd Devs nos amet tanquam Amicus, imò tanquam Pater noſtrî amantiſſimus. Secundum fiet conſideratione, quòd, ſicut importunitas perſeverantiæ per moleſtiam generatam extorquet beneficium petitum ab homine,

sic honestas Perseverantiæ evincat per complacentiam Beneficium petitum à DEO. Tertium fiet observatâ hac triplici Orationis instantiâ. Luc. 11. v. 5. *Et ego dico vobis: Petite & dabitur vobis: Quærite, & invenietis: Pulsate, & aperietur vobis.* Primum simplicem rei desideratæ propositionem, Secundum attentionem, & intensionem animi, Tertium Operum Meritoriorum additionem denotat. Petitur voce, quæritur mente, pulsatur manu, & opere. Parabola, quâ hæc omnia indicantur, ita habet: *Et ait ad illos: Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum mediâ nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum, & ille de intus respondens dicat: Noli mihi molestus esse, jam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere, & dare tibi. Et si ille perseveraverit pulsans: dico vobis, & si non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, & dabit illi, quotquot habet necessarios. Et ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis: Quærite, & invenietis: Pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit: & qui quærit, invenit: & pulsanti aperietur. Quis autem ex vobis patrem petit panem; nunquid lapidem dabit illi? aut piscem; nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum; nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos, cùm sitis mali, nôstis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater vester de Cælo, dabit Spiritum Bonum petentibus se?*

Luc. 11. à v. 5.

MEDI

MEDITATIO CCCLV.

Christus ad Pharisæi prandium vocatus, Hypocrisin, aliáque vitia castigat. Luc. 11. v. 37.

PUNCTUM. I. *Et cùm loqueretur, rogavit illum quidam Pharisæus, ut pranderet apud se. Et ingressus recubuit. Pharisæus autem cæpit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium*: Luc. 11. v. 37. id est, quare non laviſſet manus. Judæi enim ex multiplici lotione corporis, & vasorum adusum necessariorum, Justitiam quandam & Munditiem Legalem sibi fingebant. Considera, quòd sicut iste Pharisæus, qui non tantùm invitaverat, sed etiam rogaverat Christum, ut secum prandere dignaretur, foris summam humanitatem, familiaritatem, synceritatem, reverentiam &c. illi exhibebat, in animo autem eundem contemnebat, carpebat, aversabatur, & omnes ipsius actiones observabat, ac quantum poterat, perperam interpretabatur; sic plurimi dentur ejusmodi simulati amici, præsertim apud Sæculares, qui foris, & intus idipsum agunt, quod prædictus Pharisæus. Unde familiaritas, & conversatio cum illis in tantum admittenda est, quantùm exigit Spiritualis illorum Utilitas, & Salus, propter quam Christus prandio adhiberi se passus est. Interea cavendum, ne quidquam in nobis justo vituperio, vel contemptu dignum adverti finamus; quia in Religiosis etiam leves & apparentes solummodo defectus facilè notantur, & culpantur. Illud etiam faciendum, quod dicitur de

Christo. Joan. 2. v. 24. *Ipse autem JESUS non credebat semetipsum eis, eò quòd ipse nôsset omnes, & quia opus eius non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.*

PUNCT. II. *Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisæi, quod deforis est calicis, & catini, mundatis: quod autem intus est vestrûm, plenum est rapinâ & iniquitate.* v. 39. Etiamsi hac superstitione Legalis Munditiei non teneamur, naturali tamen animi inclinatione volumus omnia habere munda, nitida, & pulchra, quæ exteriùs possidemus; quid nî etiam Animam & Conscientiam semper curemus habere mundam & nitidam? Aliud hujus internæ Munditiei incitamentum insinuavit Christus v. 40. proximè sequenti: *Stulti, Nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod de intus est, fecit?* Si ergo Anima est Opus DEI, nullo peccato, sitem lethifero commaculanda est, ne per istud destruatur Opus DEI. Itaque monet S. Paulus Rom. 14. v. 20. *Noli propter escam* (aut propter aliam creaturam, voluptatémve illicitam) *destruere Opus DEI.* Si peritissimi pictoris imaginem fædare, artifici injuriosum est; impium est, maculâ deturpare Animam, quam DEVS ad Imaginem, & Similitudinem suam fecit.

PUNCT. III. *Væ vobis Pharisæis, qui decimatis mentham, & rutam, & omne olus, & præteritis Judicium, & Charitatem DEI. Hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.* v. 42. nempe & mortalia & venialia peccata fugienda sunt. *Væ vobis Phærisæis, qui diligitis primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro.* v. 43. *Væ vobis, quia estis, ut monumenta, quæ non apparent, & homines, ambulantes suprà, nesciunt.* v. 44. quàm scilicet fædum

fædum cadaver intus lateat. Itaque vel maximè ab internis & occultis peccatis Anima munda ſervanda eſt; & ab appetitu honoris, qui multorum peccatorum radix eſt; & ab iniquo, ac temerario judicio adversùs Proximum; & ab omni eo, quod Charitatem Dei tollit.

MEDITATIO CCCLVI.

Chriſtus imploratur Iudex dividendæ Hæreditatis. Luc. *12.* v. 13.

Punctum I. *Ait autem ei quidam de turba* (dum publicè ad populum diceret) *Magiſter, Dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem. At ille dixit illi: Homo, quis me conſtituit judicem, aut diviſorem ſuper vos?* Sic à negotijs ſæcularibus, vel à Statu, Vocatione, vel proprio Officio alienis, & impedientibus, aut nimiùm diſtrahentibus, abſtinendum eſt, etiamſi in ſe bona, & honeſta eſſent. Imò cum ijs hominibus commercium refugiendum eſt, qui hujusmodi requirunt. Hinc velut ignoto Chriſtus dixit: *Homo.* Et Luc. 10. cùm ſeptuaginta duos Diſcipulos mitteret binos ante faciem ſuam, præcepit illis: *Neminem per viam ſalutaveritis*: ne hujusmodi familiaritate, vel non neceſſario colloquio à munere Prædicandi ſe ullatenus diſtrahi, vel retardari ſinerent.

Punct. II. *Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens* (occaſione, hæreditatem & divitias appetentis) *Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit: & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, deſtruam*

horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea. v. 16. Sicut cura inordinata augendi res temporales avaritia est, sic studium augendi Bona Æterna Providentia est; ut itaque homo ille avaritiam evitâsset, & Providentiam suam demonstrâsset, suum animum potiùs, quam horrea, capaciorem & ampliorem reddere debuisset ad Cælestia & Æterna Bona recipienda. Tu ergo abdicatione omnium rerum temporalium, destrue angusta horrea, solummodo capacia eorum bonorum, quæ congregantur cum labore & solicitudine, & transeunt cum celeritate; & dilata animum, ad congreganda Bona plurima, maxima, & Æterna: thesaurizatibi, ut sis *in DEVM dives*, id est, meritis ergo DEVM. Hanc Sapientiam disce ex similitudine hujus hominis divitis.

PUNCT. III. *Dicam Animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi DEVS: Stulte hac nocte Animam tuam repetunt à te: quæ autem parâsti, cujus erunt? Sic est, qui sibi thesaurizat, & non est in DEVM dives.* v. 19. Hæc nempe est vera stultitia: promittere sibi longam vitam, tempore brevissimo finiendam; putare esse vera bona, & esse sua bona, quæ hinc auferri non possunt, sed alijs sunt relinquenda: vicissim nulla habere bona, vel nonnisi pauciſſima, de quibus quærenti: *Cujus erunt?* respondere possis: *Mea.* Cujusmodi sunt sola Opera Bona. Ideo S. Joanni Apoc. 14. v. 13. dixit DEVS: *Scribe: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis: Opera enim illorum sequuntur illos.*

MEDI-

MEDITATIO CCCLVII.

Nimia terrenarum rerum solicitudo abijcienda. Luc. 12. v. 22.

PUNCTUM I. *Dixitque ad Discipulos* (ad omnium quidem Fidelium, maximè tamen Religiosorum, voluntariam Paupertatem profitentium, instructionem) *Ideo* (propter priorem similitudinem hominis, *Qui sibi thesaurizat, & non est in DEVM dives.* Luc. 12. v. 21.) *dico vobis: Nolite solliciti esse Animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini.* Luc. 12. v. 22. Rationes autem deponendæ solicitudinis ejusmodi Christus adducit sequentes. 1. Quia, qui dedit id, quod est plus, non negabit id, quod est minus, tanquam immemor, aut pœnitens Beneficij. Hinc ait v. 23. *Anima plus est, quàm esca; & corpus plus, quàm vestimentum.* 2. Quia qui providet creaturis irrationabilibus & vilissimis de necessarijs; qui nimirum crocitantibus corvis præbet alimentum, & citò arescentibus lilijs agri vestimentum colorum, is multò magis providebit creaturis rationabilibus. *Considerate corvos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cella, neque horreum, & DEVS pascit illos. Quantò magis vos pluris estis illis?* v. 24. *Considerate lilia, quomodo crescunt, non laborant, neque nent; dico autem vobis, nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur, sicut unum ex istis.* v. 27. Et v. 28. *Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, DEVS sic vestit: quantò magis vos pusillæ fidei?* 3. Quia ipsa solicitudo nostra prorsus est inutilis, & inefficax. Hinc v. 25. & 26. dicit: *Quis autem vestrûm*

cogitan-

cogitando potest adjicere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque, quod minimum est, potestis, quid de cæteris solliciti estis? 4. Quia hæc solicitudo dedecet Fideles majora Bona sperantes, ad majora etiam natos, tanquam Filios & Hæredes DEI. Unde gentilibus eam relinquendam monet. v. 30. *Hæc enim omnia gentes mundi quærunt.* 5. Quia DEVS tanquam amantissimus Pater scit, potest, & vult, Filijs suis de necessarijs providere. *Pater autem vester scit, quoniam his indigetis.* v. 30.

PUNCT. II. *Veruntamen quærite primùm Regnum DEI, & Justitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.* v. 31. Hanc unicam vult DEVS esse solicitudinem nostram, nempe ut Regnum DEI intentione & executione omnium actionum nostrarum quæramus. *Quia complacuit Patri vestro, dare vobis Regnum.* v. 32. Et ut pro hoc obtinendo quæramus Justitiam ejus, quâ nempe ipsum promeremur, & quâ Cælites imitamur. Hanc Justitiam petere Christus nos docuit & quærere, his Orationis Dominicæ verbis: *Fiat Voluntas tua, sicut in Cælo, & in Terra.*

PUNCT. III. *Facite autem vobis sacculos, qui non veterascunt, Thesaurum non deficientem in Cælis: quò fur non appropiat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.* v. 33. Non tantùm itaque quæramus Regnum DEI, sed etiam Thesauros in eodem Regno, qui nec oblivione veterascunt, nec clàm auferri, nec corrumpi possunt. Tales Thesauri sunt Bonorum Operum Merita, quæ semper integra nobis manent. Hos Thesauros æstimemus præ bonis terrenis, sive necessarijs, sive non necessarijs, ut illos præ istis amemus. Ubi enim Thesaurus noster est,

per intellectum repositus, ibi & cor nostrum erit; quia eò per cordis & voluntatis affectum feremur.

MEDITATIO CCCLVIII.

Lumbis Præcinctis, & Lucernis ardentibus, Præparatio ad Mortem designatur.

Luc. 12. v. 35.

PUNCTUM I. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum, quando revertatur à nuptijs, ut, cùm venerit, & pulsaverit, confestim aperiant ei.* Luc. 12. v. 35. Postquam Christus Discipulos suos à solicitudine rerum temporalium dehortatus fuerat, adhortatur illos hac similitudine ad solicitudinem Rerum Æternarum, felici morte obtinendarum: & ad eam obeundam ita vult esse paratos, quemadmodum, qui lumbos præcinxit, est paratus ad ambulandum sine impedimento, quod pedes vel retardare, vel etiam ad lapsum implicare solet, præsertim quando sursum ascendendum est. Itaque qui pedes, id est, affectus suos ab omni re terrena, voluptate, honore, conversatione, & amicitiâ humanâ &c. liberos habet, & hæc omnia statim deserere paratus est, memor, quòd in Cælo longè majóres Honores, Voluptates, Divitiæ, Amici &c. acquirantur, nec ulla morte ampliùs tollantur, ille lumbos jam habet præcinctos, & exspectat Christum, è Nuptijs Cælestibus ad se redeuntem, ac comitandum ad illud grande conclave, ubi vigilantibus Servis Cænam Magnam instruet, & transiens ministrabit. Alius adhuc necessarius modus

dus lumbos præcingendi est, tollere nimirum omnem reatum pœnæ, in Purgatorio persolvendæ; hæc enim nos, quò minùs è terris ad Cælum statim ascendamus, aliquamdiu adhuc retardat. Itaque affectu omni Bona terrena deserere, hoc ipso, quòd terrena, v lissima, vanissima, & per mortem brevi, etiam inv tis, re ipsa tollenda sint; proinde nullo eorum ad lon giorem vitam ac usum allici se sinere, libenter mori ab omni reatu peccati liberum esse, post mortem Cælum statim intrare posse, & esse cum Christo, lumbos restringere est.

Punct. II. Considera etiam, quid sit, lucernas ardentes in manibus tenere. Nempe lucernæ in ma nibus sunt Opera Bona; sine Gratia tamen Sanctifi cante sunt velut lucernæ, aut lampades extinctæ; ut itaque ardeant lucernæ, Lux Gratiæ necessaria est. Ne ergo ullo gravis peccati flatu, vel olei, id est, Bonorum Operum defectu, Gratia extinguatur, diligentissimè cavendum est.

Punct. III. *Beati Servi illi, quos, cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt Servi* illi. v. 37. Quandoquidem certum est, Dominum esse venturum, simul tamen etiam incertum est, an Dominus in prima, vel secunda, vel tertia noctis, id est, vitæ hujus tenebrosæ, vigilia, nempe an in ætate juvenili, virili, vel senili sit venturus, & an hac vel illâ horâ; ideo constanter lumbos præcinctos, & lucernas ar dentes per omnem ætatem, imò per omne momen tum esse oportet, ita ut statim sine ulla alia præpara tion

tione mori possis. Neque grave sit, ita semper vigili oculo in obsequijs stare, & Dominum exspectare, breve enim omne hoc tempus est, quo DEO servimus; quando autem ipse faciet nos discumbere, & transiens ministrabit nobis, tempus illud æternum est. Quis ergo pro æterno Ministerio Domini non præstet illi Ministerium temporale? Hanc continuam Vigilantiam in Obsequijs Domini, & præparatam Adventûs illius exspectationem, declarat Christus alia similitudine. v. 39. *Hoc autem scitote, quoniam si sciret Paterfamilias, quâ horâ fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Adeóque in illam horam etiam paratus esse debes, quâ non putas te moriturum. Neque enim per verba illa: *Non putavi*: negligentiam præparationis excusabis, sed potiùs accusabis.

MEDITATIO CCCLIX.

De Prudenti Cura Animarum.

Luc. 12. v. 41.

PUNCTUM I. Postquam finiêrat Parabolam de præparatione continua ad mortem: *Ait ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc Parabolam, an & ad omnes? Dixit autem Dominus* (non directè respondendo, sed subiungendo Parabolam specialem ad Discipulos, & ad eorum in Cura Animarum gerenda successores, indicans, priorem non fuisse specialem ad Discipulos, sed generalem ad omnes; quia nemo scit horam mortis suæ, & quisque pro omni hora debet esse paratus)

Quis

Quis, putas, est Fidelis Dispensator & Prudens, quem constituit Dominus super Familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille Servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit sic facientem. Beatus nempe, qui hominibus Prædicationis, Directionis, Gubernationis [illegible] curæ commissis, tritici, id est, Verbi Divini, instructionis, directionis, admonitionis, correctionis, reprehensionis &c. debitam mensuram præstiterit, & suo tempore præstiterit: & neque fuerit nimis parcus ac remissus, ut neglexerit dicere, aut facere ea, quæ debuisset facere, aut dicere: neque nimis prolixus, aut severus, ut multitudine, vel sublimitate dictorum, capacitatem Auditorum superaverit, patientiam fregerit, rerum difficultate terruerit, nimia admonitione, reprehensione, castigatione irritaverit, vel alienaverit &c. Utroque enim modo, si scilicet vel non det, quod, & quantum debet; vel nimium det, & quasi dilapidet, non meretur aliquis laudem, ac præmium Dispensatoris Fidelis, & Prudentis sive Discreti: sicut etiam, si non dat suo tempore, quo scilicet Auditor est dispositus & indigus, ut recipiat sanam Doctrinam, aut rectam Disciplinam. Quale autem Præmium Fidelis & Prudens Dispensator, aut quale supplicium infidelis & imprudens recipiat, denunciavit Christus sequentibus verbis. v. 44. *Verè dico vobis, quoniam super omnia, quæ possidet, constituet illum* (in Cælo per Visionem Beatificam se totum illi communicando) *Quòd si dixerit Servus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire: & cæperit percutere servos & ancillas* (id est, quocunque modo offendere, ac lædere graviter) *& edere, & bibere, & inebriari* (id est, potestate sua abuti ad voluptates & honores) *veniet Do-*

mi-

minus servi illius in die, quâ non sperat, & horâ, quâ nescit, & dividet eum (separabit nimirum à se, & à Societate Sanctorum) *partemque ejus cum infidelibus ponet.* Nempe haud aliter, quàm is, qui non crediderit, condemnabitur. Id, quod de Fideli Dispensatore dictum est, aut de infideli ac imprudenti, etiam continget Servo bono, & Fideli; aut econtrà servo nequam, si non suo tempore, & justâ mensurâ debita obsequia reddat Domino, ac Discretione utatur: ideo *In omni oblatione tua offeres Sal.* Levit. 2. v. 13.

Punct. II. Ulteriùs Discipulis suis, tanquam majorem notitiam Divinæ Voluntatis habentibus, pro responsione ad Petri quæstionem Christus dixit v. 47. *Ille autem Servus, qui cognovit Voluntatem Domini sui* (sicut maximè Religiosi, & in Rebus Asceticis versati agnoscunt) *& non præparavit* (scilicet seipsum ad faciendam Voluntatem Domini) *& non fecit secundùm Voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit* (cognitione tam clara, ac perfecta, vel qui minùs culpabiliter ignoravit) *vapulabit paucis.* Tu ergo, qui Divinorum Præceptorum, & gravitatis peccati satis claram notitiam habes, tantò ampliùs caveas Voluntatis Divinæ trangressionem.

Punct. III. Pergit Christus ad Apostolos, & ad eos, qui similia Talenta, ac media propriæ & alienæ Salutis procurandæ acceperunt, loquens: *Omni autem, cui multum datum est, multum quæretur ab eo: Et cui commendaverunt multum* (ut Curatoribus Animarum, & Superioribus) *plus petent ab eo.* Ne ergo esto velut servus nequam & piger, qui Talentum suum in sudario abscondit; sed ad propriam Perfectionem secundùm datam Gratiam exardesce, & Zelo flagra

ad alios DEI Amore inflammandos. Ideo subjunxit Christus. v. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?*

MEDITATIO CCCLX.

In Sabbato Mulier Contracta sanitati restituitur. Luc. 13. v. 10.

PUNCTUM I. *Erat autem docens in Synagoga eorum Sabbatis. Et ecce Mulier, quæ habebat Spiritum infirmitatis* (id est, infirmitatem à malo Spiritu causatam, ut dicitur v. 16.) *Annis decem & octo; & erat inclinata, nec poterat sursum respicere.* Luc. 13. v. 10. Miseriores hac Muliere sunt, quorum voluntas ita est inclinata ad bona terrena, ut eadem semper desiderent, in omnibus actionibus intendant, & mentem inter orandum vel operandum nunquam vel rarò ad DEVM elevent: quibus dici potest: *O curvæ ad terras Animæ!* An non plus, quàm octodecim annis mens tua tali modo est inclinata? Adverte autem remedium à Christo adhibitum: *Quam cùm videret JESVS, vocavit eam ad se, & ait illi: Mulier dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat DEVM.* Sic, quando Christus vocat aliquem ad se, nempe ad Vitam Religiosam, vel ad Recollectionem animi per Exercitationes quasdam Spirituales, & quando manum imponit, dando auxilia Gratiæ, conferendo Beneficia, infligendo pœnas, erigitur animus, ut sursum respiciat, per Orationem & bonam Intentionem mentem elevet, & per Aspirationes ad DEVM Conversatio ipsius in Cælo sit.

PUNCT

PUNCT. II. *Respondens autem Archisynagogus indignans, quia Sabbato curâsset JESUS, dicebat turbæ: Sex dies sunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die Sabbati.* v. 14. Falsum dicit Archisynagogus: sicut enim DEUS semper nobis benefacit, nullo die excepto; sic semper oportet nos operari Opera Bona, & curam gerere Salutis Animæ nostræ. Ne itaque ab hoc sinamus nos impediri siniſtris aliorum judicijs, oblocutionibus, murmurationibus, &c.

PUNCT. III. *Respondens autem ad illum Dominus, dixit: Hypocritæ, unusquisque vestrûm Sabbato non solvit bovem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbati?* v. 15. & 16. Sic sæpe homines majorem curam gerunt animalium suorum, ex. gr. equi, illum reficiendo, pectendo &c. quàm tu Animæ tuæ. Erga Proximum verò considera motivum Amoris, quia est filius non tantùm Abrahæ, sed DEI Creatoris & Redemptoris.

MEDITATIO CCCLXI.

De Sanato Hydropico.

Luc. 14. v. 1.

PUNCTUM I. *Et factum est, cùm intraret domum cujusdam Principis Pharisæorum, Sabbato manducare panem, & ipsi observabant eum.* Sic ubique quidem, & semper habemus nostros obsservatores, præsertim autem apud Principes & præcipuas Personas, atque in mensis ac convivijs Sæcularium. Itaque Boni Exempli

odorem ubique spargas, honori & famæ tuæ, ac tu-
rum consulas, & quantum fieri potest, hominum
non necessaria consortia, ac convivia fugias.

Punct. II. *Et ecce homo quidam Hydropicus er*
ante illum (extra vel intra domum depositus, vel e
Fiducia Amicorum, vel insidiis Pharisæorum, ut vide-
rent, num Christus Sabbato curaret) *Et respondens*
JESVS, dixit ad Legisperitos, & Pharisæos dicens: si licet
Sabbato curare? at illi tacuerunt. v. 3. Sic tempore S.
Communionis, quando Christus intrat domum
tuam, expone illi animi tui morbos: & confide,
quòd ex illius parte nulla mora collationem Sanitatis
sit retardatura. Devita etiam politicam, & mali-
gnam Pharisæorum taciturnitatem, quando syncere
loquendum esset. Nec fide hominum silentio; sed
cogita, illud, te recedente, in sinistros sermones erup-
turum, per quos tamen ab operibus Charitatis non
sinas te ex vano respectu impediri.

Punct. III. *Ipse verò apprehensum sanavit eum, ac*
dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrûm asinus
aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die
Sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. v. 4. Mul-
tò minùs ergo tuam, vel Proximi Animam differas
à peccati lapsu extrahere, vel Purgantes Animas ex
Purgatorij puteo eripere, vel ex profundo pravæ
consuetudinis educere immersam voluntatem. Ca-
ve etiam, ne quemquam à te dimittas eorum, qui
opem tuam implorant, nisi sanus & melior fa-
ctus, & ope tua adjutus sit, licèt Sabbato, vel
importuno tempore, quieti propriæ
destinato, accesserit.

MED

MEDITATIO CCCLXII.

Christus invitatos ad Humilitatem, invitantes ad Misericordiam hortatur.

Luc. 14. v. 7.

PUNCTUM I. *Dicebat autem & ad invitatos Parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo; & veniens is, qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco: ut cùm venerit, qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superiùs. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.* Considera, quid juxta hanc Parabolam sit in novissimo loco recumbere; nempe inter invitatos ad Cælestes Nuptias in hac vita infimum semper eligere; infimum officium, infimum vestitum, habitationem, tractationem corporis, infimum locum in congressibus, infimam æstimationem apud homines. Sic Christus pro loco Nativitatis suæ elegit Stabulum, pro Matre, Patre Nutritio, Cognatis, Discipulis, Auditoribus Evangelicæ suæ Prædicationis, infimæ coram Mundo conditionis homines. Mortem subivit Crucis maximè infamem, & in loco maximè infami, inter duos Latrones. Hinc Isaias c. 53. v. 3. appellavit illum *Despectum, & novissimum virorum.* Sequere ergo Exemplum, & Consilium Christi pro tempore hoc brevissimo, quod comparatione Æternitatis longè minus est, quàm unum momentum. Inde autem consur-

get tibi Honor & Gloria per totam Æternitatem, coram omnibus simul recumbentibus Angelis & hominibus.

Punct. II. *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* v. 11. Si nimirum istud non fictè, sicut apud invitatos convivas fieri solet, sed ex corde fiat; ut quis sentiat, sibi competere novissimum locum, & eundem ex corde appetat, quemadmodum Christus erat *Humilis corde.* Matth. 11. v. 29. Ecce ingens Præmium veræ Humilitatis: quod partim confertur in hac vita; quia Humiles in animis omnium rectè sentientium exaltantur, superbi autem humiliantur & contemnuntur: partim in altera Vita; quia eò major es in Cælo, quò Humilior in Terra.

Punct. III. *Dicebat autem & ei, qui se invitaverat: Cùm facis prandium, aut cænam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites: ne forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & Beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in Resurrectione Justorum.* v. 12. Ita simplex ac rectus debet esse noster Finis, & Intentio nostra in beneficijs & obsequijs Proximo exhibendis, ut nimirum nihil temporale respiciamus, non amicitiam, non cognationem, non habitationis, aut patrij soli propinquitatem, non divitias, non retributionem; sed præcisè Deum in Proximo, etiamsi iste multa in se habeat contemptibilia, & bonis corporis, ac fortunæ destitutus sit. Unde ingratitudo hominum non tantùm non impedire, sed etiam allicere ad bene faciendum nos deberet. Adverte etiam, quomodo Christus ip-

ipsis quoque convivijs Spirituales & Pios Sermones miscuerit, tum invitanti, tum invitatis præbens salutaria, ac defectibus eorum accommodata monita.

MEDITATIO CCCLXIII.

Invitati ad Cænam se excusant.

Luc. 14. v. 15.

PUNCTUM I. *Hæc cùm audîsset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in Regno DEI. At ipse dixit ei: Homo quidam fecit Cænam Magnam, & vocavit multos, & misit servum suum horâ Cænæ, dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare.* Luc. 14. v. 15. Considera, per invitatos primùm designatos esse Judæos: nunc designari etiam Christianos, qui Fidem & media plurima acceperunt ad Cænam Magnam in Regno DEI paratam veniendi: hos autem varia impedimenta sibi assumere, quorum prætextu malitiosè sibi persuadeant, licitum esse, ut à Cæna hac emaneant; vel moraliter existiment impossibile, ut DEO, per Servum suum ad eam vocanti, pareant. *Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum.* v. 18. Iste prætendit curam necessariam rerum temporalium: *Et alter dixit: Juga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum.* v. 19. Ille prætendit multitudinem suorum laborum & negotiorum (huic dicitur Ezech. 28. v. 16. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccâsti: & ejeci te de monte DEI, & perdidi te.*) *Et alius dixit: Uxorem duxi, & ideo non possum*

venire. v. 20. Hic per voluptates carnales, moraliter ampliùs inevitabiles, sibi quodammodo impossibilem reddidit accessum. Considera horum trium miserum statum, & gaude, hæc impedimenta à te remota esse, neque illis ullatenus te sinas implicari, sed oppone illis amorem Paupertatis, curam Rerum Spiritualium, & fugam omnis voluptatis, quæ sensibus blandiri solet.

Punct. II. *Et reversus servus nunciavit hæc Domino suo. Tunc iratus Paterfamilias, dixit servo suo: Exi citò in plateas, & vicos civitatis: & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc.* v. 21. Per hos in sensu Literali à Christo designabantur Gentiles, qui, veluti prædicti miseri homines, Mundo erant contemptibiles, ideóque indigni censebantur Cænâ Regni Cælestis. In sensu Morali autem indicatur veritas à Christo manifestata, quinam Beatitudine sint potituri. Matth. 5. v. 3. *Beati Pauperes Spiritu: quoniam ipsorum est Regnum Cælorum.* Et cap 18. v. 8. *Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & proiice abs te: bonum tibi est, ad Vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in Ignem Æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est, cum uno oculo in Vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in Gehennam ignis.* Esto & tu interistos voluntarios Pauperes, téque per continuam sensuum Mortificationem, ac eorum quasi abscissionem, & constantem usûs illiciti inhibitionem, à periculis illis, in quæ aliàs blanditijs suis præcipitare solent, liberum redde, ut cum invitatis ad Cœnam hanc Magnam admitti merearis.

Punct. III. *Et ait servus: Domine factum est, ut*

imperàsti, & adhuc locus est. Et ait Dominus servo: Exi in vias & sepes: & compelle intrare, ut impleatur Domus meà. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit Cœnam meam. v. 22. Per illos, quos servus compellit intrare, intellige eos, quibus Deus subtrahit impedimenta divitiarum, honorum, & voluptatum hujus Mundi: & quibus largitus est Auxilia valde Efficacia, & moventia. Pro hac necessitate tibi injecta gaude, & fac ex necessitate, ac piâ violentiâ Virtutem, ut prompta ac devota voluntate Deo servias. Noli negligere Divinam Vocationem, ne & tu excludaris à gustatione Cœnæ: quæ nimirum in hac vita per Spiritualia Solatia præguſtatur; & in altera semper tali desiderio ac fame percipitur, quasi primùm fuisset gustata, ita ut semper novo gustu Voluptas illius sentiatur.

MEDITATIO CCCLXIV.

Christi Sectatores omnibus se abdicent.

Luc. 14. v. 26.

PUNCTUM I. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & Animam suam, non potest meus esse Discipulus.* Luc. 14. v. 26. Id est: nec dignus, nec aptus est fieri, vel manere Discipulus Christi; nec sub ejus Disciplina ad Victorias & Triumphos, de hostibus referendos, erudiri, ac inde ad prædam post relatas Victorias, & ad Æternæ Gloriæ Coronam à Christo velut Magistro ac Duce admitti meretur is, qui, quando Consanguinei, vel proprius appetitus sensitivus in-

clinant ad aliquid inhonestum, non se gerit velut eo-
rum hostem & inimicum, & ijs non fortiter repugnat
ac generosè resistit. Quod quidem omnes Chri-
sti Fideles, maximè autem Religiosi, qui præcip
Christi Disciplinam profitentur, sibi dictum exi
ment, ut malint quoscunque Propinquos offende
vel contristare; quàm in illorum gratiam malum fa
cere, vel bonum debitum intermittere, aut contra
rationem proprio appetitui aut cupiditati alicui in-
dulgere.

Punct. II. *Et qui non baiulat Crucem suam, & veni
post me, non potest meus esse Discipulus.* v. 27. Cru
nostra sunt quælibet adversa, ac contraria nostræ
voluntati, à Deo nobis immissa, aut per obliga-
tionem injuncta, aut unde unde provenientia. Ba-
julare autem est, de Divina Manu illa suscipere, subi-
re, patienter ferre &c. Post Christum venire, est il-
lum sequi, & imitari in odio suî, & suorum, & in fe-
renda Cruce. Hoc iterum maximè proprium sibi
vendicent Religiosi.

Punct. III. Quia, qui per Fidei Catholicæ, &
præsertim Vitæ Religiosæ Professionem ad Christum
venit, quasi turrim Perfectionis ædificare, & bel-
lum contra Mundum, Carnem, ac Principem tene-
brarum gerere incipit; ideo ad hoc ædificium perfi-
ciendum, & bellum feliciter consummandum, sibi
de sumptibus necessarijs providere debet: sumptus
autem necessarij sunt, re vel affectu renunciare omni-
bus bonis corporis, famæ, honoris, & fortunæ, quan-
tum ad evitandum peccatum mortale & veniale, vel
ad implendum Divinum Beneplacitum, necessarium
est. Hinc, postquam similitudinem de non habente

sufficientes sumptus ad ædificandam turrim, vel vires ad bellum, Christus adduxit, subjungit: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* v. 33. Exequere ergo tres conditiones, quas in prædicta Lectione vel Concione sua tribus his Punctis propositas, Christus requirit à suo Discipulo, præsertim eo, qui altiorem Perfectionis Scholam profitetur, & Disciplinæ ejus militari sub Vexillo Crucis jam adscriptus, sub tam præclaro Duce Stipendia meretur, ut omnes homines illius Suavi Dominio subijciat, ac crudeli Dæmonis potestati eripiat. Etiamsi enim primo intuitu & quoad speciem singulæ conditiones videantur difficiles, & graves, revera tamen non sunt: quia odium prædictum Consanguineorum & propriæ Animæ, revera est Verus & Syncerissimus Amor. Labor in ferenda Cruce brevis, & levis est, ipséque Christus Crucem sublevat, & vires roborat. Pro bonis temporalibus reddit æternos Thesauros in Cælo: Pro honore & gloria corruptibili, Honorem & Gloriam incorruptam, & nunquam corrumpendam. Præterea Christus sub Vexillo suæ Crucis militantes Discipulos amat, benignè habet, promissa stipendia fideliter solvit, Spolia, Triumphos, & Gloriam cum ipsis dividit, & Vitam illis perpetuam servat. Econtrariò Diabolus, cujus necesse est, ut sis discipulus, si Christi Discipulus non es, etiamsi ad divitias, honores, & voluptates invitet, hæc omnia solùm promittit, & falsò ostendit, non concedit, nec relinquit; sed pro his discipulos suos durè habet, crudeliter tractat, & quidem per totam Æternitatem, nec illis aliud, quàm vincula, carcerem, mortem, & supplicia, pro obsequijs sibi præstitis reddit.

MEDI-

MEDITATIO CCCLXV.

Christus prædicat in Encæniis.

Joan. 10. v. 22.

PUNCTUM I. *Facta sunt autem Encænia in Jerosolymis & hyems erat. Et ambulabat JESUS in Templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis JESUS: Loquor vobis, & non creditis: Opera, quæ ego facio in Nomine Patris mei hæc testimonium perhibent de me.* Joan. 10. v. 22. Sic Opera nostra Bona de nobis testimonium perhibeant, nos esse Filios DEI Adoptivos; quemadmodum Opera Christi Miraculosa de illo testimonium perhibuerunt, eum esse Filium DEI Naturalem. Sine operibus enim nec laudem apud homines, nec fidem, solis verbis nos jactantes, obtinebimus; nec apud DEUM Hæreditatem Æternam merebimur. Sicut enim Judæis aliquando Christus dixit: *Si Filij Abrahæ estis, Opera Abrahæ facite*: Ita si Filij DEI esse volumus, & Hæredes DEI, Cohæredes autem Christi, Opera DEI faciamus.

PUNCT. II. *Sed vos non creditis, quia non estis ex Ovibus meis* (id est, quia non vultis esse ex Ovibus meis, meam vocem audientibus) *Oves meæ Vocem meam audiunt* (audire autem est credere, & obedire Doctrinæ Christi) *& Ego cognosco eas, & sequuntur me* (id est, Exemplum meum) *Et Ego Vitam Æternam do eis, & non rapiet eas quisquam de Manu mea.* v. 26. Esto & tu ex Ovibus Christi. Si audis Vocem docentis, & seque-

ris

ris Exemplum præeuntis, agnoscet te, ut dirigat te, & pascat, vitámque tuam servet, & protegat contra rapaces lupos, & insidias Diaboli.

Punct. III. *Pater meus, quod dedit mihi* (communicando suam Naturam Divinam) *majus omnibus est* (id est, omnibus rebus creatis) *& nemo potest rapere de Manu Patris mei*: nemo enim per suam infidelitatem, vel invidiam potest eripere id, quod mihi dat, quò minùs sim Filius Dei Naturalis. Sic etiam Gratia Adoptionis in Filium Dei est majus Bonum omnibus bonis creatis; & hanc nemo potest eripere, nisi ipsi velimus eam perdere per consensum in peccatum. *Ego & Pater Vnum sumus.* v. 30. Scilicet sumus Unum per eandem Naturam. Nos simus Unum per Gratiam, quâ reddimur consortes Divinæ Naturæ. Itaque idem etiam sentiamus, & idem velimus, & omnem separationem ac divisionem horreamus.

MEDITATIO CCCLXVI.

Continuatio Prædicationis.

Joan. 10. v. 31.

Punctum I. *Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis JESVS: Multa Bona Opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum Opus me lapidatis?* Joan. 10. v. 31. Hóccine meis Naturæ vires excedentibus Operibus, ac Beneficijs à vobis promeritus sum, ut me lapidare velitis? Simili modo Deus ex nobis quærere posset: Hóccine meis Beneficijs promeritus sum, ut me vestris peccatis quotidie impetere, atque obruere non vereamini? At tu non simili

mili modo retribuas DEO mala pro Bonis. Si ver homines mala pro beneficijs tuis tibi reddant, cogita Discipulum non esse supra Magistrum, & te non e majorem Domino tuo.

PUNCT. II. *Responderunt ei Judæi: De Bono Op non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo c sis, facis teipsum DEVM.* v. 33. Contrarium fecit Chr stus: nempe cùm DEVS esset, fecit seipsum hominem Quia *Cùm in Forma DEI esset, non rapinam arbitratus e esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit, in simili tudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo* Philipp. 2. v. 6. Verùm nos, sicut primi Parentes no stri volebant esse sicut Dij, sic per congenitam super biam semper volumus esse majores, quàm simus. Im tare ergo Christum pro superbia tua satisfacientem & infra omnes te demitte: nec super quenquam t effer. Et quia soli DEO debetur Honor & Gloria cave, ne te DEVM facias, hæc tibi appetendo.

PUNCT. III. *Respondit ei JESVS: Nónne scriptum est in Lege vestra: quia ego dixi: Dij estis? Si illos dixit DEOS, ad quos Sermo DEI factus est, & non potest solvi Scriptura: quem Pater Sanctificavit, & misit in Mundum vos dicitis: quia blasphemas: quia dixi; Filius DEI sum. Si non facio Opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, Operibus credite.* v. 34. Sicut Christus ex eo, quia à Patre Sanctificatus est per Sanctitatem increatam Naturæ Divinæ, & creatam, scilicet per Gratiam Sanctificantem, sibi spe ciali jure debitam, ostendit, se Filium DEI esse, adeo que DEVM: sic illud: *Dixi: Dij estis*: cura, ut de te cum veritate dicatur per semper inhærentem tibi Gra tiam Sanctificantem, quâ evadis consors Divinæ N tur

turæ: & ut Opera, Filij Dei propria, hanc veritatem confirment. Deinde perpende, quòd, ſicut Opera Miraculoſa Chriſti merebantur Fidem, ſic Opera Meritoria, & Satisfactoria mereantur Charitatem. Intuitu horum nobis reipſa dicit: Si me non vultis amare propter me, abſtrahendo à meis Operibus, & Beneficijs, propter Opera & Beneficia præſtita amate.

MEDITATIO CCCLXVII.

De Inventione Ovis perditæ.

Luc. 15. v. 1.

PUNCTUM I. *Erant autem appropinquantes ei Publicani, & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Phariſæi & Scribæ dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Luc. 15. v. 1. Non Phariſæos & Scribas, ſed ipſos peccatores imitare, quos peccando ſecutus es. Appropinqua Deo per Pœnitentiam, & audi illum per Obedientiam Mandatorum, ac pete inter peccatores recipi in Sinu Divinæ Miſericordiæ, quia Deus peccatores recipit: Cor enim Contritum, & Humiliatum non deſpiciet, & cum receptis in Gratiam manducabit, ſive in Menſa Euchariſtica, ſive in Menſa Cæleſti, ubi tranſiens etiam miniſtrabit illis; ſive in Menſa Spiritualis Solatij: Secura enim Mens, quaſi Juge Convivium.

PUNCT. II. *Et ait ad illos Parabolam iſtam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habeat centum oves, & ſi perdiderit unam ex illis, nônne dimittit nonaginta novem in deſerto, & vadit ad illam, quæ periêrat, donec inveniat eam?* v. 3. *Et cùm invenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.* v. 5.

v. 5. Sic DEVS non tantùm innumeram multitudi
nem Angelorum reliquit in Cælo, & Genus Huma
num in terra perditum quæsivit, donec inveniret, &
sub Crucis onere humeris imponeret: sed & te cu
Regio Vate Ps. 118. v. ult. precantem: *Erravi, sicut o
vis, quæ periit: quære Servum tuum*: Suavi & effica
modo, velut humeris portans, ab errore viæ tuæ r
vocavit. Quid nî igitur & tu singulari studio deince
cures Pastori tuo semper adhærere, eúmque Duce
sequi, id unum solicitus, ut à Piorum Cætu, *sive Viti*
Communi, nunquam ad ullam singularem & propri
appetitui accommadatiorem vivendi rationem defl
ctas. Gratus etiam agnosce Beneficium, quo DE
te humeris suis imposuit, protegendo, ne frequent
ad lapidem offenderes pedem tuum, & faciendo, n
in via Mandatorum DEI deficeres: útque hoc Bene
cium tibi deinceps etiam præstare pergat, stude e
ex ejus Ovibus Dilectis.

PUNCT. III. *Et veniens domum, convocat amicos
vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni O
vem meam, quæ perierat. Dico vobis: Quòd ita Gaudium
erit in Cælo, super uno peccatore Pœnitentiam agente, quàm
super nonaginta novem Justis, qui non indigent Pœnitentiæ*
v. 6. Non quidem erit istud Gaudium de Conversio
ne majus, quàm Gaudium de Perseverantia nonagin
ta novem Justorum: erit tamen Gaudium aliquod
speciale, quod speciali modo recreabit Angelos, &
Animas Beatas in Cælo, quo non delectat Gaudium
de Perseverantia multitudinis Justorum. Unde e
oppositò poterit etiam colligi ingens tristitia de aver
sione Justi à DEO. Itaque tam bene meritis Patronis
& Tutoribus tuis non tristitiam, sed gaudium affe
tu

tuâ & multorum à te reductorum hominum Conversione.

MEDITATIO CCCLXVIII.

Parabola de Filio Prodigo.

Luc. 15. v. 11.

PUNCTUM I. *Ait autem* (aliâ Parabolâ explicans Gaudium super uno peccatore Pœnitentiam agente) *Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis Patri* (utpote sicut junior, ita imprudentior; quemadmodum omnis peccans est imprudens) *Pater, da mihi portionem Substantiæ, quæ me contingit. Et divisit illis Substantiam* (quâ utendum fuisset ad negotiandum; sicut Gratiam Sanctificantem & Habitus Supernaturales Virtutum DEVS in hac vita secundùm portiones proportionatas Meritis distribuit, ut eas per Opera Virtutum augeamus) *Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregrè profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipavit Substantiam suam vivendo luxuriosè.* Sic omnis peccans mortaliter, dissipat Substantiam suam, nempe Gratiam Sanctificantem, Charitatem, & omnes Virtutes Morales, omniáque præcedentia Merita. Idque contingit, quia à Cælestis sui Patris conspectu longiùs discedit per oblivionem Divinæ Præsentiæ. Ne ergo tu tantorum Bonorum jacturam facias pro voluptate, aut bono temporali leviſſimo; sed DEVM tibi semper præsentem statue, & magni æstima tibi divisam Substantiam, finémque divisione intentum, ut non solùm non dissipes, sed augeas Substantiam Paternam.

Punct. II. *Et postquam omnia consummâsset, facta est fames valida in regione illa, & ipse cæpit egere. Et abiit & adhæsit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, & nemo illi dabat.* v. 14. Considera miserum statum peccatoris. Amissâ enim Gratiâ, & Habitibus Supernaturalibus, Voluntas non amplius reficitur Gustibus Spiritualibus Rerum Divinarum & Piarum Exercitationum. Et quia homo sine gaudio & pabulo Animæ esse non potest, sicut non potest esse sine cibo, ideo incipit servire Appetitui sensitivo; iste autem jubet pascere porcos, sensibus nimirum bestialibus pabulum præbere, eodémque pabulo nempe siliquis voluptatum, sensus oblectantium, cupit etiam Voluntas saturari; quas dum ad satietatem non obtinet (neque enim Voluntas potest cum porcis communi cibo saturari) hinc algore & fame boni alicujus, quo satiari se posse sperat, cruciatur, simúlque ignobili servitute ac turpissimarum voluptatum, velut siliquarum desiderijs, despicabilis redditur, ac illarum continuâ fugâ, & celeri transitu magis affligitur, quàm satiatur. Pudeat ergo Ingenuum ac Deo genitum Filium tam fœdæ servitutis, tædeat tam inhoneſtæ, moleſtæ, ac insatiabilis famis.

Punct. III. Considera, quomodo Gratia, excitans ad Pœnitentiam Justificantem, homini peccatori proponat felicitatem eorum, qui Deo serviunt Amore Filiali; & etiam eorum, qui Deo serviunt amore Mercedis Æternæ, & ideo Mercenarij vocari possunt. Vicissim verò considera, quomodo etiam proponat propriam infelicitatem, & periculum æternæ interitûs. Unde peccator ad saniorem mentem,

ad rationem ſuam rediens, iſtáque ſecum perpendens, concipit propoſitum Pænitentiæ, & ineundæ cum DEO novæ Amicitiæ; ut indicant illa verba: *In ſe autem reverſus dixit: Quanti Mercenarii in domo Patris mei abundant Panibus* (id eſt, Cibis & Medijs Spiritualibus ad augendam & nutriendam Gratiam, ac Guſtibus, & Solatijs veris & utilibus ad Vitam) *Ego autem hîc fame pereo! Surgam* (à peccatis meis, in quibus jaceo) *& ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cælum & coram te* (nempe in DEVM, qui in Cælis eſt, & qui Pater eſt noſtrî amantiſſimus) *jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de Mercenarijs tuis* (nempe non ſum dignus Gratiâ Filiorum, & Favoribus eorum, qui Amore Filiali tibi ſerviunt; fac, ut fiam capax Mercedis Æternæ, & per obſequia mea, tibi deinceps præſtanda, illam merear) Pro hac Gratia excitante, tibi & alijs peccatoribus ſemper conceſsâ, gratias age, eámque tibi, & alijs precare. Obſerva etiam formulam Corde Contrito & Humiliato eliciendi dolorem de peccatis, quæ in eo conſiſtit, ut doleas de DEO offenſo, ut Patre ſummè Bono & Amabili; teipſum deſpicias, & proponas DEO ſervire, etiam ſine ſpecialibus Favoribus Filiorum.

MEDITATIO CCCLXIX.

Continuatio ejuſdem Parabolæ.

Luc. 15.

PUNCTUM. I. *Et ſurgens venit ad Patrem* (nimirum deſerens conſuetudinem peccandi, ipsúmque peccatum, greſſibus & meritis Bonorum Operum venit

peccator ad DEVM, & impetrat Auxilia Actuali Pœnitentiæ ad Gratiam recipiendam) *Cùm autem adhuc longè esset* (quia nondum egit sufficientem Pœnitentiam) *vidit illum Pater ipsius* (nempe DEVS oculo Misericordiæ illum respexit) *& Misericordiâ motus est & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum* Luc. 15. v. 20. Idem facit DEVS, quando ex Misericordia appropinquat peccatori per Gratiam Cooperantem & Efficacem, & quando alliciendo ad Spem Veniæ illum jam Amore Beneficentiæ complectitur, ac deosculatur. Simili modo surge & tu. Veni ad Patrem. Concipe Spem & Fiduciam Veniæ ac Misericordiæ Paternæ; & dignum te redde Osculo Paterno, & precare: *Osculetur me Osculo Oris sui.* Cant. 1. v. 1.

PUNCT. II. *Dixitque ei filius: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te, jam non sum dignus, vocari filius tuus* v. 21. In his verbis includitur, & significatur actus Perfectæ Contritionis, quæ mox meretur Gratiam Justificationis, ex Amore DEI, ut Optimi Patris, & ut Majestatis Infinitæ, qualis in Cælo videtur, & colitur, ac amatur à Beatis, & ob quam causam humillimè rogatur Venia de commisso peccato, idque summè displicet. Unde hujus Contritionis effectus proprius ac verus sequentibus verbis describitur: *Dixit autem Pater ad servos suos: citò proferte Stolam primam* (id est, eandem vel similem Gratiam, quâ priùs, velut talari toga, Anima contegebatur) *& induite illum, & date Annulum in manu ejus* (pretio & splendore annuli in manu significatur pretium & splendor Bonorum Operum, qui per peccatum interciderat, & ad pristinum valorem per Justificationem restituitur) *& Calceamen-*

menta in pedibus ejus (his denotatur Protectionis, & Auxilij Divini favor, ad Viam Mandatorum inoffenso pede decurrendam, & progressum in Virtutibus faciendum) *Et adducite Vitulum saginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* Hac convivali Lætitia denotatur mutuum Gaudium, quod habet DEVS & Angeli super uno peccatore Pœnitentiam agente, & quod nascitur in animo peccatoris, cui Secura Mens est, quasi Juge Convivium. Potes per hunc Vitulum & Epulationem etiam intelligere Christum in Cruce occisum, & per S. Communionem, vel per Passionis, rursum Animam reficientis, participationem, in Convivium nobis appositum. Ex his perpende Misericordiam & Charitatem DEI erga peccatorem, Pœnitentiam agentem, dantis media Justificationis, & tam perfectè condonantis peccata. Age itaque gratias DEO pro istis Medijs, & eorum frequentem usum tibi propone; nec contentus ipse ad Patrem per Pœnitentiam redijsse, alios etiam ejusmodi Filios Prodigos, Peccatores inquam, ad Patrem reducere, & ad veram Pœnitentiam impellere allabora; aut si id Officij tui vel Statûs ratio non admittet, eam per Orationem tuam saltem, & Bona Opera illis impetrare stude.

PUNCT. III. Considera, quòd, licèt per Pœnitentiam Justificantem tam perfectè remittantur peccata, & ea tantum Gaudium DEO & Angelis pariat, ut is, qui nunquam peccavit, quodammodo invidere possit; huic tamen, qui cum veritate ad Patrem dicere potest: *Ecce tot annis servio tibi, & nunquam Mandatum tuum præterivi.* v. 29. inprimis Paternas Blanditias DEVS exhibeat (ut indicatur per verba ista: *Pater ergo illius cæpit rogare illum*) & ita etiam respondeat:

Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. O quantum hæc verba Gaudium párere debent in animo tinentis suam Innocentiam, quantam gratiarum ctionem, quantam solicitudinem Perseveranti quantam Fiduciam, & Spem Præmij! Econtra quantum dolorem, pœnitudinem, humilitatem dem in animo tuo excitent, si nequeas dicere: *tot annis servio tibi &c*; sed si brevi solùm tempore viêris optimo Patri, & frequenter Mandata ejus pr teriveris!

MEDITATIO CCCLXX.

De Villico iniquitatis.

Luc. 16. v. 1.

PUNCTUM I. *Dicebat autem ad Discipulos suos: Ho quidam erat dives, qui habebat Villicum, & hic diff matus est apud illum, quasi dissipàsset bona ipsius.* Luc. 1 v. 1. Per hunc Villicum designatur homo, qui unic peccato mortali dissipat Bona Supernaturalia Gratia Sanctificantis, & omnium Habituum dependentium à Gratia: Et qui Bona Naturalia animi vel corpor ex.gr. Ingenium, Intellectum, Scientias, Valetudine corporis, ejus integritatem, membra, potentias in ternas & externas malè usurpat, vel ad fines malos; qui etiam officium sibi commissum malè administrat Hic Villicus diffamatur apud DEUM per ipsius un versalem Scientiam certissimam & inevitabilem, q minimæ quæque culpæ illi sunt perspectæ. Perpe de itaque, qualia & quanta bona Villicationi tuæ com missa sint; quid & quantum dissipaveris; & pro quan

vilibus rebus, voluptatibus, aut honoribus.

Punct. II. *Et vocavit illum: & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem Villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.* v. 2. Bis Villicum Dominus vocat ad reddendam rationem Villicationis suæ. 1. quando illum evocat ex hac vita, dum Anima è corpore egreditur in eodem loco, quò fit dissolutio unionis. 2. quando illum vocat ad Judicium Universale in Valle Josaphat. In utroque Judicio, nimirum Particulari & Universali, quælibet minima dissipatio innotescit Judici, & pro qualibet decernitur proportionata pæna; quæ ubi aliquando decreta fuerit, non mutatur Sententia in æternum. Itaque Dominus exigens rationem Villicationis de toto tempore vitæ nostræ est Omniscius, infinitè Justus in præmiando & puniendo, & Immutabilis sive Inflexibilis in judicando. Idem in Universali Judicio per Omnipotentiam suam in momento infundit singulis hominibus notitiam distinctam & claram omnium actionum, præmio vel pænâ dignarum, à toto Genere Humano præstitarum: ut omnibus pateat, Domini Rationem exigentis æquitas, & Villici dissipantis iniquitas; sicut & boni Villici Probitas ac Fidelitas.

Punct. III. Postquam Villicus, convocatis debitoribus Domini sui, debita sua imminuit, ut à Villicatione amotus, in domos eorum reciperetur; *Laudavit Dominus Villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Et subjecit: *Et Ego Vobis dico: Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis: ut, cùm defeceritis, recipiant vos in Æterna Tabernacula.* v. 9 Laudavit Dominus Villicum iniquitatis non absolutè, sed respectivè & juxta Prudentiam mundanam hujus Sæculi, quæ non attendit,

an justè, an injustè agat, modò providè agat; hanc autem Prudentiam, simul cum Justitia jungendam docuit Christus imitandam esse à Filijs Lucis, qui propter suam avaritiam & immisericordiam reprehendebat; ut nimirum, non quidem post redditam rationem Villicationis (quia tunc nimis serò id fieret) sed dum tempus est, de Mammona iniquitatis, id est de bonis suis, vel iniquè acquisitis, vel ad iniquitatem & peccata servientibus, Eleemosynas Pauperibus elargirentur: ut intuitu earum DEVS conferret Auxilia Efficacia Pœnitentiæ Justificantis. Sic enim ad hæc obtinenda pauperes illi, quorum miseria sublevatur, adiumento sunt; & ideo ipsi quodammodo dicuntur, suos Benefactores recipere ad Æterna Tabernacula. Si autem Eleemosyna, aut aliud opus Misericordiæ corporalis, sive corpori Proximi præstitum, tam utile & efficax est ad impetranda Media Justificationis; quantò magis erunt opera Misericordiæ Spiritualis, Vivis vel Defunctis præstitæ? Et si Villico iniquitatis profuit iniusta debitorum Domini sui remissio; quantò magis proderit, si remittamus debitoribus nostris, ad hoc, ut & ipse DEVS dimittat nobis debita nostra?

MEDITATIO CCCLXXI.

De Divite Epulone, & Lazaro.

Luc. 16. v. 19.

PUNCTUM I. *Homo quidam erat Dives, qui induebatur Purpurâ & Byssо, & epulabatur quotidie splendidè. Erat quidam Mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad ianuam*

januam ejus, ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa Divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera eius. Factum est autem, ut moreretur Mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ (id est, ad Limbum Patrum) *Mortuus est autem & Dives, & sepultus est in Inferno.* Luc. 16. v. 19. In hac Historia, modo Parabolico & Allegorico à Christo recensitâ, ut avaros Judæos ad Misericordiam iterum, sicut in præcedenti Parabola, pelliceret, considera miserum statum eorum, qui in hac vita voluptatibus, & prosperitatibus fruuntur; & felicem eorum, qui Paupertate, Doloribus, & Contemptu premuntur. Illorum enim gaudia sunt momentanea, & supplicia æterna; istorum verò adversa sunt similiter momentanea, & Gaudia Æterna. Hanc mutationem Mors velocissima, & ideo infelicissima; vel Felicissima adducit. Vide ergo, ut prudenter eligas.

Punct. II. *Elevans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit* (oculis mentis) *Abraham à longè, & Lazarum in Sinu ejus.* v. 23. Nimis serò oculi elevantur in tormentis; hinc potiùs oculi jam nunc avertendi sunt à vanitate & voluptate hujus Mundi, & elevandi in Cælum ad Cælestia Gaudia procuranda, ne veniamus ad tormenta. Considera etiam, quantum hoc sit futurum tormentum Damnatorum, videre & scire, tam multos Cælestibus Gaudijs perfrui, se autem ab illis elongatos, & in tormentis positos ob voluptatem jam præteritâ, & brevissimo tempore perceptâ, vel ob adversitatem aut molestiam brevissimam recusatâ, gravissima quæq; pati. Atque hoc tormentum, quod pæna Damni vocatur, longè gravius est, quàm omnis pæna Sensûs; videre scilicet magnitudinem &

æternitatem Doni amissi, facilitatem & efficaciam neglectorum Mediorum illud obtinendi, vilitatem & brevitatem boni, per peccatum mortale quæsiti.

PUNCT. III. *Et ipse clamans* (id est, vehementissimè desiderans) *dixit: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* v. 24. Hæc, quia nec Anima Lazari, nec Anima Epulonis corporibus suis erant unitæ, Parabolicè & Allegoricè dicta sunt: iisque significatur, Animam Epulonis vehementissimè desiderâsse quodvis levissimum doloris sui lenimen, & levamentum, quod sperabat miseratione Lazari sibi præstandum; erga quem tamen ille fuerat paulò antè tam immisericors, quamvis & ipse esset Filius Abrahæ, atque adeò ab eodem Progenitore, à quo Dives Epulo, descenderet. Post Resuscitationem corporum autem, de vero ardore linguæ ac sitîs prædicta verba intelligi possunt. Considera itaque gravissimam pœnam Sensûs, quæ priùs in sola Anima, deinde etiam in corpore post Resurrectionem Mortuorum sustinenda erit: & quomodo vel maximè pœnæ conformentur peccatis, ut, per quæ quis peccavit, per eadem puniatur. Quia nempe Dives quotidie epulabatur splendidè, oblectans linguam, & immisericors erat erga Lazarum; ideo torquetur maximè in lingua; & cui micas etiam de Mensa sua cadentes negabat, ab hoc jam nec guttam aquæ impetrat.

MEDI-

MEDITATIO CCCLXXII.

Continuatio eiusdem Historiæ.

Luc. 16.

PUNCTUM I. *Et dixit illi Abraham: Fili recordare, quòd recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* v. 25. Hæc verba non solatium, sed ingens Animæ tormentum afferunt, quale est, per totam Æternitatem recordari, & animo volvere, quòd bona vitæ temporalis jam transiêrint, & solus remaneat cruciatus æternus; & quòd mala Beatorum similiter jam transiêrint, illi verò nunc fruantur Æternis Gaudijs & Solatijs. Diligenter autem inter se compara hujus vitæ felicis vel infelicis Brevitatem, & alterius felicis aut infelicis Æternitatem, per quam nec Beati possunt transire ad statum infelicem, nec Damnati ad statum felicem. Et ideo Abraham hæc subiecit: *Et in his omnibus* (scilicet inter Solatia Lazari, & cruciatus Divitis, inter Sinum Abrahæ & Infernum, in quo Epulo sepultus est) *inter nos & vos Chaos magnum firmatum est: ut siqui volunt hinc transire ad vos, non possint* (id est, nulli sint, qui absolutè & efficaciter velint) *neque inde huc transmeare.* Hæc Veritas semper obversatur Damnatis, eósque desperatione æterna torquet.

PUNCT. II. *Rogo ergo te, Pater, ut mittas eum in domum Patris mei. Habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* v. 27. Hæc verba non ex Charitate Fraterna, ac commiseratione proveniunt, sed ex metu proprij cruciatûs

sibi

sibi augendi prolata sunt, ex eo, quòd fratres suos pravo exemplo seduxerit. Considera ergo, quomodo illi, qui in hac vita prava societate, exemplo, cooperatione, sibi mutuò causa Damnationis fuerunt, sibi etiam sint futuri causa graviorum suppliciorum, odiorum, rixarum, imprecationum. &c. In sensu morali indicatur etiam, quomodo Anima Damnati optet, ne conjungatur corpori, & in quinque Fratribus suis, nempe quinque Sensibus corporeis, nova supplicia pati cogatur. Considera ergo, quænam illa sint supplicia quinque externorum, sive corporeorum Sensuum, & quomodo eadem in Inferno Anima frustra cupiat evitare; sed evitare ea debuisset, & potuisset, si suos sensus, cùm corpori adhuc unita erat, cohibuisset.

Punct. III. *Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas; audiant illos. At ille dixit: Non, Pater Abraham: sed si quis ex Mortuis ierit ad eos, Pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex Mortuis resurrexerit, credent.* v. 29. Considera, quantum etiam hoc sit futurum tormentum Damnatorum, quando recordabuntur, quòd habuerint sufficientia Media ad Salutem, quòd fuerint in S. Scriptura bene versati, vel quòd habuerint Moysen, nempe Superiores; & Prophetas, nempe Concionatores, Adhortatores &c. Et quòd tamen nec S. Scripturæ oraculis, nec Superiorum mandatis, nec quorumcunq; hominum commonitionibus, adhortationibus, consilijs &c. obediverint. Tu autem, dum tempus est, noli obdurare cor tuum. Noli negligere Media ordinaria Salutis, nec alia extraordinaria, miraculosa &c requiras, aut frustra exspectes; quando-

quidem

quidem ista illis non sunt efficaciora, nec unquam facilè impetranda.

MEDITATIO CCCLXXIII.

Matrimonij Vinculum indissolubile, & Præstantia Cœlibatûs.

Matth. 19. v. 3. Marc. 10. v. 2. Luc. 16. v. 18.

PUNCTUM I. *Et accesserunt ad eum Pharisæi, tentantes eum & dicentes: Si licet homini dimittere Vxorem suam quacunque ex causa? Qui respondens ait: Non legistis, quia, qui fecit hominem ab initio, Masculum & Fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Vxori suæ, & erunt duo in carne una* (unione Contractûs Matrimonialis consummati, & ab Auctore Naturæ firmati) *Itaque jam non sunt duo, sed una Caro. Quod ergo DEVS conjunxit, homo non separet.* Matth. 19. v. 3. scilicet separatione vinculi, quæ solùm in Lege Mosaica à DEO per Moysen in certis casibus permissa erat, ob duritiem Judæorum adversùs Uxores suas; in Lege Gratiæ autem rursùs abrogata, & in eundem statum, quo ad Mundi initium fuerat, restituta est. Neque enim poterat in Lege Naturæ, & *Ab initio Creaturæ*, sive Creationis Generis Humani, Vinculum Matrimonij ullo pacto, aut contrahentium consensu dissolvi. Hinc itaque collige, si Vinculum Matrimonij consummati inter Conjuges, Lege Naturæ, & Lege Gratiæ (quando inter Baptizatos contractum est) insolubile statuitur, quia ambo sunt una Caro; quantâ curâ servanda sit Unio inter hominem & DEVM, quia ambo sunt unus Spiritus,

quando

quando quis per Baptismum fit Membrum Ecclesiæ, Christo indissolubili Vinculo desponsatæ? (cujus indissolubilis Vinculi signum est ipsum Matrimonium à Christo institutum.) Idem sentiendum, quando etiam per Gratiam Sanctificantem Anima DEO unitur, & fit consors Naturæ Divinæ: denique etiam, quando Anima per Vota Religiosa DEO desponsatur. Cur ergo, ut quia Vinculum Triplex difficilè rumpitur, Triplex illud Vinculum nunquam rumpatur, cum quodlibet eorum longè majora Bona afferat, quàm Vinculum Matrimonij Carnalis. Per Unionem enim inter Christum, & inter Membra Ecclesiæ, Christo per Baptismum unitæ, homini communicatur Fructus Sacramentorum, Sacrificiorum, & Meritorum Christi ac Ecclesiæ, si ab ipsomet obex non ponatur. Per Unionem Gratiæ Sanctificantis homini communicantur Dona & Fructus Spiritûs Sancti in hac vita, & Æterna Felicitas in altera. Per Vinculum Religiosæ Professionis, sive Votorum Religionis communicantur omnia Bona, annexa Vitæ Religiosæ. Quod ergo DEVS conjunxit, homo non separet.

PUNCT. II. *Dicunt ei Discipuli eius: Si ita est causa hominis cum Uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt Verbum istud: sed quibus datum est.* Matth. 19. v. 10. Ecce quàm clarè Christus approbet Discipulorum assertionem. Considera ergo, quare non expediat. Quia Bona Matrimonij comparatione Vitæ Cælibis sunt exigua; onera verò, & incommoda sunt gravissima, nec relaxatione Vinculi unquam amplius, nisi per mortem, facilè evitari possunt. Unde Matrimonium à duplici Jugo dicitur Conjugium, quia uterque Conjux Jugum subit, & per dis-

sensiones,

sensiones, contentiones, rixas &c. sæpe in diversa trahit. Gratias age DEO, quòd tibi dederit ipsâ utilitatis experientiâ capere Verbum istud: & ideo alacriter fer Jugum Christi, de quo ipse ait: *Jugum meum Suave est.* Matth. 11. v. 30.

PUNCT. III. *Sunt enim Eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt Eunuchi, qui facti sunt ab hominibus: & sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum.* v. 12. Per ultimos intelliguntur, qui ex Voti obligatione nequeunt licitè contra Continentiam agere. His autem in Præmium promittitur Regnum Cælorum, & specialis Laureola in Regno Cælorum, & Media efficaciora, ac securiora Regni Cælorum. Nam *Qui sine Vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat DEO. Qui autem cum Vxore est, solicitus est, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Vxori, & divisus est.* 1. Cor. 7. v. 31. *Et Mulier innupta, & Virgo cogitat, quæ Domini sunt, ut sit Sancta Corpore & Spiritu. Quæ autem Nupta est, cogitat, quæ sunt Mundi, quomodo placeat Viro.* Ibid. Vide autem, quantò melius & facilius sit, placere DEO, quàm homini; & quantam studium Soli DEO placendi animi quietem pariat; quantas vicissim studium placendi homini curas & solicitudines generet, & quàm sæpe frustretur.

MEDITATIO CCCLXXIV.

De vili æstimatione nostrorum Operum. Luc. 17. v. 7.

PUNCTUM I. *Quis vestrûm habens servum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi, recum-*

recumbe: & non dicat ei: Para, quod cænem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem, & bibam, & post hæc tu manducabis, & bibes? Si ita decet hominem cum homine agere, qui est ejusdem Naturæ, sed solùm status & conditionis inæqualis, & intuitu exiguæ mercedis temporalis; quantò magis pro Obsequijs Dei præstitis, non debemus statim velle accipere Refectionem aliquam, sive Spiritualem, nempe Gaudia & Solatia interna; sive temporalem, ut nimirum nostri labores, excolendis nostris & aliorum Conscientijs impensi, adeóque in agro Domini colendo, & Dominico Grege pascendo, tolerati, statim compensentur liberaliori cibo, & potu, vel extraordinarijs corporis solatijs? Itaque si labores, ærumnæ, molestiæ continua serie succedant, & multiplicentur, non fatigemur, non queramur, non Divina aut humana Solatia requiramus; sed tempus exspectemus, quo & nobis in Cæna Regni Cælorum recumbere, atque à laboribus requiescere liceat.

Punct. II. *Nunquid gratiam habet servo illi, quia fecit, quæ ei imperaverat? Non puto.* v. 9. Sic & nos pro Operibus in Obsequium Dei præstitis indignos nos censeamus, ut Devs ullos extraordinarios Favores & Gratias nobis exhibeat; nec ab homine gratitudinem, aut laudem requiramus, ut Devs sic quasi per homines nobis gratias agat.

Punct. III. *Sic & vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite; Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* v. 10. Sic ergo vilipendendæ sunt omnes actiones nostræ; quia ex una parte sunt Deo ad suam majorem Felicitatem prorsus inutiles, ex altera parte sunt Deo innumeris titulis debitæ, tam quam

quam Creatori, Conservatori, Redemptori, Supremo Domino, continuo Benefactori maximo, & gravissimè à nobis & sæpissimè peccatis læso. Unde, quidquid fecerimus, necdum, quantum debuimus, fecimus, sed modicum quid, summè illi debitum. Ideo omni Favore & Gratiâ adhuc indignos nos æstimemus vi operis nostri; & omnia, quæ accipimus, Divinæ Misericordiæ & Munificentiæ in acceptis referamus.

MEDITATIO CCCLXXV.

Parabola Pharisæi arrogantis, & Humilis Publicani. Luc. 18. v. 9.

PUNCTUM I. *Dixit autem ad quosdam, qui in se confidebant tanquam Justi, & aspernabantur cæteros, Parabolam istam. Duo homines ascenderunt in Templum, ut orarent: unus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: DEUS gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri hominum; raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbato* (id est, in hebdomade, unde dies numerabantur, prima Sabbati, secunda Sabbati) *Decimas do omnium, quæ possideo.* Luc. 18. v. 9. Considera, hîc à Christo describi hominem Superbum, qui licèt dicendo: *DEUS, gratias ago tibi &c.* omnia sua bona Gratiæ Divinæ adscripserit (alias enim non tantùm Superbus, sed etiam Hæreticus fuisset) tamen non Humilis, sed Superbus erat; quia adhuc sibi de suis bonis complacuit, seipsum & sua æstimavit, & alijs prætulit. Unde talem de Superbia reprehendit S. Paulus 1. Cor. 4. v. 7. *Quid autem*

tem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Ne ergo Pharisæus ille sibi complaceret, & notorio peccatori gravissimo se præferre auderet, cogitare debuisset, quòd si DEVS sua Auxilia alteri, & alterius Auxilia sibi dedisset, alter longè Sanctiùs, & ipse adhuc pejùs vixisset. Præterea debuisset timere suam inconstantiam, & mutabilitatem, ne scilicet ipse, uti factum est, fieret alteri peccatore deterior, & peccator melior ipso. Adhæc non debuisset cogitare ac respicere mala, *quæ non* habebat; & bona, quæ habebat: sed convertere oculos ad mala, quæ habebat; & ad bona, quæ non habebat. Et licèt non invenisset in se gravia peccata, debuisset metuere, ne eadem se laterent; ac dicere apud se, quemadmodum S. Paulus: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* 1. Cor. 4. v. 4. Neque tantùm debuisset sibi gratulari, quòd quædam magna & mortalia peccata non commiserit, sed potiùs animo revolvere multitudinem venialium suorum peccatorum, & propter hæc dignum se censere, qui sinatur successivè labi in gravissima peccata, atque adeò tanta, ut fieret omni peccatore deterior. Imò debuisset ab omni vana complacentia atque ab aliorum contemptu cavere sibi, ne propter hanc ipsam Superbiam à DEO desereretur. Quod itaque Pharisæus ad evitandam Superbiam debuisset facere, tu facito.

PUNCT. II. *Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad Cælum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: DEVS propitius esto mihi peccatori.* v. 13. Considera hîc à Christo describi hominem Humilem; qui agnitis suis peccatis, vilissimam de se habet opinionem

nem, & omnes alios se meliores æstimans, de se solo precatur: *DEVS propitius esto mihi peccatori*: Qui propterea etiam semper vilius & deterius eligit, quemadmodum iste Publicanus elegit locum à Sanctuario, sive à Sancto Sanctorum longè remotum; námque verè Humilis eligit semper locum infimum, officium infimum &c. Indignum etiam se censet aspectu Cæli, & omni Favore Cælesti, imò omni bono. Ideo Publicanus nec oculos volebat ad Cælum levare. Præterea vilissimam illam opinionem, quam Humilis habet de se, vult etiam ab alijs de se haberi. Hinc non occultat, nec dolet, si defectus sui alijs innotescant, sed potiùs eos ipse manifestat; sicut iste Publicanus tundens pectus, ac profitens se peccatorem, audiente Pharisæo, hujusmodi Humilitatis de se exemplum dedit, æquissimo animo ferens, se à Pharisæo contemni.

Punct. III. *Dico vobis*: *Descendit hic justificatus in domum suam ab illo* (id est, *Præ illo*) Quia Pharisæus vel non habuit Gratiam Justificantem propter alia præcedentia peccata; vel habitam amisit per injustum & gravem contemptum Proximi; vel si habuit & retinuit, tamen omne ejus Jejunium, & solutio Decimarum, non tantum Gratiæ Justificantis merebatur, quantùm merebatur Publicanus perfectè Contrito & Humiliato Corde. *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. v. 11. Superbia enim est radix omnium vitiorum: Humilitas autem, teste Gregorio Lib. 23. Moral. c. 13. Magistra est, omniúmque Mater Virtutum. *Quia DEVS Superbis resistit, Humilibus autem dat Gratiam.* 1. Petri. 5. v. 5. Expende hîc etiam Divinam Misericordiam

diam, quàm prompta sit ad dandam Veniam; & quàm verè Pœnitens David Ps. 50. de Clementissimo DEO dicat: *Cor Contritum & Humiliatum DEUS non despicies.*

MEDITATIO CCCLXXVI.

Christus Parvulis Manum imponit.

Matth. 19. v. 13. Marc. 10. v. 13. Luc. 18. v. 15.

PUNCTUM I. *Tunc oblati sunt ei Parvuli, ut Manus eis imponeret, & oraret.* Matth. 19. v. 13. Per hanc Manuum Impositionem, & Orationem designatur, & quasi præfiguratur Sacramentum Confirmationis, in quo Christus per Episcopum idem facit. Unde sicut parentes Parvulorum, vel ipsi etiam Parvuli, si qui fuerunt adultiores, pro summa gratia habuerunt, quando Christus illis Manus imposuit, & oravit, sive benedixit illis; ita pro summa gratia habendum est Sacramentum Confirmationis, nec ejus effectus frustraneus, & inutilis per torporem nostrum reddendus; sed in illius virtute contra visibiles & invisibiles hostes fortiter & constanter pro Fide, pro Virtute, pro Gratiæ primæ, in Baptismo acceptæ, conservatione pugnandum. Ex hac Manuum impositione etiam discant illi, qui Proximi Salutem procurant, duo se præstare debere; primum, ut manus ei imponant, id est, opere juvent; alterum, ut pro eo orent.

PUNCT. II. *Discipuli autem increpabant eos* (scilicet offerentes; vel ut Marcus c. 10. v. 13. ait: *Comminabantur offerentibus*, id est, serio vultu repellebant, ne Christum à conversatione cum adultis, atque a

Prædi-

Prædicatione impedirent) *JESVS verò ait eis: Sinite Parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim Regnum Cælorum.* Matth. 19. v. 14. Considera, si Christus Apostolos, bono fine & zelo impedientes adductionem Parvulorum, reprehendit, & ut Marcus ait: *Indignè tulit*: quantò magis reprehensione & indignatione digni sint futuri, qui scandalizatione, vel seductione Parvulorum, eos à Christo abducunt, vel qui debitam curam ipsis non impendunt, ut Christo per Gratiam, & aliquando per Cælestem Gloriam conjungantur. Perpende etiam, quare Christus liberum ad se accessum, & Regnum Cælorum Parvulis promittat: nempe propter eorum Innocentiam, Humilitatem, & Simplicitatem. In his imitare Parvulos, & patebit tibi liber accessus ad Christum, & janua Regni Cælorum: aliàs inquit Christus Marc. 10. v. 15. *Quisquis non receperit Regnum DEI, velut Parvulus, non intrabit in illud.*

PUNCT. III. *Et complexans eos, & imponens manus super illos, benedicebat eos.* Marc. 10. v. 16. Si hoc Christus præstitit Parvulis per ætatem, quantò magis idem præstabit Parvulis per Virtutem Humilitatis? Amplexabitur enim illos, sibi conjungendo per Amorem & Gratiam: imponet illis Manum, protegendo eos ab hostium insidijs, & adversis; & præterea Benedictionibus, ac specialibus Favoribus replebit.

MEDITATIO CCCLXXVII.

Opulentus ac Nobilis Adolescens Christum sequi recusat.

Matth. 19. v. 16. Marc. 10. v. 17. Luc. 18. v. 18.

PUNCTUM I. *Et cùm egressus esset* (JESUS) *in viam procurrens quidam* (quem Matthæus dicit fuisse Adolescentem: Lucas etiam ait, fuisse Principem, *id est*, Reguli prædivitis Filium) *genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam, ut Vitam Æternam percipiam?* Marc. 10. v. 17. Quantum hic habuit desiderium consequendæ Salutis Æternæ! Currit ad Christum, humiliat se genuflexo, cum illo deliberat de Statu, quomodo vitam suam instituat. Sed quia non plenè fuit indifferens ad deserendas divitias suas, parùm profecit: abiit enim, qualis venit; quia illas voluit mordicùs tenere, ac DEUM potiùs trahere ad votum proprium, quàm relicto impedimento per meliorem Statum ad illum tendere. Non sic ulli rei creatæ voluntas tua adhæreat; sed potiùs propter Vitam Æternam paratus sis omne impedimentum removere, ac quidquid ad illam aptius est, animo indifferenti amplecti. Duplex enim Classis hominum est, quæ Vitam Æternam nunquam percipiet; Prima est, quæ quidem illius magno desiderio tenetur; sed Media nulla vult adhibere. Altera vult quidem etiam adhibere Media, ut prædictus Adolescens; sed ea duntaxat, quæ sibi placent, non quæ DEO: cum tamen Mediorum constitutio, & designatio ab illo facienda sit, qui optimè novit, quid unicuique ad Sa-

lute

lutem maximè expediat, & quid eam impediat. Tertia itaque Classis hominum est, Vitam Æternam certò, ut ex sequentibus constabit, perceptura, quæ & Divina Præcepta constanter studet observare, & DEO ad Perfectiorem Vitæ Statum Vocanti parata est obedire, omniáque impedimenta abijcere. Unde ulteriùs perpende, quid Christus prædicto Adolescenti responderit, & quid de negotio Salutis senserit.

PUNCT. II. *JESVS autem dixit ei: quid me dicis Bonum? Nemo Bonus, nisi unus DEVS. Præcepta nôsti.* Marc. 10. v. 18. Tunc interrogans Adolescens *Dixit illi: Quæ? JESVS autem dixit: Non homicidium facies: non adulterabis: non facies furtum: non falsum testimonium dices: honora Patrem tuum & Matrem tuam: & diliges Proximum tuum, sicut te ipsum. Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodivi à juventute mea: Quid adhuc mihi deest?* Matth. 19. v. 18. In hoc mutuo colloquio proponitur tibi imitanda Christi respondentis Humilitas, & adolescentis interrogantis Integritas. Si enim Christus tantùm pro homine habitus ab Adolescente, hoc ipso etiam nihil Boni sibi attribui voluit; quamvis revera ei ut DEO competeret titulus Boni Magistri; quantò magis nos homines peccatores nihil Boni nobis debemus attribuere, aut ab alijs velle attribui? Interea tamen non debemus intermittere ullum bonum, ut & ipsi custodiamus omnia Præcepta: quorum custodiam Christus pro fundamento posuit, cui reliqua structura Perfectionis imponi debet. Et tunc in DEVM omnem Laudem & gratiarum actionem refunde, si tu quoque dicere possis: Omnia custodivi à juventute mea. Et dole, si non possis dicere.

PUNCT. III. Quære etiam frequenter ex teipso:

Quid adhuc mihi deest? Nunquam verò, etiamsi nullius violati Præcepti tibi conscius sis, te æstimes comprehendisse, ut cum S. Paulo dicere possis Philipp. 3. v. 13. *Fratres ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea verò, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor ad Bravium supernæ Vocationis DEI in Christo JESU. Quicunque ergo Perfecti sumus, hoc sentiamus.*

MEDITATIO CCCLXXVIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 19.

PUNCTUM I. *Ait illi JESUS: Si vis Perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis Thesaurum in Cælo: & veni, sequere me.* Matth. 19. v. 21. Ex his verbis considera 1. Dignitatem Statûs Voluntariæ Paupertatis, qui ab ipso Christo Adolescenti Diviti ad Perfectionem deesse dicebatur. Considera 2. ad Statum Voluntariæ Paupertatis præsupponi desiderium Perfectionis. Si ergo elegisti hunc Statum, semper ardeat in te desiderium Perfectionis. Considera 3. Ad Perfectionem non sufficere, omnia deseruisse, & dedisse pauperibus: sed insuper dici tibi à Christo: *Veni, sequere me.* Hunc Ducem ad Perfectionem sequi debes, postquam impedimenta deposuisti.

PUNCT. II. *Cùm audisset Adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* v. 22. Sic qui Vocationem suam negligunt, vel qui Perfecti esse nolunt, nec Perfectionem assequuntur, nec in hac vita

vita verè lætantur; sed tristitiâ & stimulis Conscientiæ semper aguntur. Vera autem lætitia studio Perfectionis obtinetur. Gratias itaque age DEO, si divitias & alia impedimenta à te removit, vel si animum tuum ab illis efficaciter avulsit; quod Beneficium, sicut prædicto Adolescenti, omnia DEI Mandata à juventute sua custodienti, non contigit; sic innumeris alijs, longè te melioribus, & dignioribus negatum est. Necesse est ergo, ut respondeas Beneficio efficacis Vocationis. Denique considera, signum animi inordinatè adhærentis creaturæ esse, si ob ejus subtractionem contristetur: *Quia*, ut inquit S. Augustinus lib. 1. de Serm. Dom. in Monte. c. 3. *Non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur.* Ut itaque minimè tristeris, nulli creaturæ inordinatè adhæreas.

PUNCT. III. *JESVS autem dixit Discipulis suis: Amen dico vobis: quia Dives difficilè intrabit in Regnum Cælorum. Et iterum dico vobis: Facilius est, camelum* (sive animal gibbosum, sive funem nauticum intelligas; utrumque enim impossibile est) *per foramen acûs transire, quàm Divitem intrare in Regnum Cælorum.* v. 23. Divitiæ enim illicium, & instrumentum sunt gravium peccatorum, & tentationum difficulter superabilium; imò sine Gratia DEI speciali nunquam superandarum. Ideo Christus Discipulis in animo suo dicentibus: *Quis ergo poterit Salvus fieri?* Dixit: *Apud homines hoc impossibile: apud DEVM omnia possibilia sunt.* v. 26. Agnosce Felicitatem tuam, quòd tanto periculo damnationis exemptus sis; & fac, ut erga oppositam Paupertatem eo amore feraris, quem meretur is, qui ab æterno interitu te eripuit. Unde neque

in minimo eam offendas, sed summo illam studio colas.

MEDITATIO CCCLXXIX.

Præmia Spontaneam Paupertatem profitentibus destinata.

Matth. 19. v. 27.

PUNCTUM I. *Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Matth. 19. v. 27. Vide, an hoc ipsum cum veritate dicere possis; & an re, & affectu reliqueris omnia, ut nulli creaturæ animus adhæreat. An etiam sequaris Christum, insistens Vestigijs ejus, & in neutram partem deflectas. Deinde si omnia reliquisti, pudeat iterum rei vilissimæ adhærere. Si Ducem Christum elegisti, neminem alium deviantem sequaris.

PUNCT. II. *JESUS autem dixit illis: Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in Regeneratione* (id est, in Resurrectione mortuorum) *cùm sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim* (id est, tot, quot estis futuri, sequentes me) *judicantes duodecim Tribus Israël* (per quas universitas hominum significatur, etiam non descendentium ab Israële.) *Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter Nomen meum, centuplum accipiet, & Vitam Æternam possidebit.* v. 28. S. Marcus ita refert c. 10. v. 29. *Respondens JESUS ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter*

pter Evangelium (ejus consilio, & promissione impulsus) *qui non accipiat centies tantùm, nunc in tempore hoc* (id est, qui non accipiat pro bonis temporalibus Spiritualia, & Solatia Spiritualia plusquàm centies æstimabiliora ijs, quæ ex bonis temporalibus, & ex Consanguineis percipiuntur) *domos, & fratres, & sorores, & matres, & filios, & agros, cum persecutionibus, & in Sæculo futuro Vitam Æternam.* Considera, quæ, & quanta sint hæc Promissa. Sicut enim Christo in præmium suæ Obedientiæ data est Potestas, significata per verba paulò ante mortem prolata: *Veruntamen dico vobis: Amodo videbitis Filium hominis, sedentem à Dextris Virtutis DEI, & venientem in nubibus Cæli.* Matth. 26. v. 64. Sic sequentibus Christum promittitur proxima Assessio coram Christo Judice, id est, proxima Dignitas & Excellentia supra alios, & Gratia ac Favor apud Supremum Judicem; quali gaudet, qui assidet, non ut judicandus, sed ut judicaturus, seu calculo suo comprobaturus sententiam in alios proferendam. Deinde promittitur Centuplum in hoc mundo, & Vita Æterna in Cælo. Quis pro tantis Promissis non dimittat bona vilissima hujus Mundi? Quis non sequatur præeuntem, ut assideat sedenti à Dextris Virtutis DEI?

PUNCT. III. Observa, inter maxima præmia Voluntariæ Paupertatis, & Sequelæ Christi, numerari etiam *Persecutiones.* Unde hæ inter maxima bona à nobis computandæ sunt, & grato ac læto animo suscipiendæ, nec admittendæ prosperitates temporales, nisi *Cum Persecutionibus* internis, vel externis.

MEDI-

MEDITATIO CCCLXXX

Parabola Vineæ.

Matth. 20. v. 1.

PUNCTUM I. *Simile est Regnum Cælorum* (id est, Rex Regni Cælorum) *homini Patrifamilias, qui exiit primò manè conducere Operarios in Vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos: & dixit illis: Ite & vos in Vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. Illi autem abiêrunt. Iterum autem exiit circa sextam & nonam horam, & fecit similiter. Circa undecimam verò exiit, & invenit alios stantes, & dicit illis: Quid hîc statis tota die otiosi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in Vineam meam.* Considera per istam diversam horam, quâ DEUS vocat Operarios in Vineam suam, designari 1. variam ætatem hujus Mundi, quæ fluxit à tempore Adami usque ad Noë: deinde horâ tertiâ, à Noë ad Abraham: postea horâ sextâ, ab Abraham ad Moysen: posthæc horâ nonâ, à Moyse ad Christum: denique horâ undecimâ, à Christo ad finem Mundi. Quo tempore licèt vita humana adeò brevis sit, ut comparatione priorum ætatum sit velut una hora respectu diei (quia priùs homines aliquot sæculis vitam protraxerunt, ut patet ex Gen. c. 5.) tamen habet efficacissima Media, tantum Gratiæ & Gloriæ in Cælo sibi comparandi, per opera longè præstantiora, Doctrinæ & Exemplis Christi conformia, per Sacramenta novæ Ecclesiæ, & Sacrificium ejusdem, quantum sibi comparârunt, qui nongentis & ampliùs annis vixerunt. Gaude, & gratias

tias age Deo, quòd ultima hac ætate Mundi vocatus sis: & brevitatem Servitij Divini, laboris intensione compensa, ut consummatus in brevi expleas tempora multa. Sap. 4. v. 13.

Punct. II. Considera, per prædictam horæ diversitatem 2. denotari diversam ætatem humanam, scilicet pueritiam, adolescentiam, juvenilem, virilem, & senilem ætatem, quâ homines Deo in Ecclesia, vel in Religione servire cæperunt, tempore præterito stantes otiosi. Dole itaque de jactura temporis præteriti, & fervore novo supple præcedens otium, haud excusabile ex eo, quòd nemo te conduxerit: nec admitte, ut à junioribus supereris. Cogita denique tempus vitæ reliquum ultimam horam esse. Ideo S. Joannes Epist. 1. c. 2. v. 18. scribit: *Filioli, novissima hora est.*

Punct. III. Considera, prædicta horarum diversitate 3. etiam cujusque diei intervalla distingui: unde quoties nova hora insonuit, cogita, te à Deo vocari ad operam; & ita quamvis horam impende, quasi ea ultima esset futura. Si enim unica hora potuit compensare præcedentium horarum remissionem, & languorem, quantum merebuntur multæ horæ ferventer peractæ?

MEDITATIO CCCLXXXI.

Continuatio Ejusdem Parabolæ.

Matth. 20.

Punctum I. *Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus Vineæ Procuratori suo: Voca Operarios, & redde illis*

illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. Matth. 20. v. 8. Considera plenam mercedem, quâ reddit Corporis & Animæ Beatitudo, differri usque ad finem Mundi, & tunc, cùm ita serò factum fuerit, omnes Operarios vocatum iri, ut singuli mercedem accipiant. Noli ergo recipere mercedem in hoc mundo, ne sis inter illos, quibus dicetur: *Receperunt mercedem suam.* Matth. 6. v. 5. Præterea considera, novissimos fore primos in recipienda mercede, & primos fore novissimos: quo tamen non ordo temporis, *sed dignitatis* indicatur: non enim, qui diutiùs, sed qui ferventiùs ac intensiùs DEO servivit, alteri in Gloriæ retributione præferetur.

PUNCT. II. *Cùm venissent ergo, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios: Venientes autem & primi arbitrati sunt, quòd plus essent accepturi; acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversùs Patremfamilias, dicentes: Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstûs &c.* Considera, his verbis non significari, omnes Beatos fore pares in Gloria; sed solùm significari, quòd qui breviori tempore vixerunt, aut DEO servierunt, Meritis possint æquari aliis diutiùs, sed remissiùs servientibus: neque tamen istos verè murmuraturos; sed modo loquendi parabolico significari æquitatem Judicis, etiamsi hominum judicio videatur iniquum, quòd isti diutiùs quidem, sed remissiùs servientes, non plus præmij accipiant. Ideò excute languorem ac remissionem, & non tantùm contende æquare, sed etiam superare eos, qui languescentes in Divino Obsequio consenuerunt. Considera etiam, quòd sæpe unicus fervens actus magis placet

placeat DEO, quàm mille languidi ac remissi: & unum devotum *Ave MARIA* multis Rosarijs distractè recitatis præstet.

PUNCT. III. *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi: Multi enim sunt Vocati, pauci verò Electi.* v. 16. Esto ergo de numero paucorum: nec tepidorum exemplis à studio Perfectionis te sinas abduci; nec statim credas, id, quod à pluribus fit, rectiùs fieri. Non sit tibi satis, te vocatum esse ad Religionem; sed cura etiam, ut sis Perfectus & Electus.

Annotatio.

Nota, hîc finiri Tertium Prædicationis Annum, & sequi gesta Anno Christi Trigesimo Quarto, Prædicationis Quarto, mense Martio, cujus Die vigesimo quinto Crucifixus est.

MEDI-

MEDITATIONES

De Vita & Gestis Christi

Quarto Prædicationis Anno.

MEDITATIO CCCLXXXII.

De Lazaro Resuscitato.

Joan. II. v. I.

PUNCTUM I. *Erat autem quidam languens Lazarus de Bethania, de castello Marthæ & Mariæ Sororis ejus & Miserunt ergo Sorores ejus ad eum* (JESVM) *dicentes: Domine, Ecce! quem amas, infirmatur.* Joan. II. v. I. Deus illis, quos amat, immittit morbos, & alia adversa, quæ proin cum gratiarum actione, tanquam ex Amore profecta, suscipienda sunt: & sicut Sorores nihil dubitantes de potentia sanandi, neque de voluntate, si ita expediat, Divinæ Christi Providentiæ ac Sapientiæ rem omnem cum Indifferentia & Resignatione in Voluntatem ejus commiserunt, solummodo nunciantes morbum, non autem petentes sublationem ejus; sic nos easdem in omnibus his imitemur, cum pari Fiducia & Resignatione dicentes, in qualibet adversitate: Domine, ecce, quem amas, infirmatur, tentatur, tristatur, tribulatur &c.

PUNCT. II. *Audiens autem JESVS, dixit eis* (Discipulis suis & alijs præsentibus) *Infirmitas hæc non*

ad mortem, sed pro Gloria DEI, *ut glorificetur Filius* DEI *per eam.* v. 4. Sic adversitates nobis immissas non credamus esse ad nostrum interitum, vel damnum, vel ad mortem Animæ, etiamsi graviter tentemur; sed ad Gloriam DEI, ex nostra Patientia, Humilitate, Victoriâ tentationis, Auxilio Divino &c. orituram. Pro hac autem libenter sustineamus quæcunque adversa.

PUNCT. III. *Diligebat autem* JESUS *Martham, & Sororem ejus Mariam, & Lazarum. Ut ergo audivit: quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. Deinde posthæc dixit Discipulis suis: Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei Discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc?* v. 5. Sic DEUS Dilectos non statim exaudit, nec statim illis succurrit; sed differt, moratur, dissimulat ferre opem pro majore illorum bono, & occasione Virtutum, ac Gloriâ suâ: in tempore autem opportuno efficaciter & certò juvat; quemadmodum hîc nec propriæ mortis periculo, nec occasione, quæ inde à Judæis sumpta est, ad eum post quatuordecim dies crucifigendum, se inhiberi passus est, quò minùs ex Bethabara trans Jordanem, ubi post intentatam sibi lapidationem, teste Joanne c. 10. v. 29. morabatur, in Judæam ad Lazarum resuscitandum, & ad Sorores ejus consolandas rediret.

MEDITATIO CCCLXXXIII.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Joan. 11. v. 11.

PUNCTUM I. *Et posthæc dixit eis: Lazarus Amicus*

noster

noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum. Dixerunt ergo Discipuli ejus: Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem JESUS de morte ejus; illi autem putaverunt, quia de dormitione somni diceret. Joan. 11. v. 11. Christus mortem Lazari Amici sui somnum vocavit, partim ut suis Discipulis, insidias Judæorum metuentibus, mortis metum eximeret; hinc paulò pòst. v. 36. excusso metu *dixit Thomas, qui dicitur Didymus* (id est Gemellus) *ad Condiscipulos: Eamus & nos, & moriamur cum eo* (id est, Christo, cui propter intentatam nuper *lapidationem* in Judæam redeunti mortem ominabatur) partim ut ostenderet facilitatem resuscitandi Lazarum Amicum ad vitam; & quòd mors Amicorum Dei, ad Vitam Æternam resuscitandorum, potius somnus, quàm mors dicenda sit. Noli ergo metuere mortem, sed velut somnum, & optatam quietem desidera; id unum cura, ut tanquam *Amicus*, & in Gratia Dei constitutus moriaris: *Beati enim mortui, qui in Domino*, id est, per Gratiam, & Amicitiam Domino uniti, & conjuncti *moriuntur.*

Punct. II. *Tunc ergo JESUS dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est: & gaudeo propter vos, ut credatis: quoniam non eram ibi; sed eamus ad eum.* v. 14. Observa, quam prudenter Christus Discipulos suos, antequam ei mortem Lazari, quem illis percharum sciebat, manifestè denunciaret, priùs per obscuram & Metaphoricam denunciationem, vocabulo somni & dormitionis usus, disposuerit, ut dein illam ipsam minorem cum tristitia, & terrore perciperent. Sic nec tu quemquam sermone turbes, & affligas; sed priùs illum desponas ad leniter ferendum, si quid auditu ingratum dicendum est. Recordare, etiam de te aliquando,

forsan brevi dictum iri: *Mortuus est.* Expende quoque, quare Christus gaudeat, quòd non adfuerit Lazaro morienti: quia scilicet Miraculum Resuscitationis, ad confirmandam ac stabiliendam Fidem Discipulorum efficacissimum, salutiferâ suâ præsentiâ impeditum fuisset, eò quòd minùs decenter lacrymas & preces suorum repellere potuisset. Hinc & Martha v. 21. & Magdalena. v. 32. dixit illi: *Domine si fuisses hîc, non esset mortuus Frater meus.* Sic sæpe expedit, nos à Deo ad breve tempus deseri, & in afflictione aliqua temporali relinqui. Tu verò roga Christum, ut tibi morienti adesse velit, non ut longiorem vitam, sed felicem mortem afferat.

Punct. III. *Venit itaque* JESVS, *& invenit eum quatuor dies jam in Monumento habentem* (mortuus enim Lazarus est eodem die, quo nuncius morbi ad Christum venit; & postea Christus adhuc duobus diebus in Bethabara substitit, quæ quia decem horis à Bethania distabat, ideo quinto primùm die à morte Lazari, & quarto ab ejus sepultura, Bethaniam venit) Considera, Lazarum Typum esse hominis in peccatis suis inveterati, & coram Deo ac hominibus jam fætentis; quemadmodum de Fratre suo mortuo Martha dixit: *Domine jam fœtet, quatriduanus est enim.* v. 39. Quantò plùs fœtet, & Deo nauseam creat Peccator non solùm quatriduanus, sed multo tempore in peccatis sepultus jacens, & peccandi consuetudine detentus? Tu itaque ab omni peccato, & à peccandi consuetudine per oppositas Virtutes abstine; & id potiùs cura, ut cum S. Paulo 2. Cor. 2. v. 15. dicere possis: *Christi bonus Odor sumus DEO,* Ad aliorum verò Peccatorum Resuscitationem, quantum potes, Christo ve-

nienti cooperâre, sicut illi ad Lazari Resuscitationem cooperati sunt, quibus dixit: *Tollite lapidem*, v. 39. Et *solvite eum, & sinite abire.* v. 44. Tollenda nempe sunt obstacula, sive impedimenta Pœnitentiæ, ac emendationis. Solvenda peccatorum vincula, ac consuetudines. Deserendus locus, & occasio peccandi.

MEDITATIO CCCLXXXIV.

Continuatio ejusdem Historiæ.

Joan. 11. v. 19.

PUNCTUM I. *Multi autem ex Judæis venerant ad Martham, & Mariam, ut consolarentur eas de Fratre suo. Martha ergo, ut audivit, quia JESUS venit, occurrit illi: Maria autem domi sedebat.* Joan. 11. v. 19. Sic & tu, humano relicto solatio, occurre venienti DEO, Consolatori tuo; humana enim solatia parùm prosunt, DEUS autem consolatur corda. Id expertus David inquit Ps. 76. v. 3. *In die tribulationis meæ DEUM exquisivi, manibus meis nocte contra eum: & non sum deceptus. Renuit consolari Anima mea, memor fui DEI, & delectatus sum.* Si itaque ad DEUM refugias, orando, poscendo Auxilium, proponendo illi tuam necessitatem; DEO occurris, qui ad opem & Solatium tibi afferendum paratus te exspectat. Ideo S. Jacobus in Epist. c. 5. v. 13. ait: *Tristatur aliquis vestrûm? Oret.* Martham ergo sequere, & relinque Mariam apud onerosos consolatores domi sedentem. Cæterùm Auxilijs Divinis etiam cooperandum est: Illa enim conferendo DEUS venit ad nos: Illis autem cooperando nos occurrimus DEO.

PUNCT

PUNCT. II. *Dixit ergo Martha ad JESVM: Domine, si fuisses hîc, Frater meus non fuisset mortuus.* v. 21. Etiamsi enim non dubitaverit Martha, quin etiam absens potuisset impedire mortem Fratris: nam statim addidit: *Sed & nunc scio: Quia quæcunque poposceris à DEO, dabit tibi DEVS.* v. 22. Et mox v. 27. dixit: *Vtique Domine, ego credidi, quia tu es Christus, Filius DEI Vivi, qui in hunc Mundum venisti.* Sciebat tamen, Christum plerumque per suam corporalem Præsentiam, atque etiam per Attactum, vel Manuum impositionem Miracula patrare solitum. Disce Marthæ exemplo, confidere corporali Præsentiæ Christi in S. Eucharistia, atque ideo eam devotè sume, vel coràm adora, & sic ab omnibus malis, præsertim à morte Animæ te præserva: *Hic est* enim *Panis de Cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum Panis Vivus, qui de Cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum.* Joan. 6. v. 50. Non solùm autem corporali Præsentia Christi, sed etiam Spirituali per Gratiam Auxiliantem, & per memoriam ejus omnia cognoscentis, à morte Animæ præservaberis. Cura ergo, ut semper ita tibi præsentem habeas: & sic nunquam dices: Domine, si fuisses hîc, ego non fuissem mortuus.

PUNCT. III. *Dicit illi JESVS: Resurget Frater tuus.* v. 23. Cùm autem Martha hæc verba non de mox futura Resuscitatione, sed de Universali Resurrectione mortuorum intelligeret, inquiens: *Scio, quia resurget in Resurrectione in novissimo die*: illam ad immediatæ Resurrectionis Fidem ac Spem disposuit Christus, ostendendo, Se esse Resurrectionem & Vitam causalem; & sicut uniuscuiusque hominis Fides viva, ac

Charitate formata illum movet ad dandam ei Vitam Æternam; sic æquè Fidem Marthæ (ut patet ex v. 40.) moturam ad vitam temporalem, statim ac quam primùm mortuo Fratri restituendam. Ideo restitutionem futuram temporalis Vitæ ex restitutione Vitæ Æternæ confirmans, *Dixit ei JESVS: Ego sum Resurrectio & Vita. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit* (secundùm corpus, postquam crediderit) *vivet. Et omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* v. 25. Sic neque de Vita & Resurrectione Spirituali Fratris tui, quam vis quatriduani & jam fætentis peccatoris, desperes; si enim precibus, adhortatione, admonitione &c. eum constanter juves, *Resurget Frater tuus.* Vel maximè autem procura tuam Resurrectionem statim, si per peccatum mortuus fueris. Si autem vivis, constanter crede Fide. Viva, ne moriaris in æternum.

MEDITATIO CCCLXXXV.

Continuatio eiusdem Historiæ.

Joan. 11. v. 28.

PUNCTUM I. *Abiit* (Martha) *& vocavit Mariam Sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te.* Joan. 11. v. 28. Vel enim revera Christus jussit vocari Mariam, vel Martha rectè præsumpsit. Sic & nos, cùm priùs pervenerimus ad Christum, etiam Fratrem, sive Proximum nostrum vocemus, primùm propriæ, deinde alienæ Salutis studiosi. Sed vocemus silentio, & clàm, non quærentes publicam famam, aut plausum, imò etiam consulentes honori Proximi;

Proximi; ideo Christus Matth. 18. v. 15. ait: *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris Fratrem tuum.*

Punct. II. *Illa* (Maria) *ut audivit, surgit citò, & venit ad eum: Nondum enim venerat* JESVS *in Castellum* (ne inde deberet ad sepulchrum Lazari rursum exire) *sederat adhuc in illo loco, ubi occurrerat ei Martha. Judæi ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cùm vidissent Mariam, quia citò surrexit, & exiit, secuti sunt eam.* v. 29. Quoties te silentio per internas Inspirationes vocat Deus, téque exspectat; nec tamen citò surgis, & venis ad eum? Quoties pergis in otiosis colloquijs & confabulationibus cum hominibus; & tamen Deus te vocat ad Orationem, ad studia, ad functiones officij? Quoties vano respectu hominum te finis retardari à Vocatione Dei, & ab accessu ad Deum? Quoties venis ad Deum, & ad Colloquium cum Deo, Orationis tempore ad illud evocatus; & non relinquis post te confabulatores tuos, & distrahentem turbam cogitationum tuarum? Non sic fecit Maria Magdalena.

Punct. III. *Maria ergo cùm venisset, ubi erat* JESVS, *videns eum, cecidit ad pedes ejus, & dixit ei: Domine, si fuisses hîc, non esset mortuus Frater meus.* v. 32. Sic ad Orationem sive ad colloquium cum Deo veniens, Deum velut præsentem oculis mentis aspice, & externâ etiam corporis Reverentiâ ante illum prostratus, illi loquere. Hæc Divinæ Præsentiæ viva memoria, & exterior corporis habitus plurimùm juvabunt ad devotionem internam. Adverte etiam, quòd, licèt ambæ Sorores Lazari fuerint valde illius amantes, neutra tamen pro eo resuscitando, vel è purgatorio

liberando apud Christum interceſſerit, ſed utraque duntaxat mortis cauſam in Chriſti abſentiam retulerit. Id totum ferè compaſſionis genus eſt, quod mortuis impenditur, ut cum dolore memoretur, quid fieri, vel non fieri debuiſſet, ut mors non eveniſſet. Ne ergo Satisfactionem tuam, in aliorum Suffragia confiſus, differas. Denique obſerva, Mariam Magdalenam iterum conſuetum ſibi locum, id eſt, infimum ad pedes Chriſti delegiſſe: hic eſt enim mos Humilium, ſemper ultimum locum tenere, & *velut ſibi* proprium ac debitum vindicare.

MEDITATIO CCCLXXXVI.

Continuatio Ejuſdem Hiſtoriæ.

Joan. 11. v. 33.

PUNCTUM I. *JESUS ergo, ut vidit eam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit Spiritu, & turbavit ſeipſum.* Joan. 11. v. 33. *Et lacrymatus eſt JESUS.* v. 35. Conſidera cauſam, quæ Chriſtum ad fremitum cum ſumma decentia & rationis moderamine, etiam externo ſigno editum, & ad contumbationem, ſive vehementem triſtitiam animi impulerat, non tam fuiſſe mortem Lazari, mox reſuſcitandi, quàm miſerum ſtatum hominis per peccatum mortui, quem Lazarus, veluti viſibilis imago illius, repræſentabat. Unde fremebat mente, & vehementer indignabatur Chriſtus, quòd Judæi tam faciles eſſent ad lacrymas compaſſionis propter mortem corporalem Lazari, & tam duri ad lacrymas Pœnitentiæ, atque ad Fidem in Chriſtum, ſine qua impoſſibile

era

erat ipsis à morte Animæ ad Vitam Æternam pervenire. Ideo, cùm quidam ex Judæis dicerent: *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur*; renovatâ per hoc dictum indignationis causâ, ait Evangelista. v. 38. *JESVS ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum.* Quæ indignatio, quia ex Amore, quem testabantur lacrymæ, profecta est; idcirco non tam ad Lazarum, quàm ad Judæos, & ad quemvis deploratum peccatorem referri possunt verba illa: *Ecce quomodo amabat eum.* v. 36. Imò quia pro homine peccatore Christus non tantùm lacrymas, sed & Sanguinem fudit, hic longè magis causam dicendi præbet: *Ecce quomodo amabat eum.* Tu ergo noli Christo esse causa tam justæ indignationis, ac tristitiæ; sed potiùs simili zelo indignationis, tristitiæ, & compassionis feraris erga quemvis peccatorem, ut ad ejus Resuscitationem pro viribus cooperèris.

Punct. II. In modo resuscitandi Lazarum, considera modum resuscitandi peccatorem. 1. *Ait JESVS: Tollite lapidem*: ut v. 39. legitur. 2. *JESVS autem elevatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audîsti me* (unde colligitur, eum pro Lazaro orâsse) *Ego autem sciebam, quia semper me audis &c.* 3. *Voce magna clamavit: Lazare veni foras.* 4. *Dixit JESVS: Solvite eum, & sinite abire.* v. 43. & 44. His omnibus, vel saltem aliquo horum modo cooperare ad Resuscitationem mortui secundùm Animam peccatoris. Tollendus enim est lapis, sive durities cordis, & obstaculum Conversionis. Deus pro illo orandus. Foras à profundo peccatorum tumulo voce magna, efficaci scilicet adhortatione, evocandus. Solvenda etiam

vincula, quibus post Resuscitationem adhuc constrictus tenetur; nimirum pravæ inclinationes, & habitus eximendi.

PUNCT. III. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus institis, & facies illius sudario ligata.* v. 44. Sicut ad vocem Christi revixit Lazarus, sic ad vocem Sacerdotis, absolventis à peccatis, revivisçit peccator. Sicut autem Lazarus prodiit e monumento sepulchri valde impeditè, quia adhuc pedes ipsi erant ligati, & manus, & facies erat velata, quò minùs videret, quò iret: Sic peccator à peccatis revivisçens, & prodiens, retinet suas pravas inclinationes, inordinatas passiones, perversos habitus, quibus ligantur manus, & impediuntur ab executione Bonorum Propositorum: ligantur etiam pedes Voluntatis, quò minùs expeditè feratur in Bonum, & occæcatus manet Intellectus, ut honestatem Virtutis, ac inhonestatem vitij non satìs agnoscat. Cura, ut ab his vinculis sis liber, & alios solvas.

MEDITATIO CCCLXXXVII.

De Concilio adversùs Christum habito.

Joan. 11. v. 47.

PUNCTUM I. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa Signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & Gentem.* Id est, nostram Civitatem, & Templum, & terram devastabunt, nósque captivos abducent, ac dissipabunt, tanquam à Cæsare ad novum Regem & Messiam

Messiam deficientes. Hinc patet, quàm stulta, impia, & infirma sit humana, ac Politica Prudentia. Stultè enim tot Signis Pontifices & Pharisæi fidem negârunt, propter quæ fassi sunt, omnes alios credituros. Stultè timuerunt: quia Christus non affectavit terrenum Regnum; & si affectâsset, ille, qui poterat tot Signa facere, potuisset etiam Regnum suum tueri contra hostes quoscunque. Impiè decreverunt insontem occidere. Infirmum fuit consilium; quia quod Politica Ratio suasit, ut medium evadendi Romanos, id (nempe Mors Christi) fuit causa, ut Romani Ducibus Tito & Vespasiano, in ultionem Filij à Cælesti Patre post quadraginta annos immissi, venirent, & tollerent locum, ac Gentem Judaicam: útque etiam Ecclesia Romana tolleret Synagogam Judæorum. Tu ergo noli vitam tuam instituere secundùm Prudentiam humanam hujus Mundi, quæ stultitia est apud DEVM teste Paulo. 1. Cor. 3. v. 19.

PUNCT. II. *Vnus autem ex ipsis, Caiphas nomine, cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat.* v. 49. Ex Divino Oraculo hanc Veritatem protulit. Considera itaque genuinum illius sensum, & expende, quis, ac quantus sit ille homo, & quid sit retribuendum illi, qui Morte sua ita Bonum commune procuravit. An non æquum est, ut vicissim Amore illius exuatur amor proprius, & Bonum commune ac Bonum Christi bono privato anteponatur; atque adeo à nobis, contrà, quàm Mundi sectatores solent (qui teste Paulo Philipp. 2. v. 21. *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt JESV Christi*) quærantur ea potiùs, quæ sunt Christi, quàm quæ sunt nostra?

PUNCT.

Punct. III. *Hoc autem à semetipso non dixit: sed cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd JESUS moriturus erat pro Gente, & non tantùm pro Gente, sed ut Filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in unum.* v. 51. Id est, Fideles ex Gentilibus, & ex Judæis in unam Ecclesiam congregaret. Sic etiam Superiores nostri prophetant; quia nos ipsi non scimus quidquam, nec cogitamus, quod expedit nobis. Illorum ergo judicio nos penitus committamus; quia hoc ipso, quod Superiores sint, à Deo reguntur, & illustrantur, ut, etiamsi malè erga nos affecti essent, & nostrum bonum minimè intenderent, id tamen procurarent; sicut Caiphas suâ sententiâ procuravit Redemptionem totius Generis Humani, & Exaltationem Christi, cùm ipse prorsus aliud intenderet.

MEDITATIO CCCLXXXVIII.

Christus ascendit Jerosolymam.

Marc. 10. v. 32.

Punctum I. *Erant autem* (Christus & Discipuli) *in via ascendentes Jerosolymam: & præcedebat illos JESUS, & stupebant: & sequentes timebant.* Marc. 10. v. 32. Considera ex eo, quòd Christus ab Evangelista dicatur præcessisse ad locum Passionis, indicari ingens desiderium, & promptitudinem patiendi, atque ad se alacriter sequendum alios incitandi: quandoquidem *Momentaneum ac leve tribulationis nostræ supra modum Æternæ Gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. v. 17. Unde immeritò etiam *Sequentes timebant.* Timeant potiùs ij, qui Christum non sequuntur.

Punct

PUNCT. II. *Et assumens iterum Duodecim, cæpit illis dicere, quæ essent ei eventura. Quia ecce ascendimus Jerosolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis, & Senioribus, & damnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus: & illudent ei, & conspuent eum, & flagellabunt eum, & interficient eum, & tertia die resurget.* Considera, quæ causæ fuerint hujus Sermonis Christi, ac Vaticinij. Hæ nimirum 1. ut, quemadmodum Christo volupe fuit, cogitare & loqui, de sua Passione, sic & nos Exemplo suo doceret libenter de ea cogitare, audire, & loqui, cum gratitudine & desiderio similia patiendi. 2. Ut, quemadmodum Christus hoc Vaticinio ostendit, Passionem suam non esse sibi improvisam, nec ingratam; sic & nos moneret, ut adversa nobis patienda prospiceremus, & in ea nos resignaremus, memores Felicis & Gloriosæ Resurrectionis: *si tamen compatimur.* Rom. 8. v. 17.

PUNCT. III. *Et ipsi nihil horum intellexerunt: erat enim Verbum illud absconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur.* Luc. 18. v. 34. Non sic nos de Passione Christi audiamus, sed ejus veritatem, utilitatem, ac necessitatem penetremus, & cum magno fructu, ac multiplici affectu meditemur. Sapiamus ea, quæ DEI sunt, observantes illud S. Pauli monitum, Philipp. 2. v. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo IESV.*

&c.

MEDI-

MEDITATIO CCCLXXXIX

Jacobus & Joannes primas Sedes ambiunt. Matth. 20. v. 20. Marc. 10. v. 35.

PUNCTUM I. *Tunc accessit ad eum Mater Filiorum Zebedæi cum Filijs suis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo Filij mei, unus ad Dexteram tuam, & unus ad Sinistram in Regno tuo.* Matth. 20. v. 20. Quia verò, quod quis per alium facit, per seipsum facere censetur, ideo Marcus dixit: *Et accedunt ad eum Iacobus & Ioannes, Filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut, quodcunque petierimus, facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis, ut faciam vobis? & dixerunt: Da nobis, ut unus ad Dexteram tuam & alius ad Sinistram tuam sedeamus in Gloria tua.* Quanto conatu opponere nos debemus studio supra alios eminendi, cùm Ambitionis vitium omnes alios præcedendi, etiam Piscatoribus congenitum fuerit; & illius tamen tanta sit turpitudo, ut superbam petitionem puduerit per seipsos, & absque ambagibus proponere, sed Matrem substituerint, & priùs generalibus verbis assensum rogaverint? Sicut autem hi duo Fratres hic appetentes fuerunt honoris; ita postea ibant gaudentes à conspectu Concilij, *Quoniam digni habiti sunt pro Nomine IESV contumeliam pati.* Act. 5. v. 41.

PUNCT. II. *Respondens autem IESVS, dixit illis: Nescitis, quid petatis.* Matth. 20. v. 22. Putabant enim, ut colligitur ex Luca. c. 19. v. 11. Christum post Resurrectionem illico Jerosolymis regnaturum,

gnúmque illius fore terrenum. Sic quoties terrenum aliquid petimus, neſcimus, quid petamus: an ſcilicet id utile, vel damnoſum ſit nobis futurum. Ideo S. Paulus Rom. 8. v. 26. ait: *Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis* (id eſt, facit, & docet nos poſtulare) *gemitibus inenarrabilibus*: ſcilicet animo noſtro infuſis: quibus terrena nonniſi ſub conditione, ſi nobis utilia & Deo placita fuerint; Cæleſtia verò, quæ Deo placita ex formula Orationis Dominicæ novimus, efficaciter appetimus.

Punct. III. *Poteſtis bibere Calicem, quem Ego bibiturus ſum?* Matth. v. 22. *Aut Baptiſmo, quo Ego baptizor, baptizari?* Marc. 10. v. 38. *At illi dixerunt: Poſſumus.* Paſſionem ſuam Chriſtus Calicem, & Baptiſmum appellat, & Exemplum ſuum allegat: ut ad patiendum nos invitet ſuo Exemplo, & Patientiæ utilitatem per duplicem metaphoram declaret; quia velut ſumptio Calicis, & ablutio corporis, ſe habet ad corpus, ita Patientia adverſorum ad Animam ſe habet, quam refrigerat, recreat, & mundat. Cura ut velut duo Filij Zebedæi idem poſſis re ipſa reſpondere.

MEDITATIO CCCXC.

Continuatio ejuſdem Argumenti.

Matth. 20. Marc. 10.

Punctum I. *Calicem quidem, quem Ego bibo, bibetis: & Baptiſmo, quo Ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem ad Dexteram meam, vel Siniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt.* Marc. 10. v. 39. Pro Gloria, & quiete temporali, quam per ſeſſionem ad Dexte-

Dexteram & Siniſtram in Regno Chriſti terreno, ſi tenderant duo Filij Zebedæi, Chriſtus Calicem & Baptiſmum ſuæ Paſſionis promittit. Sic magnum DEI Beneficium eſt, ſi pro proſperis, quæ malè pe- mus, DEVS immittit adverſa, & tribuit ſimul Gratiam Patientiæ, ac Perſeverantiæ : tunc enim non nega proſperitatem, ſed loco temporalis dat Æterna Quemadmodum prædictis duobus Fratribus Chriſt non negavit Seſſionem ad Dextram & Siniſtram, ſed tantùm negavit eam, quam petebant in *Regno ter-* reno, & quâ cupiebant alijs præferri. Unde reſpon- ſio Chriſti non eſt negativa, ſed parit quaſi hunc ſen- ſum : Sedere autem ad Dexteram meam, vel Sini- ſtram, non eſt meum dare vobis præ reliquis, ſed & vobis, & omnibus alijs, quibus paratum eſt. Apud S. Matthæum enim capite præcedenti verſu 28. Chri- ſtus omnibus dixit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui ſec- eſtis me, in Regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſ de Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper* Sedes *duodecim.*

PUNCT. II. *Et audientes Decem, indignati ſunt duobus Fratribus.* Sic qui in Communitate privilegia- vel honoratiorem inter ſuos locum, vel majorem pud Superiores favorem ſibi exhiberi cupiunt, alios in ſe odium, indignationem, invidiam, murmura- nem &c, concitant; quod omnino cavendum eſt tum Subditis, quàm Superioribus. Jis tamen, qui ta- quærunt, tu ne indigneris.

PUNCT. III. *IESVS autem vocavit eos ad ſe, & ait: Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum; & qui majores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos. Sed quicunque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit omnium ſervus*

servus. Sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. In his verbis Christus tradit modum expugnandi Superbiam; nempe ut appetitui præcellentiæ, & eminentiæ occurratur per studium prorsus oppositum, se omnibus submittendi, vilissima officia obeundi, & inserviendi alijs. Ad hoc autem, loco Argumenti, adducit indecentiam, si Discipuli Christi, ac Perfectionis studiosi, potiùs morem Gentium, quàm suum Exemplum imitentur, & negligant pollicitationem veræ Excellentiæ, ac eminentiæ, quæ habetur apud DEVM; apud quem ille Major est, qui Humilior est: idémque Major erit in Cælo.

MEDITATIO CCCXCI.

De Cæco in via sanato.

Luc. 18. v. 35.

PUNCTUM. I. *Factum est autem, cùm appropinquaret Jericho* (ex Ephrem Jerosolymam ascendens, & hîc pertransiens; multi tamen putant, non tunc, cùm Christus appropinquaret Jericho, sed cùm egrederetur, visum huic Cæco restitutum esse, priùs verò solùm fuisse petitum; & deinde petitionem fuisse iteratam. Unde existimant, hanc visûs restitutionem esse eandem cum ea, quam ijsdem propè verbis Matthæus c. 20. v. 29. & Marcus c. 10. v. 46. narrant in egressu ex Jericho contigisse; & quidem Matthæus duos memorat sanatos, sed Marcus etiam unius tantùm mentionem facit, utpote famosioris, hinc & nomen ejus refert) *Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans.* Considera, per hunc Cæcum repræsentari

hominem, cupientem clarè agnoscere, quid credendum, quid agendum, quid omittendum, quid sperandum, quid timendum sit; cujus claræ cognitionis defectu, virtutum egens, inops, & mendicans est. In isto teipsum respice, agnosce miseriam Cæcitatis Spiritualis: & desidera, à DEO illuminari, atque prædicta omnia clarè videre.

PUNCT. II. Considera modum, quo Cæcus lumen oculorum recepit: *Cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod IESVS Nazarenus transiret. Et clamavit dicens: IESV Filij David miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret* (ne molestus esset Christo prætereunti, & inter eundum docenti) *Ipse verò multò magis clamabat: Fili David miserere mei. Stans autem IESVS jussit illum adduci ad se.* v. 36. Sic illuminatio Intellectûs unicè desideranda, constanti Fiduciâ ante alia minora, ac solùm temporalia bona, à DEO petenda, & Ducibus Spiritualibus utendum, ut à Christo & à DEO illuminaris; Duces autem sunt Superiores, Patres Spirituales, Prædicatores, Libri Ascetici. Imitandus etiam Cæcus, qui, quò magis à prætereunte turba distrahebatur, & avertebatur ab Oratione, eò magis clamabat & intensiùs ac attentiùs orabat.

PUNCT. III. *Et cùm appropinquâsset, interrogavit illum dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et IESVS dixit illi: Respice, Fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur illum, magnificans DEVM. Et omnis plebs, ut vidit, dedit Laudem DEO.* v. 40. Ecce quàm media prædicta simul cum Fide ac Fiduciâ fuerint efficacia ad obtinendum lumen oculorum corporalium. Non minùs erunt efficacia

cacia ad obtinendum Lumen oculi mentalis : istud verò efficiet, ut sequaris Christum, ejus Vestigijs constanter inhæreas, DEVM magnifices; & ut homines, hoc videntes, dent Laudem DEO, quam etiam ipsi soli relinques, nihil tibi ex illa decerpens.

MEDITATIO CCCXCII.

De Zachæo.

Luc. 19. v. 1.

PUNCTUM I. *Et ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir, nomine Zachæus: & hic Princeps erat Publicanorum.* (Exactores hi erant vectigalium, à Romanis & à Tiberio Cæsare Judæis impositorum) *& ipse dives: & quærebat videre IESVM, quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat.* Sicut Zachæus non obstantibus publicis officij inquieti negotijs, ac divitiarum augendarum, conservandarúmque solicitudinibus, quærebat videre JESVM; sic non obstantibus Vitæ Activæ curis, semper conservandum est desiderium & studium Vitæ Contemplativæ, quâ ad DEVM attollamur: & ne turba cogitationum, & functionum circumsistentium, nobis in Perfectione pusillis, mentis visum impediat, Zachæus imitandus est, qui *Præcurrens ascendit in arborem Sycomorum* (gignentem fructus similes Ficui, & folia similia Mori foliis) præcurrendum scilicet est & ascendendum ad Orationem, & ad locum opportunum Orationis, quæ piarum Affectionum, veluti fructuum dulcedine, & sapientium Propositorum, veluti Mori minimè fatuæ foliis Sycomorum refert: Sic enim supra terrenarum

cogitationum turbam priùs elevati, finè earum sub-
sequentium obstaculo DEVM è sublimi videbimus; in-
de in nosmet ipsos per Humilem nostrî ipsorum Co-
gnitionem descendentes, digni erimus, qui DEVM
Christum Dominum animi hospitio recipiamus, a-
nobiscum detinere possimus, illud Christi imperi
exequentes v. 5. *Zachæe, festinans descende, quia hod*
in domo tua oportet me manere.

PUNCT. II. *Et festinans descendit, & excepit illu*
gaudens. v. 6. His verbis in sensu morali cordis alacri-
tas per festinationem; Contritio, & Humiliatio &c.
per descensum designatur; ac inde consequens quie
ex subita mutatione animi, & DEI per Gratiam re-
ceptione orta. Sic etiam tu festinans descende, &
excipe illum gaudens. In eo excipiendo autem Za-
chæum etiam imitare, qui priùs vidit Christum DEVM
Quis esset, quem ipse peccatis suis offenderat: M
festinans descendit, in se, & in animi sui latebras,
ditque, quis ipse esset; ac peccatorem agnoscens, h
mili ac contrito corde Gratiam, & Salutem animi re-
cepit: atque sic Salus Domui huic facta est.

PUNCT. III. *Et cùm viderent omnes, murmurabe*
dicentes, quòd ad hominem peccatorem divertisset. v.
Hæc verba in contemptum, ac vilipensionem Za-
chæi dicta fuerant. Ille verò Humilium more, in-
de magis se humiliavit, & se quoque peccatorem
profitens, *Stans dixit ad Dominum: Ecce dimidium bono-*
rum meorum Domine, do pauperibus, & si quid aliquem de-
fraudavi, reddo quadruplum. Sed Christus Zachæi exi
stimationi consulens, eúmque jam Justificatum pr
nuncians, inquit: *Hodie Salus Domui huic facta est* (
est, Domino domûs, Salus Animæ) *eò quòd & ipse f*

lius sit Abrahæ: Saltem imitatione Fidei, Justitiæ, & Sanctitatis Abrahæ; & Generatione Spirituali ex Christo, Filio Abrahæ, per Gratiam regeneratus. Hoc modo & tu esto Filius Abrahæ, ut merearis recipi in sinum Abrahæ, implens priùs illud Christi Monitum, *si Filij Abrahæ essis, Opera Abrahæ facite.* Joan. 8. v. 39. Vide etiam, quantum honorem & laudem pro vituperio humiliter tolerato Zachæus receperit? Itaque sine alios de te sentire, quidquid velint: modò coram Deo Justus sis. Tu Deo tuî defensionem relinque. Præterea observa, si Salus facta est domui, id est, degenti in domo, ubi Christus solùm una die divertit; quantò magis degentibus in Templo Salus sit impertienda, ubi Devs velut in Domo Orationis stabiliter residet ad exaudiendas preces illuc adventantium? Salus autem, quæ facta est, consistebat, & consistere debet in emendatione vitæ, & satisfactione.

MEDITATIO CCCXCIII.

De Servis decem Mnas accipientibus.

Luc. 19. v. 11.

Punctum I. *Hæc illis audientibus* (quæ scilicet responderat Christus murmurantibus, quòd ad Zachæum peccatorem divertisset) *adijciens, dixit Parabolam* (quam deinde paulò ante Mortem, paucis verbis mutatis, repetijt Matth. 25. v. 14. ubi pro Mna ponit Talentum, quorum unum continet Sexaginta Mnas apud Hebræos) *eò quòd esset prope Ierusalem* (quia nimirum ibi brevi passurus erat, & Judaicus Populus

ipse etiã Parabolæ partem erat impleturus; quæ proin de indicatur fuisse causa referendi Parabolam) *& qui existimarent, quòd confestim Regnum DEI manifestaretur* (quem proinde errorem Discipulos suos dedocere voluit sequenti Parabola) *Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi Regnum & reverti.* (quod Christus fecit, cùm Mortem subiit & postea ad Regnum Cælorum ascendit, inde venturus, judicare vivos & mortuos) *Vocatis autem decem servis suis* (quo numero certo & pleno universa multitudo servorum designatur) *dedit eis decem Mnas, & ait ad illos: Negotiamini, dum venio. Cives autem ejus oderant eum: & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* (Judæi enim oderunt Christum, & negârunt, se alium Regem habere, nisi Cæsarem, proinde noluerant eum regnare super se, quod ipsum etiam in effectu dicunt, & nolunt omnes peccatores, Suave Christi Jugum excutientes) Consideremus, per decem Mnas decem servis divisas, indicari, quòd singulis hominibus à Christo & ex Meritis Christi dividantur Auxilia sufficientia ad negotiandum, & ad lucrandam atque augendam Gratiam Sanctificantem per merita Bonorum Operum. Sic autem Mna alia est aurea, valens apud Hebræos decentos quadraginta aureos; alia argentea, valens decentos quadraginta Julios sive Regales; sic etiam Mna Auxiliorum & Mediorum ad operandam Salutem est inæqualis; unde in eadem Parabola Matth. 25. repetitâ, uni dicuntur esse data *Quinque Talenta, alii autem duo, alii verò unum*, v. 15. Qualis Mna, & quot Talenta tibi data sunt, quàm præstantia, inquam, efficacia Auxilia ac Media Salutis, sive spectes vi[s] natu[ræ]

naturales corporis & animi, sive Supernaturales, præsertim in Statu Religioso? Quantum ergo per tuam Mnam lucrari potes, & debes, nisi ingratus & infidelis esse velis?

Punct. II. *Et factum est, ut rediret accepto Regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret, quantum quisque negotiatus esset. Venit autem Primus, dicens: Domine, Mna tua decem Mnas acquisivit. Et ait illi: Euge Bone Serve, quia in modico fuisti Fidelis, eris potestatem habens super decem Civitates. Et alter venit, dicens: Domine, Mna tua fecit quinque Mnas. Et huic ait: & tu esto super quinque Civitates.* v. 15. Sic pro inæqualitate Meritorum, cùm Christus reversus fuerit ad Judicium, & homines ad illud per Angelos fuerint evocati, retribuentur Præmia inæqualia. Itaque imitare prædictos servos, maximè autem Primum, qui propter suam industriam maximè laudatus, & maximo honore ac potestate donatus est: industria enim illius, & studium Perfectionis, ac augmenti Gratiæ, non tantùm fuit mediocre, sed summum: & tamen non sibi, verùm Auxilijs & Medijs sibi datis à Christo, adeóque Deo, & Christo omne lucrum adscripsit: *Domine Mna tua decem Mnas acquisivit.* Sic ergo, quantumcunque in Virtute profeceris, nihil tibi inde attribuas, sed Gratiæ Divinæ efficaci adscribas.

Punct. III. *Et alter venit, dicens: Domine, ecce Mna tua, quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es: tollis, quod non posuisti; & metis, quod non seminàsti. Dicit ei: De ore tuo te judico serve nequam. Sciebas, quòd ego homo austerus sum* (id est, severè puniens omnem culpabilem negligentiam) *tollens, quòd non posui; & metens, quod non seminavi* (id est,

supra Mnam, sive supra data Auxilia, & supra colla
ta Media, etiam ipsius hominis cooperationem ex
gens) *& quare non dedisti pecuniam meam ad mensam* (nu
mulariorum, sive fœneratorum) *ut ego veniens utiq
cum usuris exegissem illam? Et astantibus dixit: Auferte
illo Mnam, & date illi, qui decem Mnas habet* (Nam
die Judicij, etiam particularis, per ipsam mortem to
lentur Auxilia ad merendum data reprobis, qui ill
non usi, vel abusi sunt; Probis autem relinquuntur in
effectu suo, nempe in ipso Præmio; in quo etiam
Mna servi pigri adijcitur illi, qui decem Mnas lucra-
tus est, dum accipit speciale Gaudium propter am-
pliora Merita, quorum occasio fuit servi pigri negli-
gentia; quæ Patientiæ, Correctionis Fraternæ, am-
plioris Fervoris &c. ansam præbuit) Addit Christus
Matth. 25. v. 30. *Inutilem autem servum ejicite in tene-
bras exteriores* (extra Regnum Cælorum offundend
oculis Animæ, & Corporis) *illic erit fletus, & stride-
dentium.* Si hoc fit cum eo, qui non utitur Mnâ sua
quid fiet cum abutente? Et quid si Mna non sit tantu
unica, sed multiplex? Tu ergo ab utroque tibi cav
& cura, ut Auxilia ad merendum data non tantùm n
amittas, vel negligas per oscitantiam & remissione
sed ut fervore tuo illa etiam augeas, & mereariss am-
pliora, & ut ex aliorum negligentia majorem profe-
ctum capias. *Quia omni habenti dabitur, & abundabit:
ab eo autem, qui non habet, & quod habet, auferetur
tur ab eo.* v. 26.

)(†)(

MEDI

MEDITATIO CCCXCIV.

De Cœna in domo Simonis Leprosi.

Matth. 26. v. 6. Marc. 14. v. 3. Joan. 12. v. 1.

PUNCTUM I. *JESUS ante sex dies Paschæ venit Bethaniam* (Jerosolymis digressus) *ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit JESUS. Fecerunt autem ei cœnam ibi* (scilicet sequenti die Sabbati, pridie Dominicæ Palmarum: nec abludit ab hoc tempore Matthæus, quamvis per histerologiam priùs referat Christi de sua Morte Vaticinium, quod postea contigit, scilicet die Martis, duorum tantùm dierum intervallo Mortem Christi præcedentis) *Et Martha ministrabat.* (quamvis in domo aliena, nempe Simonis Leprosi, teste Matthæo, sed probabiliter vicinâ; & vel vicinitati, vel precibus sui vicini, vel Christi studiosæ Charitati id obsequium, tanquam perita coqua, tribuens) *Lazarus verò unus erat ex discumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, & unxit Pedes JESU, & extersit Pedes ejus capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti.* Joan. 12. à v. 1. Considera inprimis in Martha pulchrum Humilitatis Exemplum, quòd Virgo nobilis & dives, in domo etiam aliena, Fratre suo mensæ cum Christo assidente, non dedignata sit mensæ ministerium subire, minimè vile, nec Nobilibus Natalibus suis indignum reputans, quod Christo, & ejus Discipulis præstitum esset. Hanc Humilitatem adeò DEUS ipsi compensavit, ut propter eam in toto nunc Christiano orbe non minùs, quàm Soror ejus propter pretiosum un-

guentum Christo affusum, laudetur. Nihil ergo & tu vile ducas, quod pro Dei Honore obeundum est & quævis servilia obsequia Christo in Proximo, vel Proximo propter Christum libenter impende.

Punct. II. Considera in Lazaro (quem Evangelista cum Christo mensæ accubuisse memorat, unque in confirmationem veræ per Christi Virtutem effectæ Resurrectionis ex mortuis) quomodo etiam actiones de se indifferentes ad Dei Honorem referendæ sint per bonam Intentionem; hæc autem Intentio, ut bona sit, debet esse libera ab admixtione alterius vani, vel temporalis finis: unde illi Judæi, de quibus Joannes hîc v. 9. ait: *Venerunt non propter JESUM tantùm, sed ut Lazarum viderent*; hac ipsa Evangelistæ animadversione minùs sinceræ Intentionis vituperium subiêrunt. Prædictæ autem bonæ ac puræ Intentionis etiam ipse Christus hîc specimen præbuit quando Ministerium Marthæ, & Magdalenæ pretiosam Pietatem erga se, non propter suam commoditatem ac Gloriam, sed propter Piarum Sororum solatium, ac Meritum Virtutis multiplicis, ac propter Patris sui Gloriam, qui in Filio honorabatur, admisit. Vnde Matth. 8. v. 40. dixerat: *Qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Et Joan. 8. v. 50. *Ego autem non quæro Gloriam meam.*

Punct. III. Considera in Maria Magdalena, quomodo domus odore unguenti, nempe odore variarum Virtutum, & Exempli domesticis præbendi, implenda sit: cum rigante enim Pedes Christi lacrymis, & capillis eos tergente, actiones Pœnitentiæ & Humilitatis exhibendæ sunt; cum effringente vas, & unguentum pretiosum in Christi Caput effunden-

te

te (S. Marcus c. 14. v. 3. de illa testatur: *Venit mulier*, nempe Magdalena: *habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi; & fracto alabastro, effudit super Caput eius*) per Mortificationes corporis effringenda sunt lutea ac fictilia vasa corporum nostrorum, & in Caput Christi, quod Superiores nobis repræsentant, imò in ipsum Christum, effundendum Obedientiæ, Observantiæ, Charitatis sinceræ ac perfectæ unguentum, diffundens bonæ Famæ & Exempli odorem.

MEDITATIO CCCXCV.

Continuatio eiusdem Historiæ.

PUNCTUM I. *Dixit ergo unus ex Discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc unguentum non venit trecentis denarijs, & datum est egenis?* Joan. 12. v. 4. Judæ murmuratio tribui videtur à S. Matthæo c. 26. v. 8. etiam alijs Discipulis. Quia vel quosdam ad eandem stimulavit, vel ponitur numerus pluralis pro singulari, ut in S. Scriptura sæpius poni solet. *Videntes autem Discipuli, indignati sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Sic etiam in Sacris & Religiosis Cœtibus solent esse murmurationes, & unus sæpe seducit alios, atque ad idem faciendum instigat Virtutis prætextu. Cave ergo à tam noxio & contagioso vitio. Sic quoque Actiones Sanctæ & laudabiles ab alijs, & quidem à Probis etiam nonnunquam Viris, carpuntur, atque in siniſtram partem accipiuntur. Itaque non cura, si actiones tuæ hominibus displiceant, neque propter eorum siniſtros sermones à Virtutum actibus

actibus desiste; sicut non destitit Magdalena. Sat tibi sit, si DEO placeas; quidquid dicant, & cogitent homines.

PUNCT. II. *Sciens autem JESUS, ait illis: Quid molesti estis huic Mulieri? Opus enim Bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in Corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Matth. 26. v. 10. *Sinite illam, ut in diem Sepulturæ meæ servet illud.* Joan. 12. v. 7. *Quod habuit hæc* (id est, quod habuit in sua potestate, sive quod potuit facere) *fecit.* Marc. 14. v. 8. Ecce quomodo Magdalenam, pro sui ipsius defensione tacentem, Christus ipse defendat, & prudenter ac pie, non autem prodigè egisse ostendat, eò quòd actus Pietatis & Religionis erga Christum præferendus sit actui Misericordiæ erga pauperes, & quòd Mors Christi adeò sit propinqua, ut unctio præveniens Mortem, servire possit loco unctionis, quæ defunctorum corporibus honoris causâ exhiberi consuevit. Si ergo tunc (arguebat Christus) pretiosorum unguentorum effusio non est perditio, neque nunc est, quando Sepultura mea, etiam ab inscia, pari honoris exhibendi studio prævenitur, & unguentum non venditur, sed servatur. Ex hac tam efficaci defensione disce, quomodo DEVS possit & soleat eorum Honorem & Innocentiam defendere, qui ipsi suam defensionem relinquunt; & quomodo suâ causâ toleratum contemptû longè majori Gloria & Honore remuneretur. Mox enim addidit hanc promissionem Christus: *Amen dico vobis, ubicunque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus.* Marc. 14. v. 9.

PUNCT.

Punct. III. Considera, quomodo Christus ex defensione Magdalenæ occasionem sumpserit, etiam inter epulas mentionem faciendi de sua Passione; quemadmodum in monte Thabor inter Cælestes Delicias de eadem cum Moyse & Elia locutus est, audientibus tribus Discipulis: ut ostenderet, quàm voluntariè & libenter Passionem & Mortem adiret; simúlque nos doceret, quomodo hujus vitæ gaudia imminentium calamitatum, ipsiúsque mortis memoriâ sint temperanda, vel potiùs cumulanda gaudio de momentanea tribulatione, & miseræ hujus vitæ brevitate. Docet etiam Christus frequenti Mortis suæ prædictione, quàm desideret à nobis frequentem Mortis & Passionis suæ recordationem, ac Meditationem.

MEDITATIO CCCXCVI.

Christus applaudente populo Jerosolymam ingreditur.

Matth. 21. v. 1. Luc. 19. v. 29. Marc. 11. v. 1. Joan. 12. v. 12.

Punctum I. *In crastinum autem turba multa, quæ venerat ad Diem Festum, cùm audîssent, quia venit* JESVS *Jerosolymam, acceperunt ramos Palmarum, & processerunt obviam ei.* Joan. 12. v. 12. *Et cùm appropinquâssent* (Christus & Discipuli ejus) *Jerosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliveti, tunc* JESVS *misit duos Discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, & statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea: solvi-*

te & adducite mihi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Quia Dominus his opus habet: & confestim dimittet eos. Matth. 21. v. 1. Et deinde v. 6. sequitur: *Euntes autem Discipuli fecerunt, sicut præcepit illis JESUS. Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Hujus honoris acceptandi Humillimus Jesus tres causas potissimùm habuit. 1. erat contestatio lætitiæ de sua instante Passione. 2. augmentum ignominiæ, & confusionis ex subsequente deductione ad supplicium: quò enim quis in majori honore & æstimatione priùs est constitutus, eò majori ignominiæ & confusioni cedit publicus contemptus, isteque redditur major. Unde sicut nos homines in ipsa Humilitate, & contemptu sæpe honorem & gloriam quærimus; sic Christus in honore & gloriâ contemptum & humiliationem quæsivit. Ob hanc causam etiam medium & digniorem locum inter latrones deinde acceptavit: quia iste illi delatus est, eò quòd alios secum crucifixos criminum gravitate, & dignitate ac merito supplicij, superare inde argueretur. 3. Demonstratio mutabilitatis humanæ: dum, qui ab hominibus summè laudantur, honorantur, amantur, mox contrarium experiuntur. Imitare lætitiam de adversis prævisis: Humilitatem in sustinenda, & quærenda confusione: contemptum vani & instabilis favoris, laudis & honoris; hùncque nonnisi ex gravissimis causis Christi Exemplo admitte.

Punct. II. In hoc ingressu in urbem impletum est Vaticinium Zachariæ c. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi Justus & Salvator, ipse Pauper, & ascendens super asinum.* Quod S. Matthæus in sensu æquivalenti his verbis

verbis allegat: *Dicite, filiæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi Manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.* c. 21. v. 5. Sic Chriſtus in ipſo etiam Triumphali Ingreſſu in urbem, Juſtitiæ ſive Sanctitatis, Zeli in procuranda Salute hominum, Manſuetudinis, & Paupertatis veſtigia relinquere voluit, ut eadem & nos apud homines, inter quos verſamur, ſemper & ubique relinqueremus: & quando ad illa in animo noſtro incitamur, cognoſcamus, hæc eſſe indicia Viſitationis ac Præſentiæ Chriſti.

Punct. III. *Plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via. Alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hoſanna Filio David: Benedictus, qui venit in Nomine Domini: Hoſanna in altiſſimis* (id eſt, ſit Salus, quæſo, à te Filio David, qui habitas in altiſſimis) Matth. 21. à v. 8. *Pax in Cælo, & Gloria in excelſis.* Luc. 19. v. 38. Quàm multò aliter ex monte Oliveti inductus eſt Chriſtus poſt quatuor dies elapſos in Jeruſalem! Quàm multò aliter acclamârunt: *Tolle, tolle, crucifige eum,* Et *Non habemus Regem, niſi Cæſarem.* Joan. 19. v. 15. Nihili ergo fieri debet omnis honor, laus, gratulatio &c, quando ab hominibus conferuntur. Nos verò non inconſtantes Judæos, ſed plurimam turbam Sanctorum Virorum, qui præcedebant Chriſtum, & qui ſequebantur, id eſt, utriuſque Teſtamenti Sanctos Homines imitabimur, per veram & perfectam Paupertatem ſternentes veſtimenta noſtra, & omnia, quæ habemus, in via hujus vitæ ante pedes ejus, qui venit, ut ſuprà ex Zach. dictum eſt, *Et ipſe Pauper.* Sternentes etiam ramos Palmarum, nempe Victoriarum, de nobis

bis ipsis, Mundo, Carne ac Dæmone relatarum: per quas Justitiam & Sanctitatem imitemur ejus Regis, qui venit nobis *Justus & Salvator*. Cui etiam, ut Regi, perfectam Obedientiam spondeamus, Pacem cum illo servantes, & Gloriam ejus, qui in excelsis habitat, quærentes. Cumque hæc omnia fecerimus, non nobis complaceamus, nec gloriemur: quia Christus potest sibi alios ejusmodi Cultores, nobis multo præstantiores, procurare. *Quia si hi* (nos) *tacuerint, lapides clamabunt*. Luc. 19. v. 40.

MEDITATIO CCCXCVII.

Christus illachrymans Jerosolymæ excidium prænuntiat. Luc. 19. v. 41.

PUNCTUM I. *Et ut appropinquavit, videns Civitatem flevit super illam.* Sic Christus dilexit Jerosolymitanos, Necis suæ, post quinque dies sibi inferendæ, auctores, ut inter lætas acclamationes totius Populi, & in ipso Glorioso Ingressu in urbem, potiùs defleret illorum pœnam, post quadraginta annos totius urbis excidio, per Titum & Vespasianum, infligendam, quàm proprias gravissimas injurias, quas in vitæ honore sibi ab illis proximè inferendas sciebat. Sic diligendi sunt inimici, sic condolendum malis aliorum.

PUNCT. II. *Dicens: Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ* (id est, quæ res) *ad Pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis* (per Apostrophen reticetur præ vehementia doloris: *illa non negligeres*) *Quia venient dies in te: & circumdabunt te inimici*

tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undique, & ad terram prosternent te. v. 42. Hæc admonitio, & Excidij Jerosolymitani descriptio applicari potest cuivis homini, in hac vita vanè lætanti, & Novissima sua non prospicienti. Nam etiam huic dici potest: Si cognovisses & tu, & quidem *in hac die tua* (tempus enim præteritum & futurum non est tuum) quæ ad Pacem cum DEO retinendam utilia tibi sunt, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis, (quia scilicet de ijs non cogitas, nec illa consideras) illa utique non negligeres: nimirum non differres Pænitentiam, qua Pax cum DEO recuperatur; non committeres peccata, per quæ Pax amittitur, non negligeres Bona Opera, quibus Pax firmatur. Quia venient dies in te, quibus nempe cum morte & cum dæmonibus erit luctandum; & circumdabunt te inimici tui vallo, te non sinentes effugere certamen, & circumdabunt te, si non visibili, invisibili saltem modo, cingentes lectum lethaliter decumbentis; & coangustabunt te undique, ob oculos ponendo peccata præterita, imminens severum Judicium, Pænas intolerabiles, & Æternas, atque sic ad desperationem impellendo: cùm autem mortuus fueris, in terram prosternent te, sepulchro includentes, & non relinquent in te lapidem super lapidem, nempe nec os adhærens ossi. Tu ergo cognosce, quæ ad Pacem tibi, in hac die tua; cognosce tempus Visitationis tuæ, quo DEVS te visitat, & ad Felicem Mortem obeundam, atque ad Animam tranquillè & securè agendam, Media & Auxilia suppeditat.

PUNCT. III. *Cùm jam vespera esset hora, rediit in Bethaniam cum duodecim.* Marc. 11. v. 11. Sic toto die

in Templo occupatum expellendis negotiatoribus, & docendis rudibus, & sanandis cæcis ac claudis, teste Matthæo 21. v. 14. nemo tamen ad cænam invitavit. Hæc à Mundo gratitudo pro nostris laboribus exspectanda est. Sic in solis verbis subsistit omnis acclamatio & plausus hominum: sic qui glorioso hominum comitatu urbem ingressus est, desertus ab omnibus, cum famelicis Discipulis egressus est, & Bethaniam reversus. Vide, quid sit laus, honor, amicitia humana; quàm vana & inutilia, quàm brevia sint omnia.

MEDITATIO CCCXCVIII.

Christus Mortem suam palàm prædicit. Joan. 12.

PUNCTUM I. *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit; ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Joan. 12. v. 24. Cùm Christus à populo Urbis Jerosolymitanæ propter resuscitatum è mortuis Resuscitationem publico applausu, & substratis Palmarum ramis exceptus esset, quando asello vectus urbem ingrediebatur; *Quidam etiam Gentiles ex his, qui ascenderant, ut adorarent in Die Festo*, teste Joanne cap. cit. per Apostolum Philippum ad ipsum Christum adduci petierunt. Ille verò ostendens, tempus nunc advenisse, ut Gentibus manifestaretur, modò priùs Mortem jam sibi instantem subiisset, hujus necessitatem similitudine grani in terram seminati declaravit; quod nisi mo-

riatur

riatur, sine fructu manet, mortuum autem multum fructum affert. Ex hac autem similitudine confirmat Christus, parem esse necessitatem moriendi cuivis homini, ut fructum Bonorum Operum afferat, vel fructum in Conversione Animarum faciat; qua ratione etiam Sanguis Martyrum Semen est Christianorum, ut isti Illorum Exemplo & Meritis vel multiplicentur, vel in Virtute crescant. Præter Mortem autem violentam, quam Christus & Martyres sustinuerunt, alia est voluntaria, omnibus communiter necessaria; de cujus necessitate & utilitate etiam intelligenda sunt Christi verba: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*, tum intra se in propria Anima, tum extra se in Animabus aliorum: ad utriusque enim generis fructus necessarium est, ut homo sit planè mortificatus, & se voluntariè privet illicito usu Animæ suæ, & omnium Potentiarum tam internarum, quàm externarum; quod genus mortis expressit Christus istis proximè subjunctis verbis. v. 25. *Qui amat Animam suam, perdet eam: & qui odit Animam suam in hoc Mundo, in Vitam Æternam custodit eam.* Odisse autem est, negare Animæ omnem usum, & Exercitium Vitæ, idque omne, ad quod contra Dei prohibitionem inclinatur. Et hoc est seipsum mortificare, seu privare Animâ.

Punct. II. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum Ego, illic & Minister meus erit.* v. 26. Ut Christus Servos suos ad mortem prædictam alliceret, proposuit ipsis suam Mortem in Exemplum, & suam Cælestem Gloriam in Præmium. Vult enim, ut ipsum ubique sequantur, & ipsi configantur in Cru-

ce, & cum ipso regnent in Cælo. An non hoc est æquissimum, & in constantem praxin jam deductum à SS. Martyribus, & alijs Sanctis?

PUNCT. III. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* vers. eod. Novum hoc ad mortem promptè suscipiendam incitamentum est. Quia enim Minister, & Servus Christi jubetur sequi Christum, & mori sicut granum, cadens in terram, qui quasi per contemptum in agrum proijcitur, occâ obteritur, & terrâ occultatur: ideo pro morte, abjectione, latendi studio, & contemptu brevissimo in terra, promittitur ipsi Honor non qualiscunque, sed tanto major, quantò major est, qui Sanctos suos glorificat. Quantus Honor igitur habetur à DEO Sanctis in Cælo, & quàm glorioſos eos etiam reddit apud homines in terra degentes?

MEDITATIO CCCXCIX.

De Ficu arefacta.

Matth. 21. v. 18. Marc. 11. v. 12.

PUNCTUM I. *Et alia die cùm exiret à Bethania* (&, inquit S. Marcus: *Manè reverteretur in civitatem Jerosolymam*) *esuriit. Cúmque vidisset à longè Ficum habentem folia, venit, si quid fortè inveniret in ea; & cùm venisset ad eam, nihil invenit præter folia; non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: Jam non amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant Discipuli ejus. Et veniunt Jerosolymam.* Marc. 11. v. 12. *Et aresecta est continuò Ficulnea.* Matth. 21. v. 19. id est, cæpit arefieri: unde rursum Marcus ait, v. 19. *Et cùm vesperi*

ra facta esset, egrediebatur de civitate. Et cùm manè transirent (rursum Bethaniâ redeuntes Jerosolymam) *viderunt Ficum aridam factam à radicibus.* Hæc Ficus, sicut erat figura Synagogæ Judaicæ propter fructuum defectum arefactæ; sic etiam est figura cujusvis hominis, non (ut S. Paulus admonet Colosſ. 1. v. 10.) in omni Opere Bono fructificantis; sed sola folia Bonorum Propositorum, vel Ceremoniarum, & actuum externorum sine veris & solidis Virtutibus proferentis; quia autem has Christus vehementer esurit, & quovis tempore ab homine exspectat, eò quòd harum progignendarum semper sit tempus; ideo in arbore innocente, & extra ficorum tempus fructibus vacuâ, ostendit, quid faciat homini non omni tempore & in omni Opere Bono fructum ferenti. Reddit videlicet talem hominem subtractione Auxiliorum neglectorum aridum & sterilem, ita, ut nullos ampliùs Virtutum fructus producat, atque ideò tandem exscindatur, ac in ignem mittatur. Vel præcoci morte è vivis eripit, ut ex tali *Jam non ampliùs in æternum fructum quisquam manducet.* Ideo Ecclesiastes cap. 9. v. 10. sapienter monet: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.* Et ipse Christus Joan. c. 9. v. 4. proprio Exemplo quemque admonet, dicens: *Me oportet operari Opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Ne ergo esto arbor, quæ mera folia sine Bonorum Operum fructibus profert.

Punct. II. *Et veniunt Ierosolymam. Et cùm introisset in Templum, cæpit ejicere vendentes, & ementes in Templo: & mensas numulariorum, & cathedras vendentium*

columbas evertit: & non sinebat, ut quisquam transferret vas per Templum: & docebat eos, dicens: Nonne scriptum est: Quia Domus mea Domus Orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos autem fecistis eam speluncam latronum. Marc. 11. v. 15. Idem Christum feciſſe & dixiſſe die præcedenti, quâ cum ramis palmarum in urbem invectus, & mox in Templum ingreſſus eſt, refert Matthæus c. 21. v. 12. Idem refert Joannes c. 2. v. 14. de initio Prædicationis Chriſti, quando etiam negotiatores ex Templo flagello expulit. Quòd ſi Chriſtus tanto, & tam conſtanti Zelo Divini Honoris, Locum Orationis à profanatione vindicavit, quantò magis ipſam Orationem, & cor, in quo veluti vivo Oratorio funditur Oratio, profanari indignabitur? Sic ergo orare te oportet, ut DEVM tibi Benignum Oratione tua, non iratum reddas, ne cum Davide dicere cogaris Pſ. 79. v. 5. *Domine DEVS Virtutum, quousque iraſcéris ſuper Orationem Servi tui?* Imitare Zelum Chriſti, & ſimili modo, vi, ac poteſtate eijce ex corde tuo omnes impertinentes cogitationes, & diſtractiones maximè tempore Orationis, quando cor tuum Domus Orationis eſt.

PUNCT. III. *Et cùm veſpera facta eſſet, egrediebatur de civitate. Et cùm manè tranſirent, viderunt Ficum aridam factam à radicibus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rabbi, Ecce Ficus, cui maledixiſti, aruit. Et reſpondens JESVS ait illis: Habete Fidem DEI. Amen dico vobis: Quia quicunque dixerit huic monti: Tollere, & mittere in mare, & non hæſitaverit in corde ſuo, ſed crediderit, quia quodcunque dixerit, fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, Omnia, quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis. Et cùm ſtatis ad orandum, dimittite,*

si quid habetis adversùs aliquem, ut & Pater vester, qui in Cælis est, dimittat vobis peccata vestra. Hæ sunt alteræ duæ conditiones ad Orationem efficacem, ut nimirum prodeat ex corde, quod sit Fiduciam habens ad DEVM, & quod sit placatum Proximo. Et talis Oratio est unus ex fructibus, quos Christus in Ficu esuriens quæsivit; nempe ut procedat ex corde à terrenis negotijs, ac cogitationibus abstracto, firmâ in DEVM Fiduciâ nixo, & Proximo per Charitatem conjuncto, ac placato.

MEDITATIO CCCC.

Christus Potestatem suam propugnans Judæorum pervicaciam arguit.

Matth. 21. v. 23. Marc. 11. v. 27. Luc. 20. v. 1.

PUNCTUM I. *Et veniunt rursus Ierosolymam. Et cùm ambularet in Templo, accedunt ad eum summi Sacerdotes, & Scribæ, & Seniores: & dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem, ut ista facias? JESVS autem respondens, ait illis: Interrogabo vos & Ego unum verbum, & respondete mihi: & dicam vobis, in qua potestate hæc faciam. Baptismus Ioannis de Cælo erat, an ex hominibus? respondete mihi &c. Et respondentes dicunt JESV: Nescimus. Et respondens JESVS ait illis: Neque Ego dico vobis, in qua potestate hæc faciam.* Marc. 11. v. 27. Ecce! quod Christus Mulieri Samaritanæ, homini cæco nato, & multis pauperibus, qui ipsum docentem audiebant, apertè dixit, se nimirum esse Messiam, Filium DEI à Patre Cælesti missum; id Sacerdotibus, Scribis, & Senioribus non apertè dicit, utpote non

dispositis, nec dignis, sed superbiâ, odio, invidiâ inflati & obstinatè Fidem sibi negantibus. Sic DEVS multa abscondit hujus Mundi sapientibus, & prudentibus, & revelat ea parvulis. Deinde quia de Potestate Christi interrogantes, eam scire poterant, & cognoscere ex testimonio Joannis, quem non poterant negare esse verum Prophetam missum à DEO; & quia ex ipsis Miraculis, qualia nec Joannes fecit, multò magis videre poterant Christi, quàm Joannis Potestatem, meritò non retulerunt aliud clarius & directius *responsum*. Atque ita multæ Divinæ Illustrationes, & clariores Rerum Cælestium cognitiones nobis negantur, quia notitijs perceptis non utimur, nec usu perficimus, nec ad Finem debitum ordinamus.

PUNCT. II. Negato clariore responso, quo propter incredulitatem erant indigni, eandem ipsis modo per hanc Parabolam exprobrat: *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios; & accedens ad primum dixit: Fili, vade, hodie operare in vinea mea. Ille autem respondens ait. Nolo. Postea autem pœnitentiâ motus abiit; Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo Domine; & non ivit. Quis ex vobis fecit voluntatem Patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis JESUS: Amen dico vobis, quia Publicani & Meretrices præcedent vos in Regnum DEI.* Matth. 21. v. 28. Quemadmodum Judæi propter Fidem & Obedientiam DEO fallaciter promissam reprehensi sunt adductâ Parabolâ, ita & tu frequenter reprehendi mereris, quia Dei Patris Cælestis Voluntatem, Mandata, & Regulas sæpe, contra boni Propositi aut promissionis fidem data tam, non studes exequi. Dicis: *Eo Dómine*, & non is. Imitaris homines Politicos, qui verbis suis obse-

qui

quia offerunt, & ea nec rogati præstant. Non sic Politicè agas cum DEO, promissa sua fideliter tibi servante. Pudeat te à Publicanis & Meretricibus, priùs nolentibus obedire Patri suo Cælesti, postea verò Pœnitentiâ motis, studio exequendi Divinam Voluntatem, eámque perficiendi superari.

PUNCT. III. *Venit enim ad vos Ioannes in via Iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani autem & Meretrices crediderunt ei: Vos autem videntes, nec Pœnitentiam habuistis postea, ut crederetis ei.* v. 32. Imò ad te non tantùm Joannes, sed ipse Filius DEI per varios Legatos suos venit, qui est Sol Justitiæ, Via, Veritas, & Vita: & ipsius Doctrinæ, ac Exemplis ad obsequendum promptam Fidem non præstitisti. Videns autem tot sceleratorum hominum serias Conversiones, finis illos te præcedere in studio consequendi Regnum DEI. Itaque Pœnitentiam habe: & ausculta Divinæ Veritati, Verbis & Exemplis te docenti, ac ducenti per viam Justitiæ.

MEDITATIO CCCCI.

Parabola de Vinea Agricolis locata.

Matth. 21. v. 33. Marc. 12. v. 1.
Luc. 20. v. 9.

PUNCTUM I. *Aliam Parabolam audite* (quâ Christus Judæis minatur, propter occisos ab illis Prophetas antiquos, ac denique propter futuram sui interfectionem, & propter infidelitatem, ab ipsis auferendam esse veram DEI Synagogam, & aliam Ecclesiam ex Gentibus congregandam esse) *Homo erat Pa-*

t rfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit dort
& fodit in ea torcular (Marcus ait : *Et fodit lacum*, sive divi
lacunam, quâ vinum expressum olim recipiebatur tion
quæ, veluti pars totius machinæ, à Matthæo nomine enti
torcularis significatur; ideo dicit: *Fodit in ea torcular* fruc
& ædificavit turrim, & locavit eam agricolis, & peregr In h
profectus est. Hanc Parabolam tibi accommodare fed
potes, intelligendo per Patremfamilias Deum; per mur
Vineam Religionem Christianam, vel Ordinem tu- læde
um Religiosum, cum omnibus medijs ex *illis colli-* fruc
gendi fructus & uvas Bonorum Operum; per Sepem Dei
Leges & Regulas, ac Vota Religiosa; per Torcular erg
seu Lacum, in quem vinum uvarum exprimitur, *suis.*
Bonorum Operum & Exemplorum Communicatio-
nem, & Collectionem; per Turrim Superiorum Vi- *facie*
gilantiam. Vide ergo, quàm fertilem, & quàm pro- *near*
vidè, & optimè instructam Vineam tibi Deus loca- *temp*
verit; considera Sepis altitudinem, firmitatem, spon
securitatem; perpende Lacûs amplitudinem, Turris con
latum prospectum, & in ea degentium Vigilantiam. qua
Proinde agnosce, quanta sit tua obligatio uberes fru- Chri
ctus procreandi, alligandi vites, nempe Potentiæ na
animi, circumcidendi palmites passionum, & affe- est p
ctionum voluntatis, illósque à frigore, ventis, volu- que
cribus &c. protegendi, arcendi feras effringentes se- in a
pem, parendi vigilum clamoribus ad repellendos fu-
res, pendendi fideliter Canonem, & debitam fructu-
um, uvarum, vel vini portionem.

Punct. II. *Cùm autem tempus fructuum appropin-* P
quàsset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus
ejus. Et agricolæ apprehenderunt servos ejus. &c. Matth.
21. v. 34. Considera, tempus fructuum penden-
dorum

dorum jam appropinquâsse, & pro varia temporis divisione nunc esse reddendos fructus devotæ Orationis, nunc utilis cujusdam operationis, nunc Patientiæ, Humilitatis, Mansuetudinis &c. Exactores fructuum esse Superiores, & Curatores Animarum. In hos autem non tantùm manus non debes injicere, sed neque contumelia illos afficere, neque linguâ per murmurationem, oblocutionem, detractionem &c. lædere, neque odio & aversione prosequi, si debitos fructus exigunt: multò minùs debes ipsum Filium Dei ullo peccato tibimetipsi rursum crucifigere. Sis ergo ex illis agricolis: *qui reddant ei fructum temporibus suis.*

Punct. III. *Cùm venerit ergo Dominus Vineæ, quid faciet agricolis suis? Ajunt illi: Malos malè perdet, & Vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis.* v. 40. Approbat Christus hanc responsionem apud S. Marcum, & S. Lucam, eámque confirmat. Nota itaque illud: *Malè perdet*: Nam est aliqua bona perditio: quia, qui perdit Animam suam, Christo teste, inveniet eam. Bona perditio esset pæna medicinalis, sive pæna medicans: mala perditio est pæna vindicans. Væ ergo homini & agricolæ illi, quem Deus malè perdit, à quo Vineam aufert, & in alium transfert! Time: & cave.

MEDITATIO CCCCII.

De Nuptijs Filii Regis.

Matth. 22. v. 1.

Punctum I. *Et respondens Iesus, dixit iterum in Parabolis*

bolis eis (idem exprobrans, & comminans Judæi quod in præcedenti Parabola) *Simile factum est Regn Cælorum homini Regi, qui fecit Nuptias Filio suo* (q nempe Filius DEI sibi copulavit, & desponsavit H manitatem per Unionem Hypostaticam; ideo hom nes ad Cælestia Gaudia velut ad Convivium Nupt le invitantur) *& misit servos suos vocare invitatos Nuptias, & nolebant venire. Iterum misit alios ser* (priùs enim misit Prophetas, deinde Apostolos, i eorum Successores: ad quosvis verò homines *in par*ticulari mittit DEVS Angelos Tutelares, & homines adhortatores, ac instructores in rebus ad Salutem pertinentibus) *dicens: Dicite invitatis*, (qui tunc tem poris erant Judæi, ad quos Prophetæ & Apostoli mis si sunt: nunc autem sunt Christiani) *Ecce Prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omn parata: Venite ad Nuptias. Illi autem neglexerunt: & abi runt, alius in villam suam, alius verò ad negotiationem s am: reliqui verò tenuerunt servos eius, & contumelijs affe ctos occiderunt. Rex autem cùm audîsset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit.* Quàm itaque imprudenter agun illi, qui negligunt Vocationem suam, & rusticam p lam, qualis est totus Mundus, & omnia bona illius si cum Cælestibus comparentur; vel laboriosam ne gotiationem curarum terrestrium præferunt Regno Cælorum, ac delicijs plenæ Quieti inter Nuptialia Gaudia Æterna? Expende etiam, quomodo & quo ties tu quoque ad Cælestes Nuptias vocatus fueris, & adhuc voceris? Sed nunquid & te sæpe terrenum ali quid, vel cura & solicitudo, aut negotium inutile retardat, quò minùs Veste Nuptiali induaris, & ma

gnis Virtutum passibus ad Nuptias properes.

Punct. II. *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad Nuptias. Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt Nuptiæ discumbentium.* v. 8. Considera ingentem illorum, qui inventi sunt, & tuam ipsius Felicitatem, qui, cùm in via esses ad perditionem, adhuc inventus es; & cùm malus esses, vocatus es ad Nuptias. Non itaque te absterreat brevis labor in Veste Nuptiali induenda, & itinere faciendo; sed finem cogita, quo labor hic tendat. Ad Nuptias Filij Regis Cælestis, & Æterni vocaris: adeóque ad Cælestes, Regales, & Æternas Nuptias.

Punct. III. *Intravit autem Rex, ut videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum Veste Nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrâsti, non habens Vestem Nuptialem?* (designatur per hunc hominem, omnis ille, qui neglecta Gratiæ Sanctificantis procuratione, præsumptuosa mente & spe, inter Cælestes Convivas se ingerit) *At ille obmutuit; tunc dixit Rex Ministris: ligatis manibus & pedibus eius mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Tu noli exspectare, donec manus & pedes tibi ligentur: sed utere manibus ad induendum te Veste Nuptiali, & Animæ ornamentis, per Opera Meritoria Gratiæ Sanctificantis: utere pedibus ad progrediendum, ne in via Virtutis ad Cælum subsistas, vel resideas. Post hanc vitam enim nec erit, nec juvabit ulla excusatio: sed obmutescendum erit. Et quia manus & pedes ligabuntur Gratiâ destitutis, ideo per totam

totam Æternitatem manendum erit in tenebris ex terioribus, extra Regnum Cælorum, Oculis animi Corporis obvolutis, ubi erit summa tristitia, & summus dolor.

MEDITATIO CCCCIII.

De Censu Cæsari reddendo.

Matth. 22. v. 15. Marc. 12. v. 13. Luc. 20. v. 20.

PUNCTUM I. *Tunc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, ut caperent eum in Sermone : & mittunt discipulos suos cum Herodianis* (id est, Herodis Ascalonitæ Infanticidæ defuncti fautoribus, & Cæsari similiter addictis, sicut ipse ob præstitos sibi favores Cæsari fuit addictissimus) *dicentes &c.* Matth. 22. v. 15. S. Lucas refert: *Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui, & potestati Præsidis.* Disce à Christo, patienter ferre invidos homines, & simulatos amicos, sive occultos inimicos. Et ne à quoquam in sermone capi possis, coram nemine, quantumvis probus, & amicus homo esse appareat; & contra neminem, præsertim potentiorem Principem, vel Superiorem quemquam dicas, cujus manifestatione tibi noceri, vel alius offensus reddi posset. Si enim ipse silere non potes rem, alteri tertio non manifestandam, quomodo ab auditore tuo fidem silentij tibi promittis, quem nescis, an sit, vel mansurus sit Amicus fidelis? vel an non saltem mediatè sermo tuus sit ad eorum, quibus illum referri nolles, aures perventurus.

PUNCT. II. *Dicentes: Magister scimus, quia Verax*

es, & Viam DEI in Veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum, Matth. 22. v. 16. Considera, quàm quidem vera sit laus, sed quàm parùm syncera, & tantùm ad nocendum prolata; prout plerumque laus propria audita nocet, etiam quando absque animo nocendi dicitur. Præstat ergo potiùs mereri laudem, quàm audire; laudabilitas enim propria proficua est, laus aliena noxia, & periculosa, saltem propter periculum Vanæ Gloriæ. Laus coram præsente dicta, plerumque non laus, sed adulatio est, & sæpe falsa, sæpe ab ipso dicente non credita, rarò syncera; quid nî ergo contemnenda?

Punct. III. *Dic ergo nobis, quid tibi videtur: Licet dare censum Cæsari, an non? Cognità autem JESUS nequitiâ eorum, ait: Quid me tentatis Hypocritæ? Ostendite mihi numisma censûs. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis JESUS: Cujus est imago hæc, & superscriptio? Dicunt ei: Cæsaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt DEI, DEO.* v. 18. Quasi diceret: quia hac inscriptione Cæsaris, in vestra terra cusâ, vos Cæsari subditos fatemini, & quia subiectio etiam homini gentili in rebus Religioni vestræ erga Deum non adversis præstita, cum subiectione Deo debita non est incompossibilis (ut falsò quidam sibi persuaserant) ideo reddite tributum, quod Cæsari debetis; vos ipsos verò, qui Dei Imagine insigniti estis, & cui Cultum, Fidémque &c. debetis, reddite Deo cum omnibus, quæ Deo debetis. Hoc responsum tibi cape, & redde, quod Deo, Superioribus, & Proximo debes, & quod tibi ipsi.

MEDI-

MEDITATIO CCCCIV.

De Sadducæis negantibus Resurrectionem.

Matth. 22. v. 23. Marc. v. 12. 18. Luc. 20, v. 1?

PUNCTUM I. *In illo die accesserunt ad eum Sadducæi, qui dicunt, non esse Resurrectionem, & interrogaverunt eum* &c. (postquam dubitandi rationem de Uxore quapiam, quæ septem viris successivè nupta erat, ei retulissent) *In Resurrectione ergo, cujus erit de septem Vxor?* Ad quam quæstionem, creditam ab ipsis insolubilem, & ad Resurrectionis assertionem evertendam argumentum validissimum, *Respondens IESVS, ait illis: Erratis, nescientes Scripturas, neque Virtutem DEI.* (illæ enim clarè docent; ista verò, quia Omnipotens est, facilè potest efficere Resurrectionem mortuorum.) *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli DEI in Cælo.* Matth. 22. v. 23. Omnino ergo vilia sunt omnia gaudia carnalia, cùm indigna sint Statu Beatorum, qui, quamvis sit Status omnium Bonorum aggregatione perfectus, tamen ista non continet; unde ea à Beatis nec obtinentur, nec appetuntur. Contemne ergo illa gaudia, quorum nec DEVS, infinitè Felix, nec Angeli, nec homines Beati, & Amicissimi DEO, capaces sunt. Et cùm in Cælo simus futuri sicut Angeli DEI, studejam in terra imitari Angelicam Puritatem.

PUNCT. II. *Neque enim ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt.* Luc. 20. v. 36. Considera rationem; quare Beati in Cælo *Neque nubent, neque nuben-*

tur

tur: Quia finis, ad quem ordinantur Matrimonia, nempe necessitas conservandi Genus Humanum, & loco morientium generandi alios homines, prorsus cessabit, eò quòd in Cælo nemo ampliùs moriturus sit, neque mori possit; quia omnes erunt æqualiter impassibiles, incorruptibiles, ac immortales, sicut Angeli. Itaque, quemadmodum Beati aspernantur carnis voluptates, tanquam nullam ampliùs habentes bonitatem (quia bonitas merè utilis cessat, cessante bonitate finis) ita & tu easdem aspernare, Spe certa Vitæ Æternæ, & pro obtinenda Vita Æterna; quam Christus illis promittit, *Qui seipsos castraverunt propter Regnum Cælorum.* Matth. 19. v. 12. Hi enim neque nubent, neque nubentur, cùm ultra mori non possint, & æquales sint Angelis. Vide etiam, quanta sit Dignitas hominis in statu Cælibatûs; de quo enim Ps. 8. v. 6. Regius Vates gloriosè quidem dixerat, Deo gratias pro honore referens: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis: gloriâ & honore coronâsti eum*: hunc ad æqualitatem cum Angelis evehit Cælibatus. Qui enim *Neque nubent, neque nubentur* (ut sunt Cælibes) *erunt sicut Angeli* DEI *in Cælo &c.* Matth. 22. v. 30. *Æquales enim Angelis sunt.* Luc. 20. v. 36. Unde sicut Angeli carent sensibus, sic omnium sensuum custodiâ & abnegatione, imitandi sunt.

Punct. III. *Et Filij sunt* DEI, *cùm sint Filij Resurrectionis.* Matth. 22. v. 36. Hanc alteram causam assignat Christus Matrimoniorum in Cælo tollendorum. Quia Beati sunt Filij Dei per Gratiam Adoptionis, per quam cum Resurrectione ex mortuis, actu obtinebunt perfectam Felicitatem Corporis & Animæ: adeóque etiam secundùm corpus fruentur longè ma-

jori felicitate, quàm sint omnes voluptates carnis. Unde quemadmodum Filij Regij, Mensæ Regali assidentes, fastidiunt & aspernantur vilissimos cibos mediastinorum, & multò magis brutorum; ita Beati tanquam Filij Dei & Filij Resurrectionis, Mensæ Patris Cælestis assidentes, nauseant voluptates carnis, & Conjugij carnalis, quibus in hac vita mancipia Diaboli, & bruta etiam animalia fruuntur, equus, & mulus, quibus non est intellectus. Et tu ergo, cum ad Mensam Patris Cælestis jam sis invitatus, *serva famem* Cælestium Epularum delicijs, neque extinguas eam siliquis porcorum, aut vilissimâ escâ mancipiorum, & brutorum: sed memor, te esse Filium Dei & Filium Resurrectionis, id est, habentem Jus ad Resurrectionem, cum fastidio omnis corporeæ oblectationis dic: Major sum, quàm ut Mancipium Corporis mei efficiar.

MEDITATIO CCCCV.

De Mandato Magno in Lege.

Matth. 22. v. 34. Marc. 12. v. 28.

PUNCTUM I. *Pharisæi autem audientes, quòd silentium imposuisset Sadducæis, convenerunt in unum: & interrogavit eum unus ex eis Legis Doctor, tentans eum; Magister, quod est Mandatum Magnum in Lege?* (id est, in Volumine Legis, sive in Libris Moysis, quos Legem vocabant) Considera, illos, qui non tentant Deum, sed qui illi syncerè servire, ac obedire cupiunt, non discutere, quod sit Magnum, quod parvum Mandatum, quod graviter & sub mortali, quod leviter & tan-

tùm

tùm ſub veniali obliget; ſed abſque diſcrimine, mox ut Mandatum eſſe intelligunt, omni diligentia exequi: non enim tam attendendum eſt, quid mandetur, quàm quis mandet, nempe DEVS; DEVS autem Optimus & Maximus eſt, & ſemper idem, quidquid mandet. Unde etiam per levem tranſgreſſionem Mandati Divini contemnitur Majeſtas Infinita; tantò autem culpa eſt major, & pæna majori dignior, quantò major eſt Perſona læſa, ac contemptui habita. Imò homo, *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Eccli. 19. v. 1. Et Chriſto teſte Luc. 16. v. 10. *Qui Fidelis eſt in minimo, & in majori Fidelis eſt: & qui in minori iniquus eſt, & in majori iniquus eſt.* Quia contrahitur inclinatio, & habitus vel ad actum Bonum, vel ad malum; & homo vel meretur, vel demeretur Auxilium Gratiæ Efficacis. Atque hinc Servus Fidelis laudatur, ac præmiatur, non quia ſuper multa, ſed quia ſuper pauca Fidelis fuit: *Euge Serve Bone, & Fidelis, quia ſuper pauca fuiſti Fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in Gaudium Domini tui.* Matth. 25. v. 23.

PUNCT. II. *JESVS autem reſpondit ei: Quia Primum omnium Mandatum eſt: Audi Iſraël, Dominus DEVS tuus, DEVS unus eſt: & diliges Dominum DEVM tuum ex toto Corde tuo, & ex tota Anima tua, & ex tota Mente tua, & ex tota Virtute tua.* Marc. 12. v. 29. *Hoc eſt Maximum & Primum Mandatum.* Matth. 22. v. 38. Non DEVM *Vnum* amas, ſi præter DEVM aliud amas, & non propter DEVM amas; quidquid enim ſic amas, DEVM tuum facis. Ideo S. Paulus Philipp. 3. v. 19. de amatoribus voluptatum corporis ait: *Quorum DEVS Venter eſt.* Et de tali conqueritur DEVS Ezech. 23. v. 35. *Projeciſti me poſt corpus tuum.* Quia ergo DEVS tuus

Unus est, etiam Amor tuus unus ac indivisus sit: propterea ita præcipitur diligendus DEVS, ut diligatur *Ex toto Corde tuo*, sive Voluntate, quæ in Corde sedem habet; *& ex tota Anima tua*, scilicet per omnes operationes Sensuum, ut scilicet omnes has operationes non aliter elicias, quàm in quantum ad DEVM referri debent, ac possunt. Hoc sensu S. Paulus 1. Cor. v. 2. scripsit: *Non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi JESVM Christum, & hunc Crucifixum.* Non quasi non aliquid aliud sciverit, sed quia omnem aliam Scientiam retulit ad Christum Crucifixum amandum, & in aliorum corda inserendum. *Et ex tota Mente tua*, sive Intellectu, ut omnes rerum quarumcunque cognitiones dirigas ad cognoscendum DEVM, & amandum. *Et ex tota Virtute tua*, sive *Fortitudine tua*: quantumcunque Amorem tuum intendere, & in executionem deducere potes. Nec obstat huic uni & indiviso Amori, sic descripto, id, quod additur: *Secundum autem simile est illi: Diliges Proximum tuum, tanquam teipsum.* Marc. 12. v. 31. Nam & teipsum, & Proximum tuum non debes aliter amare, quàm propter DEVM; & sic in te, & in Proximo tuo amare DEVM.

PUNCT. III. *Et ait illi Scriba: Bene, Magister, in Veritate dixisti: quia unus est DEVS, & non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto Corde, & ex toto Intellectu, & ex tota Anima, & ex tota Fortitudine: & diligere Proximum tanquam seipsum majus est omnibus Holocaustomatibus, & Sacrificijs. JESVS autem videns, quòd sapienter respondisset, dixit illi: Non es longè à Regno DEI.* Marc. 12. v. 32. Tantum prodest Sapientia, & intelligentia Legis Divinæ, ut faciat appropinquare Regno DEI. Quia autem servus, qui cognovit Volun-

tatem

tàtem Domini ſui, & non facit, vapulabit multis; ideo non ſit tibi ſatis, propè venire ad Regnum DEI, ſed ſtudeas inſuper illuc pervenire, faciendo & exequendo Voluntatem DEI. Et quidem ad hoc præſtandum ipſa tua Sapientia, ac Scientia Rerum Divinarum ſit tibi incitamento, ut ſcilicet, quandoquidem non es longè à Regno DEI, omnino in illud ſubeas progreſſu duplicis Amoris deſcripti, ut nimirum nihil facias, vel omittas, quo vel minimum deſit perfecto Amori DEI, vel Proximi propter DEVM; ſed ut ex toto corde diligas, etiam Veniali Offensâ, quantum fieri poteſt, omnino exclusâ.

MEDITATIO CCCCVI.

Chriſtus hortatur, Phariſæorum Doctrinam ſequendam, non Mores.

Matth. 23. v. 1.

PUNCTUM I. *Tunc JESUS locutus eſt ad turbas, & ad Diſcipulos ſuos, dicens: Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi* (id eſt, Moyſi in Dignitate & Poteſtate docendi, & gubernandi Populum ſucceſſerunt) *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis* (ſi contenta in Lege, aut Legi & Honeſtati non ſint contraria; uti ſunt ea, quæ hoc capite à v. 16. Chriſtus ipſe annotat) *ſervate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite facere: Dicunt enim, & non faciunt* (multa ſcilicet, Lege præcepta) *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum* (Legem Divinam ſtrictiùs interpretando, & admiſcendo onera alia, Lege non præcepta) *digito autem ſuo nolunt ea movere.* Nem-

pe opere & ostensione Exempli nolunt ea elevare, & leviora reddere. Duplex his verbis Doctrina continetur; una, quæ maximè congruit turbæ; altera, quæ Discipulis, & eorum in prædicando, & regendis Conscientias, Successoribus. Turbæ enim & subditi servent & faciant, quæ secundùm Legem facere jubentur & docentur, etiamsi eorum Doctores & Rectores ea non faciant: sicut viator rectam viam sibi monstratam ingreditur, etiamsi is, qui monstravit, nec præcedat, nec comitetur, sed aliò vadat, vel in loco subsistat. Illi verò, qui alijs præsunt, docent, aut dirigunt, onera viribus majora non imponant, Jugum Christi suave, & Onus leve non aggraventur, non tantùm digito, sed & manu in aliorum humeros sublevent, ac bono Exemplo levius reddant; verbis doceant, quid faciendum sit; opere autem id fieri posse demonstrent. Non tantùm rectam viam doceant, sed per eam ducant.

Punct. II. *Omnia verò opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua* (id est, membranulas memoriales sibi faciunt, quibus præcipua Dei Mandata inscripta in brachio sinistro, & in capite ad modum coronæ circumgestantes, Deut. 6. v. 8. mandatam Præceptorum Dei continuam memoriam, & observantiam ostentant) *Et magnificant fimbrias* (eas scilicet, quæ Num. 5. v. 38. ad dictam Præceptorum reminiscentiam in palliorum angulis gestandæ præcipiebantur, Scribæ & Pharisæi ex vana ostentatione ampliores gerunt.) Aliam simulationem observantiæ Præceptorum exprobrat Christus. v. 23. *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi Hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquistis, quæ gravio-*

ra sunt Legis, Judicium, Misericordiam, & Fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes culicem, camelum autem glutientes. Væ vobis Scribæ, & Pharisæi Hypocritæ: qui mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapinâ & immunditiâ. Pharisæe cæce, munda priùs, quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum. Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocritæ: quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ aforis parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Cum Pharisæis membranas phylacteriorum dilatant, & fimbrias magnificant, qui per solos actus externos Præceptorum Dei observantes videri volunt sine intentione Finis Supernaturalis, & veræ Virtutis. Rursum cum Pharisæis menthæ, anethi, cymini sive vilium herbarum decimas offerunt, qui minutarum rerum observantias curant, & levium transgressionum fugâ culicem excolant, velut si per linteum transfundatur vinum; gravissimas tamen Legum transgressiones, velut camelum deglutiunt. Calicem & paropsidem exteriùs purgant, & interiores sordes non abluunt, qui exteriùs curant à peccatis mundi apparere, interiùs tamen in Anima peccati maculas nec evitant, nec abluunt: ijdem etiam sunt veluti sepulchra dealbata, plena ossibus mortalium peccatorum. Tu ergo omnia opera tua perage ex intentione Virtutis: summo studio evita omne grave peccatum; neque tamen neglige transgressiones veniales. Veris & Solidis Virtutibus Animam exorna, & hoc ipso fiet id, quod deforis est, mundum; nempe interni actus Virtutum in externos transibunt, & interiores Virtutes in exterioribus actionibus relucebunt: & sic se-

curus eris ab illa Christi comminatione: *Nisi abundaverit Justitia Vestra plùs, quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Matth. 5. v. 20. Quorum Verborum idem Evangelista hîc cap. 23. amplioremdeclarationem, & rationem ex Christi ore refert.

Punct. III. *Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.* Matth. 23. v. 6. Attende, ne in te, cùm sis Religiosus Humilitatem profitens, ullum præcedentiæ, humanorum obsequiorum & inanium titulorum desiderium exsurgat: sed idem tibi & Discipulis Christi dictum existima: *Vos autem nolite vocari Rabbi* (sive Doctores, aliquid gloriæ ex hoc titulo vobis tribuentes, & in eo complacentes; sed omnem gloriam in eum refundite, cui hujusmodi tituli, tanquam Causæ Principali, præcipuè competunt) *Unus est enim Magister vester, omnes autem vos Fratres estis. Et Patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in Cœlis est.* (Cujus rationem, proximè insinuatam, indicat S. Paulus, Ephes. 3. v. 15. dicens: *Ex quo omnis Paternitas in Cœlis & in Terra nominatur*) *Nec vocemini Magistri* (qui titulus proprio titulo *Rabbi* aliquam quasi in discipulos Jurisdictionem & Gubernationem superaddit) *Quia Magister vester unus est Christus.* Unde, ut quàm minimum de hujusmodi titulorum & officiorum gloria vobis tribuatis: *Qui major est vestrûm, erit Minister vester.* Matth. 23. v. 8. Non itaque ad recipiendum honorem, sed ad conferenda in alios obsequia, officia altiora admittenda sunt: annexus autem honor, obsequia, præcedentiæ dignitas, titulorum vanitas, contemni debent à Discipulis & Servis Christi.

MEDI

MEDITATIO CCCCVII.

Pergit Christus Pharisæorum Mores insectari. Matth. 23.

PUNCTUM I. *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in Synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.* Matth. 23. v. 34. Postquam Christus Scribarum, Pharisæorum, & Principum urbis Jerosolymitanæ occulta crimina, Hypocrisin, & Superbiam reprehenderat, exprobravit ipsis etiam publicam crudelitatem, in antiquos Prophetas exercitam ab eorundem Majoribus, atque ab ipsis adhuc exercendam in Evangelicos Præcones, quos Prophetas, Sapientes, & Scribas appellavit propter officium prædicandi, docendi, & Scripturas interpretandi. Si etiam tu es inter eos, quos Christus mittit ad procurandam Salutem Animarum, aliud nihil tibi polliceaeris, quàm labores, persecutiones, ingratitudines &c. Et SS. Apostolorum ac Martyrum Fortitudinem ac Patientiam imitandam tibi propone; præsertim quia ipse Christus non aliter missus est à Patre suo: unde seipsum etiam Discipulis suis in Exemplum proposuit, dicens: Joan. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater, & Ego mitto vos.* Inter eos verò, qui à Christo missos Animarum Curatores persequuntur, ne esto: sunt autem inter eos, qui admonitiones, correctiones, reprehensiones iniquo animo ferunt, & odium, querelas, murmurationes, detractiones, aspera verba per ingratitudinem rependunt. Imò Origenes Hom. 23. in Numeros

ros inquit: *Et ego hodie si Prophetæ non audiam verba, monita ejus spernam, lapido Prophetam, & quantum in me est, occido, cujus tanquam mortui verba non audio.*

Punct. II. *Ut veniat super vos omnis Sanguis Justus, qui effectus est super terram, à sanguine Abel Justi, usque ad sanguinem Zachariæ, Filij Barachiæ* (qui, teste Hieronymo, etiam hoc nomine appellabatur, quamvis aliàs fuerit Joiadas dictus) *quem occidistis inter Templum & Altare.* v. 35. quem nempe Rex Joas impiè occidit in atrio Sacerdotum, quod erat inter Templum, & inter Altare Holocaustorum (Alij tamen etiam non improbabiliter putant, Zachariam istum occisum, fuisse patrem S. Joannis Baptistæ) Ex hac commination colligitur, quomodo Deus vindicet injurias, Sanctis suis illatas. Unde vindictam, illorum exemplo, Deo relinque, & ab illis disce, etiam pro persecutoribus cum S. Stephano lapidato, & Jacobo ex pinna Templi Jerosolymitani præcipitato, & cum ipso Christo Crucifixo Deum orare. Colligitur etiam, Deum Patrum delicta in filijs punire, quando illorum exemplum secuti, mensuram statutam sceleribus suis implent. Unde Christus per exprobratoriam quasi permissionem v. 32. Judæis dixerat: *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Verùm tu non impleas mensuram, quam Deus pro tota aliqua Communitate punienda constituit; sed potius meritis & precibus tuis Deum toti Communitati, in qua degis, propitium reddas.

Punct. III. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare Filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus*

mus vestra deserta (id est, Templum vestrum, imò tota Urbs, quæ domui comparatur) *Dico enim vobis: non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in Nomine Domini*, id est, (ut locum hunc explicat S. Chrysost. S. August. Theophylactus, Euthymius, quos sequitur Cornelius à Lapide in Matth. c. 23. in fine) ab eo tempore, quo post triduum à vobis per Mortem auferar (hæc enim dicta sunt die Martis post Dominicam Palmarum) non me videbitis usque ad extremum diem Judicij, ubi verè agnoscetis, me esse illum Benedictum, qui venit in Nomine Domini, & ut talem inviti fatebimini, quando in Nomine meo etiam flectentur genua Infernorum. Sic à Deo deseruntur, & Auxilijs Efficacibus destituuntur, qui Vocationem ad Vitam meliorem, & specialibus Favoribus, ac Divina Protectione dignam negligunt. Contrà, si Deo vocanti, ac Divinis Inspirationibus pareas, *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.* Ps. 90.

MEDITATIO CCCCVIII.

De Muliere offerente duo minuta.

Marc. 12. v. 41. Luc. 21. v. 1.

PUNCTUM. I. *Et sedens JESUS contra Gazophylacium, aspiciebat, quomodo turba jactaret æs in Gazophylacium.* Marc. 12. v. 41. Sic Deus Pater, & Christus Dominus è Cælo spectat, quid & quantum Bonorum Operum singuli ad communem Ecclesiæ Thesaurum conferant. Sufficiat tibi iste Spectator, videns in abscondito, & iste Æstimator Meritorum, qui Beneficia

cia in hac vita, & Præmia in altera secundùm cujusque erga DEVM liberalitatem proportionatâ munificentiâ retribuet: unde nec alium cupias, nec in offerendo parcus sis.

PUNCT. II. *Et multi divites jactabant multa. Cum veniſſet autem Vidua una pauper, miſit duo minuta, quod eſt quadrans* (id est: quarta pars parvi assis, apud nos Crucigeri appellati) ibidem. Ecce! licèt divites multa obtulerint, non dicuntur ea tamen obtuliſſe, ſed jactâſſe; quia cum impetu & clangore proijciebant in Gazophylacium, divitiarum & liberalitatis vanam gloriam aucupantes, & semetipsos jactantes: mulier Vidua autem duo minuta cum silentio & Humilitate leniter immisit: & ideo ipsius liberalitas deinde divitum liberalitati à Christo præfertur, & duo minuta DEO misisse, sive dedisse dicitur. Sic etiamsi multi multa egregia opera, & Virtutum actiones externas præstent, quia tamen eadem opera sua laudando, vel laudem humanam quærendo, jactant, à DEO Patre & Christo Domino exiguam laudem & remunerationem merentur, & nec duobus minutis, sive ternarijs, id est, leviſſimis Virtutum actionibus, cum Humilitate & syncera Intentione factis, æquiparantur. Tu ergo noli tua Opera Bona in Ecclesiæ Gazophylacium jactare, sed mitte ea leni cum *silentio* ac Humilitate. Nec vilipendas exigua opera, si ea præstandi occasio tibi se offert; nec alios propter ea præstita contemnas: quin potiùs eosdem hanc ipsam ob causam tibi præferas, quamvis majora præstare tibi fortè videaris; sicut divites multa jactantes, rectè tamen sibi prætuliſſent Viduam, duo minuta mittentem.

PUNCT.

PUNCT. III. *Et convocans Discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam Vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in Gazophylacium. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; hæc verò de pecunia sua omnia, quæ habuit, misit totum victum suum.* v. 43. Vide, quanti æstimaverit Christus duo minuta, cum vera Humilitate, & erga DEVM liberali Charitate oblata: ipse enim non pensat censum, sed affectum; nec curat quantum, sed ex quanto affectu offeratur. Ideo ergo convocans Discipulos, prædicavit eis Viduæ liberalitatem, & eam omnibus divitibus prætulit. Tali ergo Affectu, Humili & Liberali, nihil sibi reservante, offer DEO duo minuta, Intellectum & Voluntatem, Corpus & Animam, Bona interna & externa: singula enim duo minuta sunt comparatione ejus Majestatis, cui offeruntur; & comparatione Beneficiorum DEI, ac propriorum peccatorum, pro quorum Gratiarum actione, & satisfactione offeruntur; & comparatione Cælestium Præmiorum, quæ retribuuntur. Ex prædictis Verbis Christi Domini etiam colligitur, minùs æstimari à DEO præclaras functiones, ex propria Voluntate sibi reservatâ profectas, quàm leviſſimas & viliſſimas functiones, ex omnimoda Abnegatione proprij Judicij ac Voluntatis provenientes.

MEDITATIO CCCCIX.

Christus Eversionem Templi prænunciat.

Matth. 24. v. 1. Marc. 13. v. 1. Luc. 21. v. 5.

PUNCTUM I. *Et egressus IESVS de Templo ibat. Et accesserunt Discipuli ejus, ut ostenderent ei ædificationem Templi.*

Templi. Matth. 24. v. 1. *Et quibusdam dicentibus de Templo, quod bonis lapidibus & donis ornatum esset.* Luc. 21. v. 5. *Ait illi unus ex Discipulis ejus: Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ. Et respondens JESUS ait illi: Vides has omnes magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.* Marc. 13. v. 1. Considera 1. quàm nihil in hoc Mundo stabile, ac firmum sit, etiamsi solidissimo lapide structum videatur. Nihil ergo terrenum inordinatè amandum, nihil hîc diuturnum ac firmum sperandum.

Punct. II. Considera 2. quid in sensu morali per Templum Jerosolymitanum designetur: potest enim per illud intelligi Templum Dei Vivum, scilicet ipse homo: cujus partes, & structura partium longè admirabilior est, quàm lapides, & structura Templi Jerosolymitani. Unde illa meritò in æstimationem & Venerationem sui Autoris te ducat. Simul tamen memineris, per certissimam & celerem mortem non relinquendum lapidem super lapidem, qui non destruatur. In eodem verò Templo ostendi potest alia longè magìs admiranda structura, & Ædificium Spirituale, quo homo per Gratiam, & Habitus Virtutum Supernaturales dignum Dei Habitaculum efficitur. Hujus ergo Templi interitum ac ruinam sive in propria, sive in Proximi personâ omni modo impedire nitamur cavendo & restaurando; hoc enim possumus: illud autem Templum Jerosolymitanum servare Apostoli, commiseratione moti, non potuerunt.

Punct. III. Considera 3. quantùm Templo Jerosolymitano, quantumvis bonis lapidibus, donisque ornato, & structurâ eximio, præferendum sit Templum Dei, quod per Jerosolymitanum præfigu-

ratur.

ratur, ac ex vivis & electis lapidibus constructum est, nempe tota Ecclesia, vel Ordo tuus Religiosus; contra quod Templum portæ Inferi non prævalebunt. Considera ergo, quàm boni in eo sint Lapides, id est, Sancti Homines, qualia DEI Dona & Ornamenta, quàm ordinata & firma Structura, per unionem & subordinationem Charitatis ac Obedientiæ, atque per alias Solidas Virtutes, ac Sanctissimas Leges constabilita. Itaque etiam tibi gratulare, teque ipsum exhortare illis Apostoli Verbis. Ephes. 2. v. 19. *Jam non estis hospites & advenæ: sed estis Cives Sanctorum, & Domestici DEI: Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo Angulari Lapide Christo IESV: in quo omnis ædificatio constructa crescit in Templum Sanctum in Domino: in quo & Vos coædificamini in Habitaculum DEI in Spiritu.*

MEDITATIO CCCCX.

Christus prædicit signa Judicij.

Matth. 24. à v. 3. Marc. 13. v. 3. Luc. 21. v. 7.

PUNCTUM I. *Et cùm sederet in monte Olivarum contra Templum, interrogabant eum separatim Petrus & Jacobus, Joannes & Andreas: Dic nobis, quando illa fient?* (quæ paulò antè in itinere de interitu Templi prædixisti) *& quod Signum erit, quando hæc omnia incipient consummari?* Marc. 13. v. 3. *Et quod Signum Adventûs tui, & consummationis Sæculi?* Matth. 24. v. 3. Considera, Christum pro Signo consummationis sæculi Discipulis suis, totam Ecclesiam ibi repræsentantibus, recensuisse communes totius Mundi, & particu-

ticulares Fidelium calamitates, nempe prælia & opiniones prælíorum, seditiones, terræ motus, pestilentiam, famem, terroresque de Cælo: Ipsorum etiam Apostolorum & Martyrum captivitatem, flagella, mortem &c. Dixit enim Luc. 21. v. 9. *Cùm autem audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: Surget Gens contra Gentem, & Regnum adversùs Regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresque de Cælo, & Signa magna erunt. Sed ante hæc omnia inijcient vobis manus suas, & persequentur &c.* Voluit autem DEVS & consummationi Sæculi universali, & consummationi hominum in particulari, hujusmodi plura adversa præmittere, & Christus prædicere, ne homines bonis terrenis adhærescerent, & Cælestia contemnerent; sed ut potiùs cuperent dissolvi, & esse cum Christo. Deinde, ut futurorum adversorum præscij, ad Patientiam, & animi Fortitudinem se præpararent, & actuali eorum perpessione alterius Vitæ promeritas pœnas minuerent, & Præmia augerent. Hunc ergo fructum & tu ex Christi Sermone refer: qui tantò altiùs animum tuum penetret, & fortiùs moveat, quòd coram quatuor amantissimis Discipulis, tali tempore, nempe uno tantùm adhuc biduo, suam Mortem ac Passionem antecedente, in monte Oliveti, ubi Christus Passionem acerbissimam postridie erat inchoaturus, & unde paulò pòst ad Cælestia Præmia erat ascensurus, fuerit prolatus. Ut proinde hujusmodi adversa à Dilectissimis etiam DEI Servis, Christo Exemplo suo monente, & ad Cælestia Præmia invitante, noveris sustinenda.

PUNCT

Punct. II. *Ego dabo vobis os, & Sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarij vestri.* Luc. 21. v. 15. *Et capillus de capite vestro non peribit.* v. 18. Ne multitudine adversorum, & adversariorum terreamur, promittit Christus nobis suum Auxilium, ut verbis & factis sapienter nos geramus; & Protectionem, ut sine ipsius Providentia ac permissione nec minimum malum nobis inferatur. Hac itaque Fiducia & Spe nosmet muniamus, & solemur contra omnia adversa, & adversarios.

Punct. III. *Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet Charitas multorum: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic Salvus erit.* Matth. 24. v. 12. *In Patientia vestra possidebitis Animas vestras.* Luc. 21. v. 19. Hæc duo inter hujus Mundi adversitates observanda monuit Christus in suo Vaticinio, Perseverantiam in fervore Charitatis, ne malis aliorum exemplis intepescamus; & Patientiam, ut Animæ nostræ dominium, & possessionem retineamus, & ejus Salutem consequamur; nec illam perdamus, aut detrimentum illius patiamur.

MEDITATIO CCCCXI.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 24. v. 15. Marc. 13. v. 14. Luc. 21. v. 20.

Punctum I. *Cùm ergo videritis abominationem Desolationis* (id est, abominabilem Desolationem; Lucas ait: *Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem* tempore Titi & Vespasiani) *quæ dicta est à Daniele*

Propheta. (c. 9. v. 27. Et quæ est Typus ac Imago ultimæ Desolationis, ac devastationis non solius Jerusalem, verùm etiam totius Mundi, cujus Apostoli hic Signum à Christo petiêrant, & ad quam proinde ipse etiam Christus sermonem suum, velut ad ultimum suum scopum dirigit, & quæ etiam à Daniele, per Jerosolymæ devastationem Judæis prænunciatam, allegoricè prædicta est) *stantem in Loco Sancto* (nempe in Templo, & in Sancta Civitate, & tandem in universa Dei Ecclesia) *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes, & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.* Matth. 24. v. 15. Quibus verbis docet Christus, quod non solùm oculis corporis, sed etiam oculis mentis, visa devastatione urbis & orbis, faciendum sit: cum ergo illam meditatione prævideris, fuge ad montes, nempe ad loca sublimia & tuta, id est, ad Virtutum in hac vita conscendendarum fastigia, ad Sanctorum in Cælo degentium Patrocinia, ad Christi in montibus Oliveti & Calvariæ Merita & Exempla. Neque tem sinas animum ad altiora jam evectum, ad inferiora rerum terrenarum amore rursum descendere, vel ad tunicam pravæ consuetudinis assumendam recu-

Punct. II. *Væ autem prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Matth. 24. v. 19. Quia istæ partum suum, vel non ad lucem edere, vel editum non ad maturitatem & perfectionem perducere poterunt. Considera, per hanc comminationem designari illos, qui solùm propositum Pænitentiæ conceperunt, vel solummodo imperfectam, nec ad Justificationem sufficientem egerunt, magis adhuc perficiendam, nutriendam. Itaque tu bona proposita, quæ qui

prægnans circumfers, non differ, nec imperfecta Virtute, præfertim Pœnitentiæ, ad Juſtificationem neceſſariæ, contentus eſto.

Punct. III. *Orate autem, ut non fiat fuga veſtra in hyeme, vel Sabbato.* v. 20. Illorum autem fuga fit in hyeme (quando itinera nivibus ſunt præpedita) vel in Sabbato (quo non licuit apud Judæos ultra ſeptingentos paſſus iter facere) qui vel in ſeram ſenectam, vel ad mortem uſque, quæ poteſtatem bene operandi tollit, emendationem ſuam differunt. Itaque *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Galat. 6. v. 10.

MEDITATIO CCCCXII.

Continuatio ejuſdem Argumenti.

Matth. 24. v. 29. Marc. 13. v. 24. Luc. 21. v. 25.

Punctum I. *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum* (futuram paulò ante Extremam Diem Judicij, ad quam rectiùs refertur particula *Statim*, quàm ad devaſtationem Jeroſolymitanam) *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, & Stellæ cadent de Cælo, & Virtutes Cælorum commovebuntur.* Matth. 24. v. 29. Idem his verbis refert S. Lucas c. 21. v. 25. *Erunt Signa* (prodigioſa, & prænuncia venturi Judicis) *in Sole, & Luna, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitûs maris, & fluctuum: areſcentibus hominibus præ timore, & exſpectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi: nam Virtutes Cælorum movebuntur*: quia amittent ſuam vim agendi, & influendi in corpora terreſtria; & Aſtra amittent ſuum ſplendorem; quod idem eſt, ac Stellæ

cadent de Cælo. Considera, hæc non tantùm dici ad terrorem eorum, qui tunc temporis victuri sunt; sed etiam ad nostrum, ut nunc tam tremendum aliquando venturum Judicem nobis per Emendationem Vitæ, & per Opera Satisfactionis placemus, ne, si hæc irati Numinis signa sunt edenda in creaturis inanimatis, quæ Divinam Voluntatem planè in omnibus executæ sunt, longè magis edantur in Anima nostra, quæ Voluntati Divinæ sæpe adversata est.

Punct. II. *Et tunc parebit Signum Filii hominis in Cælo.* Matth. 24. v. 30. Unde Ecclesia in officio S. Crucis canit: *Hoc Signum Crucis erit in Cælo, cùm Dominus ad judicandum venerit.* Quanto solatio aspicient hoc Signum Amatores Crucis, qui baiulaverunt Crucem suam quotidie; imò qui Christo confixi sunt Cruci! Quàm terribile erit inimicis Crucis Christi, quibus fuit stultitia & scandalum!

Punct. III. *Et tunc videbunt Filium Hominis, venientem in nube cum Potestate magna & Majestate.* Luc. 21. v. 27. Hoc Adventu gaudebunt Justi, quia tunc maximè implebitur Vaticinium Isaiæ 62. v. 11. *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite Filiæ Sion* (Ecclesiæ Triumphanti, vel cuivis Animæ Beatæ) *Ecce Salvator tuus venit: ecce Merces ejus cum eo, & Opus ejus coram illo.* Et illud Apoc. 22. v. 12. *Ecce venio cito, & Merces mea mecum est, reddere unicuique secundùm Opera sua.* Contrà eodem Adventu terrebuntur impii, quia altera Prophetia implebitur Apoc. 6. v. 15. *Et Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis servus, & liber, abscondérunt se in speluncis & in petris montium, & dicunt montibus, & petris: Cadite super nos, & abscondite nos à Facie sedentis super Thronum*

& ab Ira Agni : quoniam venit Dies Magnus iræ ipsorum. Et quis poterit stare? Beati itaque videbunt Filium hominis *Venientem in nube* : & nubes lucida obumbrabit eos, sicut Discipulos Christi in monte Thabor. Matth. 17. v. 5. quia erit nubes protegens. Reprobi verò videbunt *Venientem in nube*, sed fulgurante. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit Adventus Filij hominis.* Matth. 24. v. 27. Videbunt eum etiam venientem *Cum Potestate magna*: quia *Potest & Animam, & Corpus perdere in Gehennam.* Matth. 10. v. 28. *Et Majestate*, qua tremefacti exclamabunt: *DEVS Majestatis intonuit.* Ps. 28. v. 3. Tu itaque nunc time hanc venturi Judicis Potestatem & reverere, ac ama Majestatem, quia nunc Timor salubris, & Reverentia meritoria est ; ut dici possit : *Ecce Rex tuus venit tibi Mansuetus.* Matth. 21. v. 5.

MEDITATIO CCCCXIII.

Continuatio ejusdem Argumenti.

Matth. 24. v. 36. Marc. 13. v. 32.
Luc. 21. v. 34.

PUNCTUM I. *De Die autem illo, vel horâ nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater.* Marc. 13. v. 32. (His verbis Christus non negat, scire se tempus, aut Diem futuri Judicij; sed id tantùm affirmat, se Scientiam illam non aliunde, quàm à Cælesti Patre accepisse, nec alijs eam communicare statuisse : solus enim Pater eam habet à se, & illam communicat Filio: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei.* Joan. 5. v. 20. Uterque autem eam communicat Spiritui

Sancto; & non expedit ulteriùs revelari ulli alij, saltem in hac vita, neque unquam revelata est.) Sicut autem nemo scit diem vel horam Universalis Judicij, ita etiam communiter nemo scit diem vel horam sui Particularis Judicij: sed sicut avicula, ignara laquei sibi structi, subitò illo captam se deprehendit, sic dies & hora Judicij Universalis & Particularis *Tanquam laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Luc. 21. v. 34. Hinc autem ipse Christus hanc Doctrinam infert: *Ideo & vos estote parati, quia, quâ nescitis horâ, Filius Hominis venturus est.* Matth. 24. v. 44.

Punct. II. Quomodo autem nos parare debeamus, ulteriùs docet Christus Luc. 21. v. 34. *Attendite autem vobis, ne fortè graventur Corda vestra* (id est Conscientiæ vestræ) *in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ.* Est autem crapula & ebrietas, tanquam determinatum peccatum, pro quovis indeterminato posita. Itaque pro Præparatione ad mortem duo vitanda sunt: Nempe omne peccatum, & omnes curæ temporales; ac omnis cura nostra eò ultimatè tendere debet, ut digni habeamur Vitâ Æternâ.

Punct. III. Præter duo, quæ vitanda sunt, duo etiam præstanda monet Christus. Marc 13. v. 33. *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim, quando tempus sit:* sive: *Quia nescitis, quâ horâ Dominus vester venturus sit.* Matth. 24. v. 42. Orandus itaque Deus est, ut det Gratiam Perseverantiæ, ne unquam labaris in grave peccatum: & vigilandum contra omnes insidias Diaboli, & contra omnia pericula, præsertim sensuum externorum, ne per eos, tanquam per totidem januas intret peccatum. Ideo Christus Marc. 13. v. 34. id similitudine declarat: Quia ipse venturus est, *Sicut homo,*

mo, qui peregrè profectus reliquit domum suam, & dedit servis suis potestatem cujusque operis, & Janitori (Voluntati, quæ præest portis sensuum) *præcepit, ut vigilet. Vigilate ergo* (*nescitis enim, quando Dominus domûs veniat: serò, an media nocte, an galli cantu, an manè*) *ne cùm venerit repentè, inveniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.*

MEDITATIO CCCCXIV.

Parabola de Decem Virginibus.

Matth. 25. v. 1.

PUNCTUM I. *Tunc* (quando Filius Hominis venturus est ad Judicium) *simile erit Regnum Cælorum decem Virginibus* (id est, universus Cætus hominum, optantium admitti in Regnum Cælorum, similis erit decem Virginibus) *quæ accipientes lampades suas* (ipsas earum Animas intellige) *exiêrunt obviam Sponso & Sponsæ* (Christo & Ecclesiæ Triumphanti, vel potiùs Filio DEI desponsato, & copulato Humanitati suæ) *quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque Prudentes* (id est, magna pars ex eis) *sed quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum: Prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.* Nempe vasa lutea portantes corporis sui, oleum Bonorum Operum, & Meritorum Gratiæ Justificantis secum acceperunt in hac vita, quo Animarum suarum lampades repletas gerebant, quando Sponso venienti occurrebant, corporibus post mortis dormitionem resumptis. Hanc Prudentium Virginum Prudentiam imitare, & ex fatuarum Virginum damno, ac imprudentiâ sapere disce.

PUNCT. II. *Moram autem faciente Sponso, dormitaverunt omnes, & dormiêrunt.* v. 5. Quamprimùm enim homo concipitur in utero materno, incipit mori, & dormitat; dormit verò, dormitione mortis, cùm moritur. Sic Christus de Lazaro mortuo dixit Joan. 11. v. 11. *Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut à somno excitem eum.* Postquam ergo omnes dormitaverunt, & dormiêrunt, nempe postquam impletum est illud Divinum Decretum Hebr. 9. v. 27. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem Judicium*; venit Sponsus, nempe Christus, instituturus Judicium Universale. Hîc considera, non frustra verbo *Dormiêrunt* præmissum esse verbum *Dormitaverunt*, ut scilicet, cùm Vita nostra aliud nihil sit, quàm Dormitatio, sive inchoatio mortis, omnes voluptates, honores, & commoda vitæ mortalis, sive mortis inchoatæ contemnamus, & tanquam somnia inania Dormitationis ducamus. In Sensu Morali etiam per Dormitationem designatur Tepiditas, quæ Prudentibus quoque Virginibus, nempe Justis non rarò obrepit; inde autem sæpe in gravem somnum ac somnolentiam prolabuntur, ita ut ad hujusmodi Virginum multitudinem denotandam in sensu quodam accommodo dici possit: *Dormitaverunt omnes, & dormiêrunt.* Tu itaque ab hujuscemodi Dormitatione, & Dormitione exciteris illâ Sapientis adhortatione Proverb. 6. v. 9. *Usquequò piger dormies? quando consurges è somno tuo? paululùm dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, ut dormias: & veniet tibi, quasi viator, egestas, & pauperies, quasi vir armatus. Si autem impiger fueris, veniet ut fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.*

PUNCT. III. *Media autem nocte clamor factus est*

(quando

(quando nempe omnes somnus mortis oppressit, & Angeli tubis cecinerunt: Surgite Mortui, venite ad Judicium) *Ecce Sponsus venit: exite obviàm ei.* Matth. 25. v. 6. Considera, hujusmodi clamorem non tantum fieri ante Judicium Universale, sed etiam ante Judicium Particulare. Quotiescunque enim tibi ingeritur memoria Mortis, & Judicij Particularis, toties fit clamor: *Ecce Sponsus venit.* Exire autem obviàm ei, idem est, ac ad Mortem & Judicium promptum & paratum procedere. Itaque cum Prudentibus Virginibus exi obviàm Ei.

MEDITATIO CCCCXV.

Continuatio Ejusdem Parabolæ.

Matth. 25.

PUNCTUM I. *Tunc surrexerunt omnes Virgines illæ, & ornaverunt lampades suas* (id est, Animas suas resumptis corporibus in Resurrectione) *fatuæ autem Sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* à v. 7. Sine oleo enim Gratiæ Justificantis (ad quam alludit S. Paulus 2. Cor. 1. v. 21. inquiens: *Qui unxit nos DEVS, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritûs in Cordibus nostris*) Fides & Opera Bona sunt veluti lychnus, qui modò extinguitur. Unde illorum lampades extinguuntur, quorum Animæ Fidem quidem & quædam Opera Bona habent, sed Gratiam non habent. Esto ergo velut Lucerna ardens & lucens, in qua Fides & Opera Bona oleo Gratiæ nutriuntur, & splendorem ac æstimationem coram DEO accipiunt. Illorum etiam lampades ex-

tinguuntur, qui pro Bonis suis Operibus, intentione vanæ gloriæ peractis, in hac vita receperunt mercedem suam, oleum & operam perdentes. Ideo S. Gregor. Homil. 12. in Evang. inquit: *Ecce enim Redemptoris voce decem Virgines, & omnes dicuntur Virgines, & tamen intra Beatitudinis januam non omnes sunt receptæ: quia earum quædam, dum de Virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt.*

Punct. II. *Responderunt Prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit Sponsus: & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad Nuptias, & clausa est janua.* v. 9. Considera, quidquid olei aut Gratiæ Sanctificantis in hac vita tibi comparare neglexeris, in altera neque per alienam liberalitatem, neque per propriam diligentiam, neque per Divinam Misericordiam reparari posse. Itaque noli in alienis Meritis, Patrocinio, Satisfactione, vel Suffragijs pro Defuncto persolvendis, confidere; noli Pœnitentiam, & Bonorum Operum studium differre; nisi enim bene agere velis, cùm poteris, non poteris, cùm voles. Noli de Divina Misericordia præsumere; sed ad eam accede, quando aperta est janua, non cùm jam est clausa.

Punct. III. *Novissimè verò veniunt & reliquæ Virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis: Nescio vos.* v. 11. Ecce non sufficit, verbis Dominum profiteri, sed ut id ipsum factis præstemus, necesse est. Unde, qui eum factis negant, vicissim ignorantur, & non agnoscuntur pro Servis à Domino. Meritò etiam illi clausa janua non aperitur, qui Deo ostium Cordis sui sæpe occlusit, &

& ſtanti ante oſtium, ac pulſanti non aperuit. Tu ergo, quandoquidem ſæpe clamantem audis: *Aperi mihi Soror mea, Amica mea, Columba mea, Immaculata mea, quia Caput meum plenum eſt rore, & Cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. v. 2. Fac, ut dicere poſſis: *Surrexi, ut aperirem Dilecto meo, &c. Peſſulum oſtij mei aperui Dilecto meo &c.* v. 5. & 6.

MEDITATIO CCCCXVI.

Parabola de Diviſione Talentorum.

Matth. 25. v. 14.

PUNCTUM I. *Sicut homo peregrè proficiſcens, vocavit ſervos ſuos, & tradidit illis bona ſua.* Conſidera, quomodo DEVS etiam te vocaverit, quàm ſuaviter, quàm efficaciter, & quanta tibi Bona tradiderit, id eſt, Media, & Auxilia ad ingentia Merita, ac Lucra Spiritualia tibi comparanda. Expende etiam, quàm liberaliter DEVS Servis ſuis Bona ſua dividat, tribuens ſingulis, prout vult, non prout obligatur: unde contentus eſſe debes illis Bonis, quæ tibi tradidit; nec affligi, ſi quæpiam non tradidit: Dominus enim eſt, & de ſuis Bonis diſponere poteſt, prout ipſe vult. Unde *Vni dedit quinque Talenta, alij autem duo, alij verò unum, unicuique ſecundùm propiam Virtutem.* Ex ultimis tamen verbis collige, DEVM in diſtribuendis ſuis Bonis attendere Servorum ſuorum *Propriam Virtutem*, nempe capacitatem, & dignitatem; unde nihil ſupra vires eorum ipſis committit, & ſimul etiam ſervorum ſuorum diſpoſitionem ac Merita exigit: quamvis enim primam Gratiam & multa Bona tribuat ſine proprijs Meritis,

Meritis, ad multa tamen Bona tribuenda prærequirit propriam hominis disposition em ac Merita. Stude ergo, ut dignus fias accipere quinque Talenta, & æmulare Charismata meliora.

Punct. II. *Abiit autem, qui quinque Talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.* Sic quantò plura à Deo Talenta accepisti, tantò majorem conatum, & industriam debes adhibere ad faciendum majus lucrum: ipsáque Domini tui erga te liberalitas ad id incitamento tibi esse debet. Attamen, si minora & pauciora Talenta accepisti, noli animo deijci; Dominus enim contentus est, si quis Talentis suis secundùm vires suas, & secundùm proportionem acceptorum Talentorum cooperatur, ut ex sequentibus patebit.

Punct. III. *Post multum verò temporis* (quod, etiamsi alibi modicum & breve dicatur, comparatione videlicet Æternitatis secuturæ, absolutè tamen usque ad Extremum Diem Judicij, vel etiam Vitæ, multum dici potest) *venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens, qui quinque Talenta acceperat, obtulit alia quinque Talenta, dicens: Domine, quinque Talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge Serve Bone & Fidelis, quia super pauca fuisti Fidelis, super multa te constituam: intra in Gaudium Domini tui. Accessit autem, & qui duo Talenta acceperat, & ait: Domine duo Talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge Serve Bone & Fidelis, quia super pauca fuisti Fidelis, super multa te constituam, intra in Gaudium Domini tui.* Considera, quantâ Fiduciâ, Securitate, & Gaudio

dio hi Servi accesserint. Sic qui tempus vitæ, quantumvis longum, non otiosè & inutiliter transigunt, qui Auxilijs Gratiæ secundùm vires cooperantur, magnâ cum Fiduciâ, Securitate, & Gaudio ad Judicem accedunt. Et tunc à DEO ipso laudantur, tanquam Boni & Fideles Servi. Unde contempta laude humana, Divinam exspectemus, sequentes illud Pauli monitum 1. Cor. 4. v. 5. *Nolite ante tempus judicare* (vel judicari) *quoad usque veniat Dominus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum* (opera in occulto facta) *& manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à DEO.* Non solùm autem laudantur Fideles Servi, sed super omnia Bona Domini sui, per Visionem Beatificam, & Amorem Beatificum possidenda, constituuntur: & in ipsius Domini Gaudium (illud scilicet, quo ipse Dominus DEVS gaudet) Infinitum, Immensum, Æternum ex parte objecti & temporis, jubentur intrare: quod cùm ipsi capere non possint, sed à Gaudio objecto capiantur, & toti obruantur; ideo non in ipsos Gaudium intrare dicitur, sed ipsi intrare in Gaudium. Observa etiam eandem Laudem, & idem Præmium, ijsdem verbis, duo tantùm Talenta lucranti attribui; quia, licèt secundùm inæqualitatem Meritorum Præmia futura sint inæqualia accidentaliter, essentialiter tamen, (ut Theologi loquuntur) erunt æqualia; sicut alibi singuli Operarij in Vinea Domini singulos denarios diurnos accepisse dicuntur. Itaque contentus esto, si pauciora Talenta accepisti, modò illis cum proportione cooperis.

MEDI-

MEDITATIO CCCCXVII.

Continuatio ejusdem Parabolæ.

Matth. 25. v. 18.

PUNCTUM I. *Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.* Interram Talentum suum abscondit, qui tantùm terrena sapit, & terrenas voluptates, ac honores quærit, qui terrenis curis, ac solicitudinibus Auxilia Gratiæ obruit, qui animum rarò ad Cælestia erigit, qui abutitur ad terrena tantùm sectanda illo Psalmistæ versiculo Ps. 113. v. 16. *Cælum Cæli Domino: terram autem dedit filijs hominum.*

PUNCT. II. *Accedens autem, qui unum Talentum acceperat, ait: Domine, scio, quia homo durus es, & metis, ubi non seminâsti, & congregas, ubi non sparsisti: & timens abij, & abscondi Talentum tuum in terra: ecce habes, quod tuum est.* v. 24. Considera, causam desidiæ, & Acediæ Spiritualis esse, non rectè sentire de DEO, & vel in desperationem propter imaginationem nimiæ Severitatis, vel in præsumptionem propter imaginationem nimiæ Lenitatis induci. Ideo Sap. c. 1. v. 1. medium tenere jubemur: *Sentite de Domino in Bonitate, & in Simplicitate cordis quærite illum: perversæ enim cogitationes separant à DEO.* Considera etiam, quàm falsum & cæcum fuerit judicium hominis pigri de Domino, sive DEO suo: ipsum enim Talentum acceptum fuit sparsum à Domino semen lucri, per ipsum servum faciendi. Tu ergo Auxilia Gratiæ agnosce Bonorum Operum semen esse, & pro his Bonorum Operum segetem esse reddendam. Falsum etiam est, DEVM esse

Dominum

Dominum durum, cui satisfieri non possit; homines enim potiùs sunt domini duri, & tamen illis servitur cum magna diligentia : DEVS verò contentus est solo nostro conatu, modò faciamus, quantùm possumus. Observa tamen, DEVM in aliquo sano sensu admittere comparationem sui cum homine *Duro, sive Austero* Luc. c. 19. Et ideo etiam hîc, in persona hominis *Duri* à servo appellati, dixit ei: *Serve male & piger, sciebas, quia meto, ubi non semino, & congrego, ubi non sparsi &c.* v. 26. Quia exigit à servis suis etiam fructus propriæ illorum Industriæ. Itaque Auxilijs Gratiæ Divinæ respondeat propria Industria humana.

PUNCT. III. *Respondens Dominus ejus, dixit ei: Serve male, & piger* (hæc Pæna vituperij opponitur laudi Servi Boni Fidelis) *sciebas, quia meto, ubi non semino; & congrego, ubi non sparsi: oportuit ergo te committere pecuniam meam numularijs, & veniens ego recepissem utique, quod meum est, cum usura* (nempe cum lucro ex Industria tua redundante) *Tollite itaque ab eo Talentum* &c. (Ecce altera Pæna, quâ condemnati privantur Auxilijs Gratiæ Supernaturalis, ut per totam Æternitatem nequeant præstare Fructus dignos Pœnitentiæ) *& inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Hæc tertia Pæna est. Sicut enim Servus Bonus & Fidelis jubetur intrare in Gaudium Domini, quod est Visio Beatifica; sic seruus malus & piger ejicitur in oppositas tenebras, nempe in privationem Visionis Beatificæ, quæ vocatur *Pœna Domini* : & sicut Gaudium Servi Boni tantum est, ut non ipsum Gaudium in Servum, sed Servus in Gaudium intrare dicatur; ita illa Pæna Damni

tanta

tanta est, ut servus malus in tenebras ejici dicatur, & eæ exteriores appellentur, circumdantes servum; quibus additur *Pœna Sensûs*, sensibili signo fletûs, & stridoris dentium indicata. Factâ itaque comparatione inter Præmium Servi Boni, & supplicium Servi mali territus, noli Talenta tua in terra abscondere.

MEDITATIO CCCCXVIII.

Christi Judicis Majestas, & Sententia. Matth. 25. v. 31.

PUNCTUM I. *Cùm autem venerit Filius Hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super Sedem Majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes.* Priùs venit Filius Hominis in Humilitate sua, desertus ab hominibus, jacens in Præsepio abjectionis suæ, imò pendens in infami Ligno Crucis suæ. Vides ergo, quantus Honor in altera Vita rependatur pro Humilitate hujus vitæ. Sic bona & honores temporales relinquentibus ipse Christus promisit Matth. 19. v. 28. *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in Regeneratione, cùm sederit Filius Hominis in Sede Majestatis suæ, sedebitis & vos super Sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israël.* Considera etiam, cùm Extremum Judicium instituatur coram omnibus Angelis & Hominibus, quantus sit futurus publicus Honor illis, quorum internæ Virtutes & Bona Opera, in occulto facta, omnibus manifestabuntur: econtrariò quanta ignominia illis, quorum interna, vel occulta peccata publicè prodentur, quæ coram uno homine fateri, vel patrare erubuissent. Et quidem ipse Supremus Judex

Judex, qui nec falli potest, nec fallere, nec illorum quidpiam ignorare, omnium illorum claram, distinctam, & certam Scientiam singulorum hominum intellectui infundet, ut pateat singulis æquitas Judicij. Nec tamen delectabit, sed potiùs cruciabit reprobos hæc Scientia.

Punct. II. *Et separabit eos ab invicem, sicut Pastor segregat oves ab hædis.* v. 32. In hac vita non fit hujusmodi separatio: sicut ergo hædi non ideo oves sunt, quia cum ovibus pascuntur; ita non ideo bonus es, quia in Bonorum Cætu degis. Itaque inter bonos degens, te illis indignum, ac dissimilem existima. Perpende etiam, quàm ignominiosa, quàm tremenda futura sit illa separatio: quia Oves in Cælestem Aulam, Hædi in Caulam Infernalem immittentur. Imitare itaque nunc Ovium Innocentiam, Mansuetudinem, Simplicitatem, Fæcunditatem: & procul fac à te fætorem peccati, hircorum fætori similem.

Punct. III. *Et statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.* v. 33. Per dextram significatur Honor, conferendus in Justos; per sinistram verò contemptus, publica confusio, & ignominia injustis eventura: per dextram indicatur etiam omnis prosperitas; per sinistram omnis adversitas. Si itaque in hac vita homo hominis ambit dextram, quantò magis ambienda est Dextra Supremi Judicis? Felix illa Anima, de qua cum Deo regnatura dici aliquando poterit. Ps. 44. v. 10. *Astitit Regina à Dextris tuis, in Vestitu deaurato, circumdata varietate*, nempe deaurato per aurum Charitatis, & varietate Virtutum circumdata.

MEDITATIO CCCCXIX.

Continuatio eiusdem Argumenti.

Matth. 25. v. 34.

PUNCTUM I. *Tunc dicet his, qui à Dextris ejus erunt: Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c. Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Considera singula verba hujus Sententiæ ferendæ erga Justos, à Dextris stantes. Dicet Christus: *Venite*: illis nimirum, quibus antè dixerat, & qui etiam paruerant dicenti: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Tunc implebitur illud, quod alibi dixerat: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & Ego reficiam vos* Itaque nunc veni, & sequere Christum, ut merearis inter Electos audire: *Venite*. Dicet etiam: *Benedicti Patris mei.* Omnis laus humana, omnes honorum tituli nihil valent comparatione hujus Elogij. Dicet: *Possidete paratum vobis Regnum &c.* Non tantùm promittitur, sed traditur Regnum Cælorum, ab æterno quidem decretum, sed paratum à constitutione mundi, quando Cælum Empyreum, omnium Beatorum Sedes, conditum, & pro futura habitatione præparatum est. Dicet quoque: *Esurivi enim &c.* Quod tantùm exempli gratiâ exprimitur; non enim hoc tantùm, sed omnia Opera Bona manifestabuntur; nullúmque Opus erit tam exiguæ æstimationis, licèt fuerit solùm porrectio aquæ frigidæ, pro quo non rependatur Præmium æternum ab Eo quis

quissimo & Liberalissimo Judice; sicut nullum, etsi levissimum peccatum, erit impunitum. Hinc ergo desume, si tale Præmium rependitur pro Operibus Misericordiæ Corporalibus, quantò majus rependendum sit pro Spiritualibus; & quoniam vides, quòd tanti hujusmodi Opera Charitatis æstimet Christus, ut velut sibi facta credat, tu quoque in horum exhibitione ipsum Christum respicere stude.

Punct. II. *Tunc dicet & his, qui à sinistris erunt: Discedite à me Maledicti in Ignem Æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c. Amen dico vobis, quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Considera & hujus Sententiæ singula verba. Per priora: *Discedite à me*, denunciatur Pæna Damni, nempe repulsio à fruitione Dei. Per posteriora: *In Ignem Æternum &c.* Pæna Sensûs. Per ultima exprimitur Causa Damnationis, quæ etiam tota secundùm omnia peccata coram omnibus Angelis & hominibus manifestabitur.

Punct. III. *Et ibunt hi in Supplicium Æternum, Justi autem in Vitam Æternam.* Considera celerem, certam, & inexorabilem executionem Sententiæ Judicialis, & ejusdem executionis Æternitatem nunquam remittendam. Nunc in potestate tua est, tibi cudere Sententiam, quàm malles. Sequere igitur consilium Thomæ Kempensis l. 2. de Imit. c. 12. dicentis: Durus multis videtur sermo: Abnega temetipsum, tolle crucem tuam, & Sequere Jesvm: sed multò durius erit audire illud Extremum Verbum: Discedite à me Maledicti in Ignem Æternum. Qui enim modò libenter audiunt, & sequuntur Verbum Crucis, tunc non timebunt ab auditione Æternæ Damnationis.

MEDITATIO CCCCXX.

Consummatio Prædicationis Christi.

Luc. 21. v. 37. Matth. 26. v. 1.

PUNCTUM I. *Erat autem diebus docens in Templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.* Luc. 21. v. 37. Considera, Christum ultimis mensibus frequenter, & proximè ante Mortem tribus continuis diebus, tempus diurnum docendo exegisse in Templo Jerosolymitano, scilicet à Dominica Palmarum usque ad diem Mercurij; quamvis sciret sibi insidias strui, Auditores fore ingratissimos, & parùm profecturos propter duritiem & pertinaciam suam. Ita functiones tui officij pari diligentiâ & constantiâ obire perge, etsi parùm per illas efficias, & optatum fructum non consequaris, multósque in illis adversarios, hominúmque ingratitudinem sustinere cogaris. Ex eodem Christi Exemplo disce, nulli labori usque ad finem vitæ parcere, & propter Opera Charitatis erga Proximum, si necesse est, propriæ Devotionis Exercitia Spiritualia etiam in noctem differre.

PUNCT. II. Considera Christum noctibus in montem Oliveti secessisse Orationis gratiâ, sicut aliàs c. 6. v. 12. S. Lucas dicit: *Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare, & erat pernoctans in Oratione DEI.* Sic quando multitudine occupationum necessariarum à consueta Oratione & Spiritualibus Exercitationibus diurno tempore impeditus es, eas adhuc ante se mnum supple nocturno tempore, si fieri potest, vel certè, quamprimùm potes. Imitare etiam Christum

in eligendo loco & tempore opportuno pro Oratione, ut animo collecto, sursum elevato, à curis & negotijs libero, eam peragere possis. Insuper considera, Christum pro ijs, quos de die docuerat, de nocte preces fudisse: sic pro tibi commissis DEVM deprecari, & semen Doctrinæ Oratione rigare debes, ut optatum fructum ferat. Vel si Proximum tuum ratione statûs vel muneris tui nequeas juvare Doctrinâ, saltem Oratione juva, & imitare Christum, si non docentem, saltem orantem pro Salute Proximi. Denique perpende, si Christus pro Salute Proximi integris noctibus vigilavit, quàm vigilem te oporteat esse pro Salute propria. Itaque Christus non tantùm Verbo, sed etiam Exemplo dixit: *Vigilate, & Orate.*

PUNCT. III. *Et factum est; cùm consummâsset* JESUS *Sermones hos omnes, dixit Discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut crucifigatur.* Matth. 26. v. 1. Considera, verbo *Consummâsset* significari, Christi Doctrinam fuisse consummatam, & omnibus numeris absolutam: itaque secundùm eam vitam tuam institue, ut Perfectionem consummatam assequaris; & ita stude, legendo ac meditando Christi Doctrinam, in illa proficere, ut consummatam ejus notitiam obtineas. Eodem verbo *Consummâsset* indicatur etiam, Christum non tantùm absolvisse suos Sermones, sed consummâsse, id est, Prædicandi munus ita compleviſse, ut cum veritate dicere posset Joan. 15. v. 15. *Omnia, quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*: quantum scilicet vos capere poteratis, & quantum Pater Cælestis voluit notificari. Ex quo patet, quàm perfectè Christus Magistri munus erga Genus Humanum expleverit. Ex-

pende ergo, quid huic Magistro debeas, quantam Gratitudinem, quantum Amorem, quantam Observantiam, Obedientiam, & Imitationem, qui Sermones suos non tantùm Verbo, sed Opere ipso consummavit; &, sicut dixit, sic vixit. Cæpit facere, & docere, & cæpta consummavit, & suo Sanguine ac Morte consignavit.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

INDE

INDEX ANTILOGIARVM
Seu
Apparentium Contradictionum,
Quæ in Meditationibus Annotatis Conciliantur.

Ex Parte Prima.

I. S. Matthæus c. 1. v. 17. inquit: *Omnes itaque Generationes ab Abraham usque ad David, Generationes quatuordecim: & à David usque ad transmigrationem Babylonis, Generationes quatuordecim: & à transmigratione Babylonis usque ad Christum, Generationes quatuordecim.* Videri posset Evangelista sibi ipsi repugnare; quia in prima & secunda serie, tantùm tredecies repetito verbo *Genuit*, videtur tantùm tredecim Generationes enumerâsse. Vide solutionem Med. 14.

II. S. Matthæus c. 26. v. 21. & S. Marcus c. 14. v. 18. videntur asserere, quòd Christus statim initio Cœnæ ab uno ex Discipulis se tradendum prædixerit. S. Lucas autem c. 22. v. 21. & S. Joannes c. 13. à v. 21. id referunt post pedum Lotionem, & SS. Eucharistiam institutam, quando Judas paulò pòst surrexit, & exivit ex Cœnaculo. Med. 96.

III. S. Matthæus c. 26. v. 34. ait: Christum Petro dixisse: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequàm Gallus cantet, ter me negabis.* Idem ait S. Lucas c. 23. v. 34.

Non cantabit hodie Gallus, donec ter abneges nôsse me. Sed S. Marcus c. 14. v. 64. dicit, Gallum ſtatim poſt primam Negationem cantâſſe. Med. 97.

IV. S. Matthæus c. 26. v. 45. ſcribit, Chriſtum, cùm ter ab Oratione ſurgens Diſcipulos viſitâſſet, de ſomnolentia interea reprehenſis, demum dixiſſe: *Dormite jam, & requieſcite.* Verùm S. Lucas c. 22. v. 46. Unica viſitatione relata, conceſſionem ſomni omnino videtur negâſſe: referens enim Verba Chriſti ad Diſcipulos: *Quid dormitis? Surgite, Orate, ne intretis in tentationem*: ſtatim addit: *Adhuc eo loquente, ecce turba: & qui vocabatur Judas, unus de Diſcipulis, antecedebat eos.* Nullum ergo tempus & facultas dormiendi data eſt. Med, 111.

V. S. Joannes c. 18. v. 13. refert: *Et adduxerunt Eum ad Annam primùm.* Sed S. Matthæus c. 26. v. 57. ſcribit: *At illi tenentes JESVM duxerunt ad Caipham.* Med. 116.

VI. S. Matthæus c. 26. v. 8. & S. Lucas c. 22. v. 55. teſtantur, Petrum ſediſſe cum Miniſtris, ad ignem circumſidentibus. Sed S. Joannes c. 18. v. 18. inquit: *Stabant autem ſervi, & Miniſtri ejus ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant ſe: erat autem cum eis & Petrus ſtans, & calefaciens ſe.* Med. 118.

VII. S. Matthæus c. 26. v. 69. & v. 73. (cui conſentit S. Marcus c. 14.) Trinam Negationem Petri recenſet factam primò coram una Ancilla, ſecundò coram altera, tertiò coram Miniſtris, quos dicit acceſſiſſe ad Petrum. Sed S. Joannes c. 18. v. 25. ſecundam Negationem ait factam coram Miniſtris, & his Petrum adſtitiſſe: tertiam autem teſtatur factam coram ſervo Pontificis, cognato Malchi; de qua Negatione

tione id ipsum etiam testatur S. Lucas c. 22. v. 59. Med. 118.

VIII. S. Matthæus Illusionem Christi per impositionem Coronæ Spineæ videtur postponere Condemnationi ad mortem; S. Joannes verò testatur, illam ante Condemnationem contigisse. Ita enim inquit S. Matthæus c. 27. v. 26. *Tunc dimisit illis Barabbam; JESVM autem flagellatum tradidit eis, ut Crucifigeretur. Tum milites Præsidis suscipientes JESVM in Prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: & exuentes eum, Chlamydem Coccineam circumdederunt ei; & plectentes Coronam de Spinis, posuerunt super Caput eius, & Arundinem in Dextra ejus &c.* Sed S. Joannes cap. 19. v. 2. & seqq. referens prædictam Illusionem, & Pilati inutilem conatum, per eam eximendi Christum à sententia Mortis, tandem subjungit. v. 16. *Tunc ergo tradidit eis illum, ut Crucifigeretur.* Med. 130.

IX. S. Matthæus c. 27. v. 34. scribit, Christo in Monte Calvariæ datum esse Vinum *Felle mistum*, & ut S. Marcus inquit, *Myrrhatum Vinum*. At S. Joannes c. 19. v. 29. asserit: *Spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori ejus.* Med. 135.

X. S. Matthæus c. 27. v. 44. Blasphemias, in Christum ab omni genere hominum congestas, tribuit utrique Latroni, dicens: *Idipsum autem & Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Attamen S. Lucas c. 23. v. 39. solùm inquit: *Unus autem de his, qui pendebant, Latronibus, blasphemabat eum.* Med. 140.

XI. S. Marcus c. 15. v. 25. de tempore, quo Christus Crucifixus est, inquit: *Erat autem Hora Tertia, & Crucifixerunt eum.* Verùm ex omnibus alijs Evangelistis constat, Christum circa Horam Sextam

Crucifixum esse, & circa Nonam mortuum. Ita enim habet S. Matthæus c. 27. v. 45. *A Sexta autem tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad Horam Nonam, & circa Horam Nonam clamavit IESVS Voce magna &c.* Med. 147.

XII. S. Marcus c. 16. v. 2. dicit, Mulieres venisse ad Monumentum, *Orto jam Sole.* Econtrariò S. Joannes ait, venisse, *Cùm adhuc tenebræ essent.* Med. 151.

XIII. De Angelis, qui Mulieribus, ad Sepulchrum Christi advenientibus, apparuerunt, S. Lucas ita scribit cap. 24. v. 4. *Ecce duo Viri steterunt secus illas in veste fulgenti.* S. Matthæus tantùm Unius, & quidem sedentis, meminit c. 28. v. 2. *Angelus enim Domini descendit de Cælo: & accedens revolvit Lapidem, & sedebat super eum:* S. Marcus c. 16. v. 5. sic habet: *Viderunt Juvenem, sedentem in dextris:* adeoque non super Lapidem extra Monumentum. Itaque tres Evangelistæ nec quoad numerum Angelorum, nec quoad locum, nec quoad situm conveniunt. Med. 151.

XIV. Rursum de Mulieribus, è Christi Monumento redeuntibus, refert S. Lucas c. 24. v. 9. *Et regressæ à Monumento nunciaverunt hæc omnia illis Undecim, & cæteris omnibus.* Sed S. Marcus c. 16. v. 8. testatur contrarium: *At illæ exeuntes fugerunt de Monumento; invaserat enim eas timor & pavor: & nemini quidquam dixerunt; timebant enim.* Med. 153.

XV. S. Joannes c. 20. v. 17. narrat, Christum Mariæ Magdalenæ dixisse: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* Sed ratione hac non obstante, S. Matthæus de Mulieribus, paulò pòst obviantibus Christo, inquit: *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt Pedes ejus.* Med. 156. De his ipsis Mulieribus S. Joan-

Joannes præcedenti Capite 19. v. 25. dixerat: *Stabant autem juxta Crucem JESV Mater ejus, & Soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene.* S. Lucas verò c. 23. v. 49. ait: *Stabant autem omnes noti ejus à longè & Mulieres &c.* Med. 157.

XVI. S. Joannes cap. 20. v. 3. testatur, se quoque cum Petro accurrisse ad Monumentum: *Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus, & venerunt ad Monumentum: currebant autem duo simul.* Sed S. Lucas id de solo Petro perscribit: *Petrus autem surgens cucurrit ad Monumentum.* c. 24. v. 12. Med. 158.

XVII. S. Lucas c. 24. v. 34. affirmat, reliquos Discipulos credidisse Petro, & dixisse duobus redeuntibus de Castello Emmaus: *Quòd Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* S. Marcus autem oppositum videtur his verbis significare. c. 16. v. 14. *Novissimè, cùm serò esset die illo, recumbentibus illis Vndecim, apparuit, & exprobravit incredulitatem eorum, & duritiem Cordis: quia ijs, qui viderant ipsum resurrexisse* (inter quos etiam erat Simon Petrus) *non crediderunt.* Med. 162.

XVIII. Idem S. Marcus loco proximè citato dixit: *Novissimè*: quasi illa asserta Apparitio fuisset ultima; & tamen, ut constat ex alijs Evangelistis, ista contigit prima die Resurrectionis; post quam multæ aliæ Apparitiones referuntur, unde ait S. Lucas Act. 1. v. 3. *Præbuit se ipsum Vivum post Passionem suam in multis Argumentis, per dies quadraginta apparens eis.* Med. 162.

XIX. Citatus S. Marcus dixit: *Recumbentibus illis Vndecim apparuit &c.* Sed S. Joannes c. 20. v. 24. negat, tunc omnes Undecim recubuisse: *Thomas autem unus ex duodecim* (de quibus Judas Iscariotes jam priùs sublatus est) *qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit JESVS.* Med. 162.

XX.

XX. S. Matthæus c. 28. v. 18. refert Christum dixisse: *Data est mihi omnis Potestas in Cælo, & in Terra.* Huic universæ Potestati in terra videntur adversari alia ejusdem Christi Verba, à S. Joanne c. 18. v. 36. allata. Pilato enim interroganti: *Tu es Rex Judæorum?* Respondit: *Regnum meum non est de hoc Mundo &c.* Med. 177.

XXI. Apud S. Matthæum c. 28. v. 10. leguntur hæc Christi ad Mulieres Verba: *Ite, nunciate Fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Et v. 19. hæc dicit ad Discipulos: *Euntes ergo docete omnes Gentes.* S. Lucas autem Act. 1. v. 4. scribit: *Et convescens præcepit eis, ab Jerosolymis ne discederent &c.* Med. 182.

Ex Parte Secunda.

XXII. S. Matthæus c. 8. v. 28. recensens adventum Christi in Regionem Gerasenorum, inquit: *Occurrunt ei duo, habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis.* Sed S. Lucas c. 8. & S. Marcus c. 5. tantùm Unum dicunt Christo obviàm venisse. Med. 235.

XXIII. S. Matthæus verba Jairi ad Christum pro Filia sua sic recitat. c. 9. v. 18. *Domine, Filia mea modò defuncta est; sed veni, impone Manum tuam super eam, & vivet.* S. Marcus c. 5. v. 23. sic loquitur: *Filia mea in extremis est &c.* Med. 238.

XXIV. S. Matthæus c. 8. v. 1. & seqq. narrat, homini Leproso Christum Sanitatem reddidisse, *Cùm descendisset de monte*; & urbem Capharnaum deinde subivisse. v. 5. Sed S. Lucas c. 5. v. 12. idem Beneficium recensens, ait, id à Christo collatum esse, *Cùm esset in una Civitatum*: adeóque non in via ad Civitatem. Med. 259.

XXV.

XXV. S. Marcus c. 1. v. 45. videtur negare, quòd Christus post factam, & evulgatam Sanationem hominis Leprosi urbem intraverit: quia homo ille contra Christi prohibitionem *Cæpit prædicare, & diffamare Sermonem, ita ut non posset* (Christus) *manifestè introire in Civitatem, sed foris in desertis locis esset.* Sed S. Matthæus & S. Lucas locis proximè citatis dicunt, Christum intrâsse, & fuisse in Civitate. Med. 259.

XXVI. S. Matthæus c. 8. v. 5. scribit: *Cùm autem introîisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio.* Verùm S. Lucas c 7. negat, Centurionem accessisse; sed cùm bis legatos suos misisset, Christo adventanti hæc per postremos jussisse dici: *Domine noli vexari: Non enim sum dignus, ut sub tectum meum intres: propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te.* Med. 260.

XXVII. S. Matthæus c. 10. v. 9. enumerans ea, quæ Christus Discipulis dixit, ne possiderent, refert etiam dixisse: *Neque Virgam.* At S. Marcus c. 6. v. 8. ait: *Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi Virgam tantùm.* Med. 284.

XXVIII. S. Matthæus c. 15. v. 22. de Matre filiæ à dæmonio malè vexatæ, & à Christo liberatæ, ait, quod fuerit *Chananæa.* S. Marcus autem c. 7. v. 26. dicit, quòd fuerit *Syrophœnissa* genere. Med. 303.

XXIX. Postquam Christus septem panibus pavit quatuor millia Virorum, teste Matth. c. 15. v. 39. *Venit in fines Magedan.* At S. Marcus c. 8. v. 10. ait: *Venit in partes Dalmanutha.* Med. 306.

XXX. Cùm Christus apud S. Matth. c. 16. v. 28. dixisset: *Amen dico vobis: sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium Hominis, venientem*

nientem in Regno suo. Istud Vaticinium mox post sex dies impletum esse, his verbis testatur S. Matthæus cap. 17. v. 1. *Et post dies sex assumpsit JESUS Petrum, & Jacobum, & Joannem Fratrem ejus, & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* S. Lucas autem c. 9. v. 28. post prædictum Vaticinium numerat dies octo, non quidem omnino completos, dicens: *Factum est autem post hæc verba ferè dies octo, & assumpsit Petrum &c.* Med. 313.

XXXI. S. Matthæus c. 20. v. 20. inquit: *Tunc accessit ad eum Mater Filiorum Zebedæi cum Filijs suis, adorans, & petens aliquid ab eo.* S. Marcus autem c. 10. v. 35. non de Matre sed de Filijs asserit: *Et accedunt ad eum Jacobus, & Ioannes, Filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus, ut quodcunque petierimus, facias nobis.* Med. 389.

XXXII. S. Lucas c. 18. v. 35. sic habet: *Factum est autem, cùm appropinquaret Iericho, Cæcus quidam sedebat secus viam, mendicans &c.* S. Matthæus c. 20. v. 29. & S. Marcus c. 10. v. 46. narrant, non in ingressu, sed in egressu ex Jericho hunc Cæcum sanatum; & S. Matthæus non unum, sed duos ponit. Med. 391.

XXXIII. S. Joannes c. 12. v. 1. inquit: *IESUS ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit IESUS. Fecerunt autem ei cœnam ibi.* Sed ex S. Matthæo videtur colligi, quòd Cœna ista contigerit biduo ante Pascha. Cùm enim, ut dictus Matthæus c. 26. v. 2. refert, Christus Discipulis suis dixisset: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet*: deinde idem Evangelista vers. 6. subjungit: *Cùm autem IESUS esset in Bethania in domo Simonis Leprosi, accessit ad eum Mulier, habens alabastrum Vnguenti pretiosi &c.* quod certum

tum est, sub Cæna accidisse. Videtur itaque, hanc Cænam etiam biduo ante Pascha celebratam esse; postquam scilicet Christus Discipulis dixerat: *Scitis, quia post biduum Pascha fiet.* Med. 394.

XXXIV. Circa numerum Discipulorum, murmurantium contra effusionem Unguenti pretiosi in Caput Christi, S. Joannes c. 12. v. 4. sic refert: *Dixit ergo vnus ex Discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc Vnguentum non venîit trecentis denarijs, & datum est egenis?* S. Matthæus c. 26. v. 8. in numero plurali ait: *Videntes autem Discipuli, indignatè sunt, dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.* Med. 395.

XXXV. De Extremi Judicij die scribit S. Marcus c. 13. v. 32. Christum dixisse: *De die autem illo, vel horâ, nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater.* At verò S. Joannes c. 5. v. 20. Universalem Scientiam Filio attribuit: *Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei.* Med. 413.

INDEX

INDEX MEDITATIONUM

In Evangelia dê Tempore.

Dominica I. Adventûs *Erunt signa in sole.* Luc. 21. *Med.* 411.
II. Advent. *Cùm audisset Ioannes.* Matth. 11. *M.* 262. & 263.
III. Advent. *Miserunt Iudæi.* Joan. 1. *M.* 73.
Fer. IV. Quat. Temp. *Missus est Angelus Gabriel.* Luc. 1. M. 15.
Fer. VI. Quat. Temp. *Exurgens Maria abijt.* Luc. 1. M. 19. & seqq.
Sabb. Quat. Temp. / Dom. IV. Advent. *Anno quinto decimo Imperij* Luc. 3. M. 76.
Vigil. Nativ. Dom. *Cùm esset desponsata* Matth. 1. M. 25.
In Nocte Nativit. Dom. *Exijt edictum.* Luc. 2. *M.* 29. 30. 31. 32.
In Aurora Nativ. Dom. *Pastores loquebantur* Luc. 2. *M.* 33. & 34.
In die Nativit. Dom. *In principio erat Verbum.* Joan. 1. M. 1.
Festo S. Stephani. *Ecce ego mitto ad vos* Matth. 23. M. 407.
Fest. S. Joan. Evang. *Dixit IESVS Petro: sequere me.* Joan. 21. M. 175.
Festo SS. Innocent. *Angelus Domini apparuit.* Matth. 2 M. 53.
Dom. infra Oct. Nativ. *Erant Ioseph & Maria* Luc. 2. M. 54. & 55.
Festo S. Silvestri Pap. *Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. M. 348.
Festo Circumcisionis. *Postquam consummati sunt.* Luc. 2. M. 38.
Vigil. Epiph. *Defuncto Herode, ecce Angelus* Matth. 2. M. 60.
Festo Epiph. *Cùm natus esset IESVS.* Matth. 2. M. 41. & seqq.
Dom. infra Oct. Epiph. *Cùm factus esset IESVS.* Luc. 2. M. 61.
Oct. Epiph. *Vidit Ioannes IESVM venientem.* Joan. 1. M. 84.
Dom. II. Post Epiph. *Nuptiæ factæ sunt.* Joan. 2. M. 217.
III. post Epiph. *Cùm descendisset IESVS.* Matth. 8. *M.* 259. & 260.
IV. post Epih. *Ascendente IESV.* Matth. 8. M. 234.
V. post Epiph. *Simile factum est homini, qui semi.* Matth. 13. M. 273.
VI. post Epiph. *Simile factum est grano sin.* Matth. 13. *M.* 274. & 275.
Dom. Sept. *Simile est regnum cælorum.* Matth. 20. *M.* 380. & 381.
Dom. Sexag. *Cùm turba plurima conveniret.* Luc. 8. *M.* 271. & 272.
Dom. Quinquag. *Assumpsit IESVS duodecim.* Luc. 18. M. 388.
Fer. 4. Cinerum. *Cùm jejunatis, nolite.* Matth. 6. M. 253.
Fer. 5. post Ciner. *Cùm introisset IESVS Capharn.* Matth. 8. M. 269.
Fer. 6. post Ciner. *Audistis, quia dictum est.* Matth. 5. M. 252.

Sabb. post Cin. *Cùm serò esset factum.* Marc. 6. M. 296.
Dom. I. Quadr. *Ductus est Iesus in desertum.* Matth. 4. M. 80. *& seqq*
Fer. 2. *Cùm venerit Filius hominis.* Matth. 25. M. 419.
Fer. 3. *Cùm intrâsset Iesus Ierosolymam.* Matth. 21. M. 399.
Fer. 4. Quat. Temp. *Accesserunt ad Iesum Scribæ.* Matth. 12. M. 269.
Fer. 5. *Egressus Iesus secessit in partes Tyri.* Matth. 15. M. 303.
Fer. 6. Quat. Temp. *Erat dies festus Iudæorum.* Joan. 1. M. 242.
Sabb. Quat. Temp. / Dom. II. Quadrag. | *Assumpsit Iesus Petrum.* Matth. 17. M. 313. 314. & 315.
Fer. 2. *Dixit Iesus turbis.* Joan. 8. M. 342.
Fer. 3. *Locutus est Iesus ad turbas.* Matth. 23. M. 406.
Fer. 4. *Ascendens Iesus Ierosolymam.* Matth. 20. M. 389. & 390.
Fer. 5. *Homo quidam erat dives.* Luc. 16. M. 371. & 372.
Fer. 6. *Homo erat Paterfamilias.* Matth. 21. M. 401.
Sabb. *Homo quidam habuit duos filios.* Luc. 15. M. 368. & 369.
Dom. III. Quadr. *Erat Iesus ejiciens dæmonium.* Luc. 11. M. 267. & 269
Fer. 2. *Vtique dicetis mihi hanc similitudinem.* Luc. 4. M. 281.
Fer. 3. *Si peccaverit in te frater tuus.* Matth. 18. M. 329. & 330.
Fer. 4. *Accesserunt ad Iesum.* Matth. 15. M. 301. & 302.
Fer. 5. *Surgens Iesus de Synagoga.* Luc. 4. *M.* 230.
Fer. 6. *Venit Iesus in civitatem.* Joan. 4. *M.* 222. *& seqq.*
Sabb. *Perrexit Iesus in montem Oliveti.* Joan. 8. *M.* 339. *& 340.*
Dom. IV. Quadr. *Abijt Iesus trans mare Galilææ.* Joan. 6. *M.* 294.
Fer. 2. *Propè erat Pascha Iudæorum.* Joan. 2. *M.* 218.
Fer. 3. *Iam die Festo mediante.* Joan. 7. *M.* 337.
Fer. 4. *Præteriens Iesus vidit hominem cæcum.* Joan. 9. M. 344. & 345
Fer. 5. *Ibat Iesus in civitatem.* Luc. 7. *M.* 261.
Fer. 6. *Erat quidam languens Lazarus.* Joan. 11. M. 382. *& seqq.*
Sabb. *Ego sum Lux Mundi.* Joan. 8. M. 341.
Dom. Passionis. *Quis ex vobis arguet.* Joan. 8. M. 343.
Fer. 2. *Miserunt Principes & Pharisæi.* Joan. 7. *M.* 338.
Fer. 3. *Ambulabat Iesus in Galilæam.* Joan. 7. M. 332.
Fer. 4. *Facta sunt Encænia.* Joan. 10. M. 365. & 366.
Fer. 5. *Rogabat Iesum quidam de Pharisæis.* Luc. 7. M. 265. & 266.
Fer. 6. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium.* Joan, 11. M. 387.
Sabb. *Cogitaverunt Principes Sacerdotum.* Joan. 11. M. 398.
Dom. in Palm. *Cùm appropinquâsset Iesus.* Matth. 21. M. 396
Fer. 2. *Ante sex dies Paschæ venit Iesus.* Joan. 12. M. 394. & 395.
Fer. 5. in Cœna Dom. *Ante diem festum Paschæ.* Jo. 13. M. 92. & 93.

Festo Appar. S. Michaëlis. *Accesserunt.* Matth. 18. *M.* 321 & 324
Festo S. Barnabæ Apost. *Ecce ego mitto vos.* Matth. 10. *M.* 285
Vigil. S. Ioan. Bapt. *Fuit in diebus Herodis Regis.* Luc. 1. *M.* 69.
Festo Nativ. S. Ioan. Bapt. *Elisabeth impletum est.* Luc. 1. *M.* 70.
Vigil. SS. Petri & Paul. *Dixit Iesus Simoni.* Io. 21. *M.* 172. & 174.
Festo SS. Petri & Pauli *Venit Iesus.* Matth. 16. *M.* 309. & 310
Festo Visitat. B. V. *Exurgens Maria abijt.* Luc. 1. *M.* 19.
Festo S. M. Magdal. *Rogabat Iesum quidam.* Luc. 7. *M.* 265.
Vigilia S. Iacobi. *Hoc est præceptum meum.* Ioan. 15. *M.* 101.
Festo S. Iacobi Apost. *Accessit ad Iesum mater.* Matth. 20. *M.* 389
Festo S. Annæ Matris B. V. *Simile est Reg.* Matth. 13. *M.* 276. & 277
Festo S. Ignatij Conf. *Designavit Dom. & alios* Luc. 10. *M.* 347.
Festo S. Petri ad Vincul. *Venit Iesus.* Matth. 16. *M.* 309. & 310.
Festo Transfig. Dom. *Assump. Iesus.* Matth. 17. *M.* 313. 314. & 315
Vigil. S. Laur. M. *Si quis vult post me venire.* Matth. 16. M. 312.
Festo S. Laur. M. *Amen, amen dico vobis, nisi.* Ioan. 12. *M.* 398.
Vigil. Assumpt. B. M. V. *Loquente Iesu ad turbas.* Luc. 11. *M.* 270
Festo Assumpt. B. M. V. *Intravit Iesus in quoddam.* Luc. 10. *M.* 353
Festo S. Barthol. *Exijt Iesus in montem orare.* Luc. 6. *M.* 246.
Festo Decollat. S. Io. Bapt. *Misit Herodes.* Marc. 6. *M.* 292. & 293
Festo S. Angel. Cust. *Accesserunt.* Matth. 18. *M.* 321. & 324
Festo Nativ. B. V. *Liber Generationis Iesu Chr.* Matth. 1. *M.* 14.
Vigil. S. Matthæi Apost. *Vidit Iesus publicanum,* Luc. 5. *M.* 237.
Festo S. Matthæi Apost. *Vidit Iesus hominem.* Matth. 9. *M.* 237
Festo S. Mich. Archang. *Accesserunt.* Matth. 18. *M.* 321 & 324
Festo S. Lucæ Evang. *Designavit Dom. & alios* Luc. 10. *M.* 347.
Vigil. SS. Sim. & Iudæ. *Ego sum vitis vera* Ioan. 15. *M.* 100.
Festo SS. Simon. & Iudæ. *Hæc mando vobis.* Ioan. 15. *M.* 101
Vigil omnium SS. *Descendens Iesus de monte.* Luc. 6. *M.* 247.
Festo Omnium sanctorum *Videns Iesus turbas.* Matth. 5. M. 248.
Commemor. OO. Fid. Def. *Amen dico vobis.* Ioan. 5. M. 243.
Festo S. Martini Ep. *Nemo accendit lucernam.* Luc. 11. *M.* 253.
In Præsentat. B. V. *Loquente Iesu ad turbas.* Luc. 11. *M.* 270.
Festo S. Cath. V. M. *Simile est Regnum cælor.* Matth. 25. M. 414 & 415

)(†)(

INDEX

INDEX MEDITATIONUM

In Evangelia de Communi Sanctorum

Festo Apost. vel Apostol. Virorum. — *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. M. 379.
Designavit Dominus & alios. Luc. 10 *M.* 347.

Festo unius Mart. — *Si quis venit ad me.* Luc. 14. *M.* 364.
Si quis vult post me venire. Matth. 16. *M.* 312.

Temp. Pasch. — *Ego sum vitis vera.* Joan. 15. *M.* 100.
Ego sum vitis, vos palmites. Joan 15. *M.* 100.

Festo Plurium MM. — *Cùm audieritis prælia.* Luc. 21. *M.* 410.
Descendens IESVS de monte. Luc. 6. *M.* 247.

Festo Conf. Pont. — *Homo peregrè proficiscens.* Matth. 25. *M.* 416.
Vigilate, quia nescitis, qua horâ. Matth. 24. *M.* 413

Festo Doct. *Vos estis sal terræ.* Matth. 5. *M.* 250.

Festo Conf. non Pont. — *Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. *M.* 358.
Nolite timere pusillus grex. Luc. 12. *M.* 357.

Festo Abb. *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. *M.* 379.

Festo Virg. — *Simile est Regnum cælorum.* Matth. 25. *M.* 414 & 415
Accesserunt ad Iesum Pharisæi. Matt. 19. *M.* 273.
Simile est Regn. cælorum thesauro Matth. 13. *M.* 275 & seq

Festo Vid. *Simile est Regn. cælorum thesauro,* Matth. 13. *M.* 275 & seq

Dedicat. Eccl. *Ingressus Iesus perambulabat Iericho.* Luc. 19. *M.* 392.

INDEX MEDITATIONUM

In Exercitia Spiritualia

Soli Viæ Purgativæ respondentia.

Dies Prima

I. *De* ultimo Fine Hominis. *Med. 2.*
Lege ex Thom. Kempensi. Lib. 3. c. 10.
II. De Peccato Angelorum. M. 3.
Ex Thom. Kemp. l. 1. c. 21.
III. De peccato Protoparentum. *M. 4.*
Ex Thom. Kemp. l. 1. c 22.

Dies Secunda.

I. De gravitate peccati mortalis. *M. 6.*
Ex Thom. Kemp. l. 3. c. 8.
II. De Damnis peccati. *M. 5.*
Ex Thom. Kemp. l. 1. c. 6.
III. De peccato etiam veniali vitando. *M. 405.*
Ex Thom. Kemp. l. 4. c. 7.

Dies Tertia.

I. De Filio Prodigo. *M. 368.*
Ex Thom. Kemp. l. 1. c. 25.
II. De eodem. *M. 369.*
Ex Thom. Kemp. l. 3. c. 10.
III. De Gaudio in Cælis super uno peccatore Pœnitentiam agente. *M. 367.*
Ex Thom. Kemp. l. 2. c. 6.

Dies Quarta.

I. De Gratia, & Veste Nuptiali paranda. *M. 402.*
Ex Thom. Kemp. l. 3. c. 54.

II. De

II. De Pœnitentia Petri fructuosa. *M.* 119.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 52.
III. De Pœnitentia Iudæ infructuosa. *M.* 125.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 48.

Dies Quinta.

I. De Morte. *M.* 358.
Ex Thom. Kemp. l. 1. *c.* 23.
II. De Judicio. *M.* 418.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 14.
III. De eodem *M.* 419.
Ex Thom. Kemp. l. 1. *c.* 18.

Dies Sexta.

I. De Inferno. *M.* 371.
Ex Thom. Kemp. l. 1. *c.* 24.
II. De eodem. *M.* 372.
Ex *Thom. Kemp. l.* 3. *c.* 50.
III. De Regno Cælorum. *M.* 274.
Ex *Thom. Kemp. l.* 3. *c.* 47.

Dies Septima.

I. Iterum de Regno Cælorum. *M.* 276.
Ex *Thom. Kemp. l.* 3. *c.* 49.
II. De Publicano, humili Contritione Veniam peccatorum impetrante. *M.* 375.
Ex *Thom. Kemp. l.* 1. *c.* 16.
III. De venia â Christo in Cruce Peccatoribus exorata. *M.* 139.
Ex *Thom. Kemp. l.* 2. *c.* 11.

Dies Octava.

I. De Apparitione Christi primò facta Magdalenæ pœnitenti. *M.* 155.
Ex *Thom. Kemp. l.* 3. *c.* 16.
II. De Apparitione facta Petro pœnitenti. *M.* 158.
Ex *Thom. Kemp. l.* 3. *c.* 21.
III. De Amore Dei, & Proximi. *M.* 252.
Ex *Thom. Kemp. l.* 3. *c.* 5.
Post peracta Exercitia altero die. *M.* 269.

INDEX MEDITATIONUM

In eadem Exercitia, Viæ Purgativæ, illuminativæ, ac Unitivæ respondentia.

Meditatio præparatoria pridie peragenda. M. 242.
Lege ex Thom. Kemp. l. 1. c. 20.

Via Purgativa.

HEBDOMAS I.

Dies Prima.

I. De ultimo Fine Hominis. Med. 2.
Lege ex Thom. Kemp. lib. 3. c. 9.

II. De eodem Fine Hominis: vel de Fine Hominis Religiosi, aut Clerici. M. 9.
Ex *Thom. Kemp. l. 1. c. 17.*

III. De Peccato Angelorum. M. 3.
Ex *Thom. Kemp. l. 3. c. 14.*

Dies Secunda.

I. De peccato Adami. M. 4.
Ex *Thom. Kemp. l. 3. c. 55.*

II. De Damnis peccati. M. 5.
Ex *Thom. Kemp. l. 2. c. 6.*

III. De peccato Veniali. M. 205.
Ex *Thom. Kemp. l. 1. c. 6.*

Dies Tertia.

I. De Morte. M. 358.
Ex *Thom. Kemp. l. 1. c. 23.*

II. De Iudicio. M. 418. & 419.
Ex *Thom. Kemp. lib. 1. c. 24. usque ad num. 3.*

III. De Inferno. M. 371. & 372.
Ex *Thom. Kemp. lib. 1. c. 24. à num. 3.*

Via

In eadem Exercitia.

Via Illuminativa.

HEBDOMAS II.

De Vita Christi, ut Idea agendi.

Dies Quarta.

I. De Regno Christi, sive de Imitatione Christi Domini, ac Regis. *Med.* 11.
Lege ex Thom. Kemp. lib. 1. *c.* 1.

II. De Vexillo Crucis sub Christi Disciplina per odium suî, & per Renunciationem omnium rerum sequendo. M. 364.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 56.

III. De Incarnatione. M. 18.
Ex Thom. Kemp. l. 2. *c.* 1.

Dies Quinta.

I. De Profectione Mariæ & Ioseph à Nazareth. M. 28.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 13.

II. De Nativitate Christi. M. 29. & 30.
Ex Thom. Kemp. lib. 3. *c.* 18.

III. De tribus Hominum Classibus, in Adolescente opulento considerandis. *M.* 377. & 378.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 15.

Dies Sexta.

I. De summo Gradu Humilitatis. *M.* 321.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 54.

II. De sermone Christi in monte. M. 248.
Ex Thom. Kemp. l. 3. *c.* 31.

III. Christus lavat pedes Discipulorum. M. 92. & seqq.
Ex Thom. Kemp. lib. 1. *c.* 15.

HEBDOMAS III.

De Vita Christi, ut Idea Patiendi.

Dies Septima.

I. De Oratione Christi in horto. M. 109, & 110.
Ex *Thom Kemp. l. 3. c. 30.*
II. De Bajulatione Crucis. M. 134.
Ex *Thom. Kemp. l. 2. c. 11.*
III. De Crucifixione. M. 136.
Ex *Thom. Kemp. l. 2. c. 12.*

HEBDOMAS IV.

Via Unitiva.

Dies Octava.

I. Deus amandus, quia Infinitè Potens. M. 206.
Ex *Thom. Kemp. lib. 3. c. 5.*
II. Deus amandus, quia Infinitè Sapiens. M. 207.
Ex *Thom. Kemp. lib. 3. c. 34.*
III. Deus amandus, quia *Infinitè* Bonus. M. 208.
Ex *Thom. Kemp. lib. 3. c. 22.*
Post Exercitia. M. 273.
Ex *Thom. Kemp. lib. 1. cap. 25.*

Notandum.

VItæ Domini Nostri JESV Christi Mysteria, à S. P. Ignatio in Libello Exercitiorum brevissimis Meditationibus proposita, suprà in universalem Meditationum Indicem ordine relata esse: unde Dies Spiritualium Exercitiorum etiam in Mensem protrahi, & in vicem assignatarum ad Octiduum Meditationum aliæ pro libitu, vel opportuniore usu seligi poterunt.

Idem Index universalis suppeditabit etiam Meditationes, pro cujusvis Animæ statu magis necessarias per aliquot dies sese recolligentibus.

INDEX

INDEX MEDITATIONUM

pro iis,

qui se per Triduum recolligunt.

De utilitate & necessitate Recollectionis. M. 242.
De Tepiditate emendanda. M. 242 273.
De Laxitate restringenda. M. 258.
De Cura Mundi & Carnis fugienda. M. 256.
De custodia sensuum. M. 325.
De vitanda singularitate, & de communi observantia. M. 320.
De Puritate Conscientiæ. M. 355.
De vitando peccato veniali. M. 405.
De suî abnegatione, & bajulatione Crucis. M. 290. 312.
De vitiis Linguæ cavendis. M. 268.
De temerario Iudicio reprimendo. M. 257. 337.
De bono Exemplo dando. M. 250. 324.
De vili æstimatione suijpsius. M. 374.
De Humilitate. M. 97. 180. 321. 362. 375.
De Paupertate. M. 377. 378. 379.
De Castitate. M. 373. 404.
De Obedientia. M. 67. 283.
De Beneficio & obligatione Vocationis Religiosæ. M. 227. 228. 401. 402.
De aliis Beneficiis & de Amore Dei. M. 206. 207. 208.
De Zelo propriæ & alienæ Salutis. M. 282. 285. 328. 420.
De perfectè diligendo Deo, & Proximo. M. 252.
De Dilectione Inimicorum. M. 139. 331.
De diligentia & humilitate in Bonis Operibus. M. 374.
De bona Intentione. M. 253. 302.
De Functionibus, & Bonis Operibus rectè peragendis. M. 408.
De Oratione devota. M. 354.
De studio Solidarum Virtutum. M. 326.

FINIS.

Errata sic Corrigenda.

In Indice super Evangelia de Tempore.

In festo S. Silvestri pro M. 348. sit M. 358.
Feria. V. post Cineres pro M. 269. sit M. 260.
Dominica VIII. post Pentec. pro M. 370. sit M. 371.

In Indice Meditationum in Exercitia Spiritualia secundum tres Vias.

Hebdomade 1. die 2. de Peccato Veniali pro M. 205. sit M. 405.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
4526